

EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD

Craigie Hall
Library.
H : 4.



The Honourable
Charles Hope Weir of
CRAIGIEHALL & BLACKWOOD *Esq.*r

5.00


H 3. 5.

2 vol in 1

11.13

E. Gordon Duff

Edinburgh Jan 1919.


C. SALLVSTIVS
CRISPVS,
cum veterum His-
toricorum frag-
mentis.
Cor. Cl. Duyſent. ſculp.
LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Elzeviriana. Anno 1634.

Clariſſimo Viro,

MARCO ZUERIO BOXHORNIO.

CVm id primo curæ nobis eſſe cœpit, ut Hiſtoricos Romanos, terſiores pariter ac emendatiores ederemus; rem ut utiliſſimam, ſic eruditis acceptiſſimam, moliri viſi ſumus. Quod ut amplius perſuaſum nobis eſſet, illud quoq; effecit, quod utilitate ſola publica impulſi viri eruditi, ſuorum quoque id arbitrati ſint. Neque id, Hercules, nunc agimus, ut curam noſtram, aut typorum elegantiam hic venditemus: qui li-

benter, quicquid ejus eſt, judicio doctorum ac poſteritatis maxime remittimus. Nemo autem neſcit maximopere referre, ut quæ eleganter excuduntur, emendate prodeant, atque ita eruditis ſe commendent. Inter hos, Clariſſime Boxhorni, cum prolixe nobis operam navaris; nunquam tamen liberalius, quam in Salluſtii hac editione, quam prolixe nobis velles, oſtendiſti: quippe qui præclaram illam ſtationem, quam ætate prima occupaſti, deſerendam minime arbitraris. Qui enim pridem ſcriptis tuis publico prodeſſe inſtituiſti, quot ſcriptores emendatiores edidiſti; tot quaſi vades diligentiæ induſtriæque tuæ poſteris dediſti. Cum autem nihil referat, quo ſtudio ſcriptores optimi à mendis vindicentur, niſi caveatur, ne ſuccreſcant novæ; id

quoque

quoque ad te pertinere voluiſti, qui hanc laudem cum docendi munere junxiſti. Ad quam & modeſtia, quam ſcripta tua præ ſe ferunt, pariter ac diligentia, accedunt: vt jam nemo ignorare poſſit, quantum à te, qui amœnitatem ſtudiis ſeverioribus ſic temperas, ut utraq; conjungas, exſpectandum ſit. Quod vel illi de te ſperant, qui jam eruditionis tuæ tyrocinia, hoc eſt, ingenii, vt juveniles, ſic maturos fœtus, perluſtrarunt. Quamquam neque nos ex merito doctorum laudes ac virtutes æſtimare poſſumus, neque hoc modo tuis aliquid accedit, qui jam tibi tui ipſe eſſe pretium cœpiſti. Interim Salluſtium, quod ante dicebamus, terſiorem per te nunc prodire heic teſtari viſum: vt qui laudis aliquid ex hac editione pertinere ad nos arbitrantur, plus deberi tibi ſciant Tu fa-

vere, vt cœpiſti, officinæ noſtræ perge, &, vt diu poſſis, feliciſſime Vale. Lugduni Batavorum, Anno CIƆIƆCXXXIV.

Virtutibus famæque tuæ deditiſſimi

B. & A. ELSEVIRII.

VETE-

VETERVM SCRIPTORVM,

& nonnullorum Recentiorum,

DE SALLVSTIO JVDICIA ET TESTIMONIA.

Auguſtus Cæſar apud Suetonium in vita Auguſti.

TVq; dubitas, Cimberne, Annius an Verrius Flaccus imitandi ſint tibi: ita, ut verbis, qui Criſpus Salluſtius excerpſit ex Catonis Originibus utaris, an potius Aſiaticorum oratorum inanibus ſententiis, verborum volubilitas in noſtrum ſermonem transferenda?

Vellejus Paterculus Hiſt. l. 2.

Æmulus Thucydidis Salluſtius.

&;

Pæne ſtulta eſt inhærentium oculis inge-

niorum enumeratio: inter quæ maximè noſtri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque, & conſecutus Salluſtium Livius, Tibulluſque, & Naſo, perfectiſſimi in forma operis. nam vivorum ut magna admiratio; ita cenſura difficilis eſt.

Horatius Serm. lib. I. Sat. II.

Libertinarum dico: Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quam qui mœchatur.

Aſconius Pedianus.

Fertur Salluſtius, tanto ardore inſaniviſſe in libertinas, quanto mœchus in matronas: quod cum illi in Senatu à Cenſoribus objectum eſſet, reſpondit; Se non matronarum ſectatorem eſſe. quare ex ſenatu ejectus eſt. quod ipſe excuſat in Catilinæ bello. Hæc vetus interpres Horatii.

Seneca Rhetor Decl. lib. III.

Orationes SalluſtI in honorem hiſtoriarum leguntur.

Seneca Philoſophus Epiſt. CXIV.

Salluſtio vigente, amputatæ ſententiæ, & verba ante exſpectatum cadentia, & obſcura brevitas fuere pro cultu. Arruntius

tius vir raræ frugalitatis, qui hiſtorias belli Punici ſcripſit, fuit Salluſtianus, & in illud genus nitens.

& Ibidem.

Quæ apud Salluſtium rara fuerunt, apud Arruntium crebra ſunt, & pæne continua. nec ſine cauſſa. ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat.

& Lib. ix. decl. i. & controverſ. xxv. lib. v.

Cum ſit præcipua in Thucydide virtus, brevitas, hac eum Salluſtius vicit, & in ſuis illum caſtris cecidit. Nam in ſententia Græca tam brevi, quam ſalvo ſenſu detrahas vocem aliquam, conſtabit ſenſus, etiamſi non æque comtus, attamen integer. at ex Salluſti ſententia nihil demi ſine ſenſus detrimento poteſt. Titus autem Livius tam iniquus Salluſtio fuit, ut hanc ipſam ſententiam, & tamquam tranſlatam, & tamquam corruptam, dum transferretur, objiceret Salluſtio. nec amore Thucydidis facit ut illum præferat; ſed laudat quem non timet: & facilius putat poſſe à ſe Salluſtium vinci, ſi ante à Thucydide vincatur.

Martialis lib. xiv.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Criſpus, Romana primus in hiſtoria.

Quinctilianus Lib. ii. cap. v.

Livius à pueris magis legendus quam Salluſtius. & hic hiſtoria majoris eſt auctor: ad quem tamen intellegendum jam profectu opus ſit.

& Lib. iii. cap. x.

Criſpus Salluſtius in bello Iugurthino & Catilinario nihil ad hiſtoriam pertinentibus principiis orſus eſt.

& Lib. iv. cap. ii.

Vitanda illa Salluſtiana, quamquam in ipſo virtutis locum obtinet, brevitas, & abruptum ſermonis genus: quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallit, audientem tranſvolat, nec, dum repetatur, exſpectat.

& Lib. viii. cap. iii.

Nec minus noto Salluſtius epigrammate inceſſitur:

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Criſpe, Iugurthinæ cõditor hiſtoriæ.

&

& Lib IX. cap.III.

Ex Græco tranſlata Salluſtii plurima.

& Lib. x. cap.I.

Neque illa Salluſtiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas poteſt eſſe perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, & ſæpius ineruditum captanda nobis eſt: neque illa LivI lactea ubertas docebit ſatis eum, qui non ſpeciem expoſitionis, ſed fidem quærit.

& Ibidem.

At non hiſtoria ceſſerit Græcis: nec Thucydidi opponere Salluſtium verear: nec indignetur Herodotus æquari ſibi T. Livium, cum in narrando miræ jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus, ſupra quam narrari poteſt, eloquentem. ita dicuntur omnia cum rebus tum perſonis accommodata. ſed affectus quidem, præcipue eos qui ſunt dulciores, ut parciſſime dicam, nemo hiſtoricorum commendavit magis: ideoque immortalem illam SalluſtI velocitatem diverſis virtutibus conſecutus eſt. Nam mihi egregie dixiſſe videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam ſimiles.

&

& Ibidem.

Attici præciſis concluſionibus obſcuri, Salluſtium atque Thucydidem ſuperant; triſtes ac jejuni Pollionem æmulantur; otioſi & ſupini, ſi quid modo longius circumduxerunt, jurant Ciceronem ita locuturum fuiſſe.

& Lib. x. cap. III.

Sane manifeſtus eſt (SalluſtI) ex ipſo opere labor.

Statius Papinius Lib. I. Sil. IV.

Sed tuas artes puer ante diſcat:
Omne quîs mundi ſenium remenſus,
Orſa SalluſtI brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

Cornelius Tacitus Hiſt. lib. III.

C. Salluſtius rerum Romanarum florentiſſimus auctor.

Iuſtinus Hiſt. lib. XXXVIII.

Pompeius Trogus in Livio & Salluſtio reprehendit, quod conciones directas, ac orationes operi ſuo inſerendo hiſtoriæ modum exceſſerint.

Agellius Lib. I. cap. XV. Noct. Attic.

Salluſtius novator verborum.

&

& Lib.III. cap.I.

Salluſtius vel ſubtiliſsimus brevitatis artifex.

& Lib .IV. cap. XV.

Elegantia orationis SalluſtI, verborumque facundia, & novandi ſtudium cum multa prorſus invidia fuit: multique non mediocri ingenio viri conati ſunt reprehendere pleraque & obtrectare: in quibus plura inſcite aut maligne vellicant. nonnulla tamen videri poſſunt non indigna reprehenſione.

& Lib. X. cap. XX.

Salluſtius proprietatis in verbis retinentiſſimus conſuetudini conceſſit.

& Lib. eod. cap.XXVI.

Aſinio Pollioni in quadam epiſtola, quam ad Plancum ſcripſit, & quibuſdam aliis C.Salluſtio iniquis, dignum nota viſum eſt, quod, &c.

& Lib.XVII. cap.XVIII.

M. Varro in litteris atque vita fide homo multa & gravis, in libro quem inſcripſit, Pius *aut* de Pace, *C. Salluſtium ſcriptorem ſeriæ illius & ſeveræ orationis; in cujus hiſtoria notiones cenſorias fieri atque exer-*

exerceri videmus, in adulterio deprehenſum ab Annio Milone, loris bene cæſum dicit, &, cum dediſſet pecuniam, dimiſſum.

Suetonius de claris Grammaticis, de Philologo.

Aſinius Pollio librum ſcripſit, in quo Salluſtii ſcripta reprehendit, ut nimia verborum affectatione oblita.

& Ibidem.

Philologus coluit familiariſſime C. Salluſtium, &, eo defuncto, Aſinium Pollionem. quos hiſtoriam componere aggreſſos, alterum breviario rerum Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, inſtruxit; alterum præceptis de ratione dicendi. Quo magis miror Aſinium Pollionem credidiſſe, antiqua eum verba & figuras ſolitum eſſe colligere Salluſtio, cum ſciat eum ſibi nihil aliud ſuadere, quam ut noto civilique & proprio ſermone utatur, vitetque maximè obſcuritatem Salluſtī, & audaciam in tranſlationibus.

& de Lenæo.

Lenæus tanto amore erga patroni (Pompeji) memoriam exſtitit, ut Salluſtium Hiſtoricum, quod eum, oris improbi, animo inve-

inverecundo, ſcripſiſſet, acerbiſſima ſatyra laceraverit, laſtaurum, & lurconem, & nebulonem, popinonemq; appellans, & vita ſcriptiſque monſtroſum, præterea priſcorum Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem.

Macrobius Sat. lib. 3. cap. 15.

Salluſtius graviſſimus alienæ luxuriæ objurgator & cenſor.

& Lib. v. cap. 1.

Quatuor ſunt genera dicendi. copioſum; in quo Cicero dominatur: breve; in quo Salluſtius regnat: ſiccum; quod Frontoni adſcribitur: pingue & floridum; in quo Plinius ſecundus quondam, & nunc, nullo veterum minor, noſter Symmachus luxuriatur.

Symmachus lib. v. Epiſt. LXVI.

*Interea recuſo ſententiam, quæ rem venaticam * ſervile dicit officium. Statuerit hoc ſcriptor ſtilo tantùm probandus: nam morum ejus damna non ſinunt, ut ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas.*

* Salluſtius enim ſtatim in principio Belli Catilinarii ſic ſcribit: *Non fuit cōſilium, ſocordia atque deſidia bonum otium conterere; neque vero agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum ætatem agere.*

Auſo-

Auſonius in Protreptico.

Iam facinus Catilinæ tuum, Lepidique tumultum;
Ab Lepido & Catulo jam res & tempora Romæ
Orſus, bis ſenos ſeriem cõnecto per annos:
Iam lego civili miſtũ Mavorte duellum,
Movit quod ſocio Sertorius exſul Ibero.

Sidonius Apollinaris in panegyri Anthemii Auguſt.

Qua Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quinctilianus,
Qua pompa Tacitus numquam ſine laude loquendus.

& in Panegyri Narbonenſi.

Et te multimoda ſatis verendum
Scriptorum numeroſitate, Varro:
Et te, qui brevitate, Criſpe, polles:
Et qui pro ingenio fluente nulli,
Corneli Tacite, es tacendus ori.

Apuleius in Apologia.

Neque Cato gravitatem requirit, neq; Lælius levitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæſar calorem, nec Hortenſius diſtributionem, nec Calvus argutias, nec parſi-

parſimoniam Salluſtius, nec opulentiam Cicero.

Feſtus Avienus in orâ maritimâ.

Interrogaſti, ſi tenes, Mæotici
Situs quis eſſet æquoris: Salluſtium
Nôram id dediſſe, dicta & ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier,
Non abnuebam. Ad ejus igitur inclytam
Deſcriptionem (quâ locorum formulam
Imaginemque, expreſſor efficax ſtili
Et veritatis, penè in obtutûs dedit
Lepore linguæ) multa rerum junximus.

Vibius Sequeſter Lib. de Fluminib.

Salluſtius auctor certiſſimus.

M. Victorinus in librum Cic. de Inventione.

Hiſtoria & brevis eſſe debet in expoſitione, & aperta & probabilis, ut Salluſtius ſibi omnia in Catilinâ tribuit.

Spartianus in D. Hadriano.

Amavit (Hadrianus) genus dicendi vetuſtum, controverſias declamavit, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtium Cœlio prætulit: eademque jactatione de Homero ac Platone judicavit.

Vopiſcus in Aureliano.

Nemo ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non eſt aliquid mentitus, in quo

quo Livius, in quo Salluſtius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifeſtis erroribus convincerentur.

& in Probo.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Salluſtios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes diſertiſſimos imitarer viros, ſed Marium Maximum, Suetonium, Tranquillum, &c.

Lactantius Divinar. Inſtitution. lib. I. cap. XXI.

Hanc totam opinionem Salluſtius reſpuit, voluitque ingenioſè interpretari, &c. quantum erraverit homo eruditus, jam res ipſa declarat.

Et lib. II. cap. XIII.

Quod quidem non fugit hominem nequam Salluſtium, qui ait: Sed omnis noſtra vis in animo & corpore ſita eſt; animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. *Rectè, ſi ita vixiſſet ut locutus eſt. ſervivit enim fœdiſſimis voluptatibus, ſuamque ipſe ſententiam vitæ pravitate diſſolvit.*

Hieronymus in epitaph. Nepotiani ad Heliodorum.

Neque enim propoſui hiſtoriam ſcribere, ſed noſtras breviter flere miſerias. alioquin meri-

meritò ad hæc explicanda & Thucydides & Salluſtius muti ſint.

& Lib. I. adverſus Iovinianum.

Cicero rogatus ab Hirtio, ut poſt repudium Terentiæ, ſororem ejus duceret, omnino hoc facere ſuperſedit, dicens: non poſſe uxori ſe & philoſophiæ pariter operam dare. illa interim conjux egregia, & quæ de fontibus Tullianis hauſerat ſapientiam, nupſit Salluſtio inimico ejus, & tertiò Meſſalæ Corvino, & quaſi per quoſdam gradus eloquentiæ devoluta eſt.

Idem de locis Hebraicis, & ex eo Iſidorus Orig. lib. XIII. cap. XXI.

Salluſtius auctor certiſſimus.

Auguſtinus de civitate Dei lib. I. cap. V.

Salluſtius nobilitatæ veritatis Hiſtoricus.

& Epiſt. V. ad Marcellinum.

Nobiliſſimus hiſtoricus.

Johannes Sarisberienſis Polycratici III. cap. XII.

Vnde & Criſpo Hiſtoricorum inter Latinos potiſſimo, ſed & ipſi Ciceroni placuit: In malis factionem eſſe, quod in viris bonis vera amicitia eſt.

Petrarcha.

Criſpus Salluſtius nobilis Hiſtoricus veritatis

tatis, (ſic enim de illo apud auctores veriſſimos ſcriptum video) quo fidelius res Africæ complecteretur, libros Punicos perquiſivit, peregrinamque linguam, per interpretem, flagranti ſtudio ſcrutatus eſt. quin & maria transgreſſus dicitur, ut oculis ſuis crederet de conditionibus locorum. Bellum Iugurthinum, conjurationemque Catilinæ, compendioſo, & ad unguem, ut dici ſolet, caſtigato ſtylo complexus eſt. Sed nullo famoſior quàm Hiſtoriarum libro, qui ætati quoque noſtræ, ne certum ejus ſileam dedecus, amiſſus eſt: veterum quidem teſtimonio illuſtris, apud nos ſolo jam nomine ſuperſtes.

Jul. Cæſ. Scaliger in Oratione pro Cicerone.

Id quod & Salluſtius omnium ſcriptorũ numeroſiſſimus nuſquam aſpernatus eſt.

Et ibidem.

A Salluſtio autem brevitatem illam peti debere, cùm ſcribis, neque quid velis intelligo, neque tam vulgi animo conceptam, adeò perſuaſam, adeò decantatam in illo viro brevitatem umquam comprehendi. Nam ſi, quoniam frequentibus aſyndetis utitur, aut quod non longis periodis ambit argumenta rerum, properare tibi videtur,

iſto

iſto tibi quoque pacto brevibus atque interceptis ſaltibus centum milliariorum iter minùs longum videbitur, quàm unius modò ſtadii intervallum, quod uno ſpiritu confeceris. At contrà videmus Salluſtium ipſum, cùm quid ſemel dicendum aſſumſit, adeò perſtare, ut ſæpenumero egredi videatur, &c.

Ibidem.

Neque verò Salluſtium politiſſimum auctorem rejiciunt (Ciceroniani,) ſed anxium illud atque inſititium dicendi genus, ſed multa ſuperſtitioſa verba.

Idem lib. IV. Poet. cap. XXIV.

Quaſi verò commentarium ſcripſerit ille, non Hiſtoriam pleniorem, qui ſit Hiſtoriæ pater appellatus.

Et lib. III. cap. XCVI.

Ambitioſè igitur feciſſe videtur Salluſtius quibuſdam, quod Poetarum more, cum dicere orſus eſſet de Catilinâ, omiſſâ eâ narratione repetit hiſtoriam ab ipſis ultimis Romæ rudimentis. Nos virum ſuo in genere præſtantem cùm rectè tùm neceſſariò feciſſe judicamus: ut oſtenderet corruptam civitatem, cujus & pars eſſet Catilina.

L. FLO-

L. FLORI
BELLVM CATILINARIVM.

CATILINAM luxuria primùm, tum hinc conflata egeſtas rei familiaris, ſimul occaſio, quòd in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria conſilia opprimendæ patriæ ſuæ compulere, ſenatũ confodere, conſules trucidare, diſtringere incendiis urbem, diripere ærarium, totam denique rempublicam funditus tollere, & quidquid nec Annibal vidererur optaſſe. Quibus id nefas ſociis aggreſſus eſt? Ipſe patricius. ſed hoc minus eſt. Curii, Porcii, Sullæ, Cethegi, Autronii, Varguntei, atq; Longini, quæ familiæ! quæ ſenatus inſignia! Lentulus quoque tunc maximè prætor. hos omnes immaniſſimi facinoris ſatellites habuit. Additum eſt pignus conjurationis, ſanguis humanus, quem circumlatũ pateris bibêre: ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberũt. Actũ erat de pulcherrimo imperio, niſi illa cõjuratio in Ciceronẽ & Antonium conſules incidiſſet, quorum alter induſtria rem patefecit, alter manu oppreſſit. Tanti ſceleris indicium per Fulviam emerſit, viliſſimũ ſcortum, ſed parricidii innocens. Tum conſul habito ſenatu in præſentẽ parricidam, in præſentẽ reum Cice-

Cicero peroravit: ſed non amplius profe-ctũ, quàm ut hoſtis evaderet, ſeq; palã pro-feſſo incendium ſuum reſtincturum ruina minaretur. Et ille quidem ad pręparatum à Manlio in Etruria exercitũ proficiſcitur, ſi-gna illaturus urbi. Lentulus deſtinatum fa-miliæ ſuæ Sibyllinis verſibus regnũ ſibi va-ticinans, ad præſtitutũ à Catilina diem ur-be tota viros, faces, tela diſponit: nec civili conſpiratione contentus, legatis Allobro-gum, qui tũ fortè aderant, in arma ſolicita-tis. Et iſſet ultra Alpes furor, niſi altera pro-ditione Vulturtii, prætoris literæ teneren-tur. Statim Ciceronis imperio injecta eſt barbaris manus. Palã prætor in ſenatu con-vincitur. De ſupplicio agẽtibus, Cæſar par-cẽdũ dignitati, Cato animadvertendũ pro ſcelere cenſebat. Quã ſententiam ſecutis omnibus, in carcere parricidæ ſtrangulan-tur. Quamvis parte cõjurationis oppreſſa, tamen ab incœpto Catilina nõ deſtitit; ſed infeſtis ab Etruria ſignis patriam petẽs, ob-vio Antonii exercitu opprimitur. Quam a-trociter dimicatũ ſit, exitus docuit. Nemo hoſtium bello ſuperfuit: quem quiſque in pugnando ceperat locũ, eum amiſſa ani-ma corpore tegebat. Catilina longè à ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt; pul-cherrima morte, ſi pro patria ſic cõcidiſſet.

SALLVSTII EFFIGIES,

ex nomiſmate æreo Vrſini,



HIC ERIT, VT PERHIBENT DOC-
TORVM CORDA VIRORVM,
CRISPVS ROMANA PRIMVS IN
HISTORIA.

C. SALLUSTII CRISPI CATILINA SEV BELLVM CATILINARIVM.

OMnis homines, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animalibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora; quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt. Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune eſt. Quo mihi rectius videtur, ingenii, quàm virium opibus gloriam quærere; &, quoniam vita ipſa, qua fruimur, brevis eſt, memoriam noſtri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum & formæ gloria, fluxa atque fragilis eſt; virtus clara, æternaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vi ne corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet. Nam & prius, quam incipias, conſulto, &, ubi conſulueris, mature facto opus eſt. ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio veget. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diverſi, pars ingenium, alii corpus exercebant. etiam tum vita hominum ſine cupiditate agitabatur: ſua cuique ſatis placebant. poſtea vero quam in Aſia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii, & Athenienſes, cœpere urbes, atque nationes ſubigere; lubidinem dominandi,

minandi, cauſſam belli habere: maxumam gloriam in maxumo imperio putare: tum demum periculo, atque negotiis compertum eſt, in bello plurimum ingenium poſſe. Quod ſi regum, atque imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello, valeret, æquabilius, atque conſtantius ſeſe res humanæ haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari, ac miſceri omnia cerneres. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Verum, ubi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate lubido atque ſuperbia invaſere; fortuna ſimul cum moribus immutatur. Ita imperium ſemper ad optumum quemque ab minus bono transfertur. Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri, atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicuti peregrinantes tranſiere. quibus profectò, contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. eorum ego vitam mortemque juxta æſtumo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enimvero is demum mihi vivere, & frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed in magna copia rerum, aliud alii natura iter oſtendit. Pulchrum eſt bene facere reip. etiam bene dicere haud abſurdum eſt. vel pace, vel bello clarum fieri licet. & qui fecere, & qui facta aliorum ſcripſere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametſi haud quaquam par gloria ſequatur ſcriptorem, & auctorem rerum; tamen in primis arduum videtur, res geſtas ſcribere: primum, quod facta dictis exæquanda ſunt; dein quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malivolentia, & invidia dicta putant: ubi de magna virtute, atque gloria bonorum memores, quæ ſibi quiſque

quiſque facilia factu putat, æquo animo accipit; ſupra, veluti ficta pro falſis ducit. Sed ego adoleſcentulus initio, ſicuti plerique, ſtudio ad rempub. latus ſum: ibique mihi multa advorſa fuere. nam pro pudore, pro abſtinentia, pro virtute; audacia, largitio, avaritia, vigebant. quæ tametſi animus aſpernabatur, inſolens malarum artium; tamen inter tanta vitia imbecilla ætas, ambitione corrupta, tenebatur. Ac me, cum ab reliquis malis moribus diſſentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quæ ceteros, fama, atque invidia vexabat. Igitur, ubi animus ex multis miſeriis, atque periculis requievit, & mihi reliquam ætatem à rep. procul habendam decrevi, non fuit conſilium, ſocordia, atque deſidia bonum otium conterere: neque vero, agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum ætatem agere; ſed, à quo incepto, ſtudioque me ambitio mala detinuerat, eodem regreſſus ſtatui res geſtas populi R. ſtrictim, uti quæque memoria digna videbantur, perſcribere: eo magis, quod mihi à ſpe, metu, partibus reip. animus liber erat. Igitur de Catilinæ conjuratione, quam veriſſume potero, paucis abſolvam. nam id facinus in primis ego memorabile exiſtumo, ſceleris atque periculi novitate. de cujus hominis moribus pauca prius explananda ſunt, quam initium narrandi faciam.

L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi & animi, & corporis, ſed ingenio malo, pravoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia civilis, grata fuere: ibique juventutem ſuam exercuit. corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ ſupra quam cuiquam credibile eſt. animus audax, ſubdolus, varius, cujuſ-

libet rei ſimulator ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus; ardens in cupiditatibus. ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum. vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. hunc, poſt dominationem L. Sullæ, lubido maxuma invaſerat reip. capiundæ: neque, id quibus modis aſſequeretur, dum ſibi regnum pararet, quidquam penſi habebat. agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum: quæ utraque his artibus auxerat, quas ſupra memoravi. incitabant præterea corrupti civitatis mores: quos peſſuma, ac diverſa inter ſe mala, luxuria, atque avaritia vexabant. Res ipſa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, ſupra repetere, ac paucis inſtituta majorum domi militiæque, quo modo remp. habuerint, quantamque reliquerint, & ut paullatim immutata, ex pulcherruma peſſuma ac flagitioſiſſuma facta ſit, diſſerere.

VRBEM Romam, ſicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani; qui, Ænea duce, profugi, ſedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum, atque ſolutum. hi poſtquam in una mœnia convenere, diſpari genere, diſſimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint. ſed poſtquã res eorum civibus, moribus, agris aucta, ſatis proſpera, ſatisq; pollens videbatur; ſicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta eſt. igitur reges, populique finitimi bello tentare: pauci ex amicis auxilio eſſe. nam ceteri, metu perculſi, à periculis aberant. at Romani, domi, militiæque intenti, feſtinare, parare,
alius

alius alium hortari; hoſtibus obviam ire; libertatem, patriam, parentesque armis tegere. poſt, ubi pericula virtute propulerant, ſociis, atque amicis auxilia portabant; magisque dandis, quam accipiundis beneficiis amicitias parabant: imperium legitimum, nomen imperii regium habebant: delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, reip. conſultabant. hi, vel ætate, vel curæ ſimilitudine, patres appellabantur. Poſt, ubi regium imperium, quod initio conſervandæ libertatis atque augendæ reip. fuerat, in ſuperbiam, dominationemque convertit; immutato more, annua imperia, binos imperatores ſibi fecere. eo modo minume poſſe putabant per licentiam inſoleſcere animum humanum. Sed ea tempeſtate cœpere ſe quisque magis magisque extollere, ingeniumque in promtu habere. nam regibus boni, quam mali, ſuſpectiores ſunt: ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt. Sed civitas, incredibile memoratu eſt, adepta libertate, quantum brevi creverit. tanta cupido gloriæ inceſſerat. Iamprimum juventus, ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laborem uſu militiam diſcebat: magisque in decoris armis, & militaribus equis, quam in ſcortis atque conviviis, lubidinem habebat. Igitur talibus viris non labos inſolitus, non locus ullus aſper, aut arduus erat, non armatus hoſtis formidoloſus: virtus omnia domuerat. ſed gloriæ maxumum certamen inter ipſos erat. quiſque hoſtem ferire; murum aſcendere, conſpici, dum tale facinus faceret, properabat. eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant. laudis avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant. Memorare poſſem,

quibus in locis maxumas hoſtium copias populus R. parva manu fuderit; quas urbes natura munitas pugnando ceperit; ni ea res longius nos ab incœpto traheret. Sed profecto fortuna in omni re dominatur. ea res cunctas, ex lubidine magis, quam ex vero, celebrat, obſcuratque. Atherienſium res geſtæ, ſicut ego exiſtumo, ſatis amplæ, magnificæque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur: ſed, quia provenere ibi magna ſcriptorum ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maxumis celebrantur. ita eorum qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At populo R. numquam ea copia fuit: quia prudentiſſumus quiſque negotioſus maxume erat. ingenium nemo ſine corpore exercebat. optumus quiſque facere, quam dicere; ſua ab aliis benefacta laudari, quam ipſe aliorum narrare, malebat. Igitur domi, militiæque boni mores colebantur. concordia maxuma, minuma avaritia erat. jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura, valebat. jurgia, diſcordias, ſimultates cum hoſtibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. in ſuppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. duabus his artibus, audacia in bello; ubi pax evenerat, æquitate, ſeque, remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta hæc habeo; quod in bello ſæpius vindicatum eſt in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardius revocati prælio exceſſerant, quam qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant; in pace vero, beneficiis magis, quam metu, imperium agitabant; accepta injuria, ignoſcere, quam perſequi, malebant. Sed, ubi labore, atque juſtitia

reſp.

reſp. crevit; reges magni bello domiti; nationes feræ, & populi ingentes vi ſubacti; Carthago, æmula imperii Romani ab ſtirpe interiit; cuncta maria, terræque patebant: fortuna ſævire ac miſcere omnia cœpit. qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miſeriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit. ea quaſi materies omnium malorum fuere. namque avaritia fidem, probitatem, ceteraſque artes bonas ſubvertit; pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere, edocuit: ambitio multos mortalis falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud promtum in lingua habere; amicitias, inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo æſtumare; magiſque vultum, quam ingenium, bonum habere. hæc primo paullatim creſcere, interdum vindicari. poſt, ubi contagio, quaſi peſtilentia, invaſit; civitas immutata, imperium ex juſtiſſumo, atque optumo, crudele, intolerandumque factum. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus æque ſibi exoptant. ſed ille vera via nititur; huic quia bonæ artes deſunt, dolis, atque fallaciis contendit. avaritia pecuniæ ſtudium habet: quam nemo ſapiens concupivit. ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; ſemper infinita, inſatiabilis eſt; neque copia neque inopia minuitur. Sed, poſtquam L. Sulla, armis recepta rep. bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modeſtiam victores habere; fœda, crudeliaque in civis facinora facere.

cere. huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Aſia ductaverat, quo ſibi fidum faceret, contra morem majorum luxurioſe, nimiſque liberaliter habuerat. loca amœna, voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. ibi primum inſuevit exercitus populi R. amare, potare, ſigna, tabulas pictas, vaſa cælata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra ſpoliare, ſacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, poſtquam victoriam adepti ſunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe ſecundæ res ſapientium animos fatigant: ne illi, corruptis moribus, victoriæ temperarent. Poſtquam divitiæ honori eſſe cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia ſequebatur: hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria, atque avaritia cum ſuperbia invaſere. rapere, conſumere; ſua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiſcua, nihil penſi, neque moderati habere. Operæ pretium eſt, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, viſere templa deorum, quæ noſtri majores, religioſiſſumi mortales, fecere. verum illi delubra deorum pietate, domos ſuas gloria decorabant, neque victis quidquam, præter injuriæ licentiam, eripiebant. at hi contra, ignaviſſumi homines, per ſummum ſcelus, omnia ea ſociis adimere, quæ fortiſſumi viri victores hoſtibus reliquerunt: proinde quaſi injuriam facere, id demum eſſet imperio uti. Nam quid ea memorem, quæ, niſi his, qui videre, nemini credibilia ſunt; à privatis compluribus ſubverſos montes, maria conſtrata eſſe? quibus mihi ludibrio videntur fuiſſe divitiæ, quippe, quas honeſte habere licebat, per turpi-

turpitudinem abuti properabant. Sed lubido ſtupri, ganeæ, ceterique cultus non minor inceſſerat. viri pati muliebria: mulieres pudicitiam in propatulo habere: veſcendi cauſſa, terra, marique omnia exquirere: dormire prius, quam ſomni cupido eſſet: non famem, aut ſitim, neque frigus, neque laſſitudinem operiri, ſed ea omnia luxu ante capere. hæc juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. animus imbutus malis artibus, haud facile lubidinibus carebat: eo profuſius omnibus modis quæſtui, atque ſumtui deditus erat.

In tanta tamque corrupta civitate, Catilina, id quod factu facilimum erat, omnium flagitioſorum atque facinoroſorum circum ſe, tamquam ſtipatorum, catervas habebat. Nam, quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret; præterea, omnes undique parricidæ, ſacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus, atque lingua, perjurio, & ſanguine civili alebat; poſtremo, omnes, quos flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat, hi Catilinæ proxumi, familiaresq; erant. Quod ſi quis etiam à culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat; quotidiano uſu, atque illecebris, facile par, ſimilisque ceteris efficiebatur. ſed maxume adoleſcentium familiaritates appetebat. eorum animi molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. nam, uti cujuſque ſtudium ex ætate flagrabat, aliis ſcorta præbere; aliis canes, atque equos mercari: poſtremo neque ſumtui, neque modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios, fidosque ſibi faceret. Scio fuiſſe nonnullos, qui ita exiſtuma-

ſtumarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeſte pudicitiam habuiſſe. ſed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat. Iamprimum adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat, cum virgine nobili, cum ſacerdote Veſtæ, & alia hujuſcemodi contra jus, fasque. poſtremò, captus amore Aureliæ Oreſtillæ, cujus, præter formam, nihil umquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum ætate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum ſceleſtis nuptiis feciſſe. Quæ quidem res mihi in primis videtur cauſſa fuiſſe facinoris maturandi. namque animus impurus, diis, hominibusque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poterat: ita conſcientia mentem excitam vexabat. igitur colos ei exſanguis, fœdi oculi; citus modo, modo tardus inceſſus: prorſus in facie, vultuque vecordia inerat. Sed juventutem, quam, ut ſupra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. ex illis teſtes, ſignatoresque falſos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere. poſt, ubi eorum famam, atque pudorem attriverat, majora alia imperabat. ſi cauſſa peccandi in præſens minus ſuppetebat: nihilominus inſontes, ſicuti ſontes, circumvenire, jugulare. ſcilicet, ne per otium torpeſcerent manus, aut animus gratuito potius malus, atque crudelis erat. His amicis, ſociisque confiſus Catilina, ſimul, quod æs alienum per omnis terras ingens erat: &, quod plerique Sullani milites, largius ſuo uſi, rapinarum & victoriæ veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimundæ reip. conſilium cepit. in Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipſi conſulatum petundi magna

ſpes;

ſpes: ſenatus nihil ſanè intentus: tutæ, tranquillæque res omnes. ſed ea prorſus opportuna Catilinæ. Igitur circiter Cal. Iun. L. Cæſare & C. Figulo coſſ. primo ſingulos appellare: hortari alios, alios tentare; opes ſuas, imparatam remp. magna præmia conjurationis docere. ubi ſatis explorata ſunt, quæ voluit; in unum omnis convocat, quibus maxuma neceſſitudo, & plurimum audaciæ inerat. eo convenere ſenatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Caſſius Longinus, C. Cethegus, P. & Ser. Sullæ Servii filii, L. Varguntejus, Q. Annius, M. Porcius Læca, L. Beſtia, Q. Curius: præterea, ex equeſtri ordine, M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc, multi ex coloniis, & municipiis, domi nobiles. erant præterea complures paulo occultius conſilii hujuſce participes, quos magis dominationis ſpes hortabatur, quam inopia, aut alia neceſſitudo. ceterum juventus pleraque, ſed maxume nobilium, Catilinæ inceptis favebat. quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempeſtate, qui crederent M. Licinium Craſſum non ignarum ejus conſilii fuiſſe: quia Cn. Pompeius, inviſus ipſi, magnum exercitum ductabat; cujuſvis opes voluiſſe contra illius potentiam creſcere: ſimul confiſum, ſi conjuratio valuiſſet, facile apud illos principem ſe fore.

Sed antea item conjuravere pauci, in quibus Catilina. de quo, quam veriſſume potero, dicam. L. Tullo, M. Lepido coſſ. P. Autronius, & P. Sulla, deſignati conſules, legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. poſt paulo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat

petere

petere conſulatum; quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piſo, adoleſcens nobilis, ſummæ audaciæ, egens, factioſus; quem ad perturbandam remp. inopia, atque mali mores ſtimulabant. cum hoc Catilina, & Autronius, circiter Nonas Dec. conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ian. L. Cottam & L. Torquatum coſſ. interficere; ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. ea re cognita, rurſus in Nonas Feb. conſilium cædis tranſtulerunt. jam tum non conſulibus modo, ſed pleriſque ſenatoribus perniciem machinabantur. quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſociis dare; eo die, poſt conditam urbem Romam, peſſumum facinus patratum foret. quia nondum frequentes armati convenerant; ea res conſilium diremit. Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam quæſtor pro prætore miſſus eſt, adnitente Craſſo; quod eum infeſtum Cn. Pompeio cognoverat. neque tamen ſenatus provinciam invitus dederat. quippe fœdum hominem à rep. procul abeſſe volebat: ſimul, quia boni complures præſidium in eo putabant, & jam tum potentia Cn. Pompeii formidoloſa erat. Sed is Piſo, in provinciam, ab equitibus Hiſpanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occiſus eſt. Sunt qui ita dicant, imperia ejus injuſta, ſuperba, crudelia barbaros nequiviſſe pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeii veteres, fidoſque clientes, voluntate ejus Piſonem aggreſſos: numquam Hiſpanos præterea tale facinus feciſſe, ſed imperia ſæva multa antea perpeſſos. nos eam rem in medio relinquimus. De ſuperiori conjuratione ſatis dictum.

Catilina, ubi eos, quos paulo antè memoravi, conve-

conveniſſe videt; tametſi cum ſingulis multa ſæpe egerat; tamen, in rem fore credens univerſos appellare, & cohortari, in abditam partem ædium ſeceſſit; atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuſcemodi habuit.

Ni virtus, fideſque veſtra ſatis ſpectata mihi foret; nequiquam opportuna res cecidiſſet: ſpes magna dominationis in manibus fruſtra fuiſſet: neque, per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. ſed, quia multis, & magnis tempeſtatibus vos cognovi fortes, fidoſque mihi; eo animus auſus eſt maxumum, atque pulcherrumum facinus incipere; ſimul, quia vobis eadem, quæ mihi, bona, malaque eſſe intellexi. nam, idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt. Sed ego, quæ mente agitavi, omnes jam antea diverſi audiſtis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum conſidero, quæ conditio vitæ futura ſit, niſi noſmet ipſos vindicamus in libertatem. nam, poſtquam reſp. in paucorum potentium jus, atque ditionem conceſſit, ſemper illis reges, tetrarchæ vectigales eſſe: populi, nationes, ſtipendia pendere: ceteri omnes, ſtrenui, boni, nobiles, atque ignobiles, vulgus fuimus, ſine gratia, ſine auctoritate, his obnoxii, quibus, ſi reſp. valeret, formidini eſſemus. itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos ſunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquerunt pericula, repulſas, judicia, egeſtatem. quæ quouſque tandem patiemini fortiſſumi viri? nonne emori per virtutem præſtat, quam vitam miſeram, atque inhoneſtam, ubi alienæ ſuperbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero, pro deûm atque hominum fidem, victoria in manu nobis eſt: viget ætas: animus valet. contra illis, annis, atque divitiis, omnia conſenuerunt. tantummodo incœpto

opus

opus eſt: cetera res expediet. etenim quis mortalium, cui virile ingenium eſt, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe? illos binas, aut amplius domos continuare; nobis larem familiarem nuſquam ullum eſſe? cum tabulas, ſigna, toreumata emunt, nova diruunt, alia ædificant: poſtremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen ſumma lubidine divitias ſuas vincere nequeunt. at nobis eſt domi inopia, foris æs alienum; mala res, ſpes multo aſperior. denique quid reliqui habemus, præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? en illa, illa, quam ſæpe optaſtis, libertas; præterea divitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt. fortuna ea omnia victoribus præmia poſuit. res, tempus, pericula, egeſtas, belli ſpolia magnifica, magis quàm oratio mea, vos hortentur. vel imperatore, vel milite me utemini. neque animus, neque corpus à vobis aberit. hæc ipſa ut ſpero vobiſcum unà conſul agam: niſi forte me animus fallit, & vos ſervire magis, quàm imperare, parati eſtis.

Poſtquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, ſed neque res, neque ſpes bona ulla: tametſi illis, quieta movere, magna merces videbatur; tamen poſtulare plerique, uti proponeret, quæ conditio belli foret: quæ armis præmia peterent: quid ubique opis, aut ſpei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proſcriptionem locupletium, magiſtratus, ſacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum, atque lubido victorum fert: præterea, eſſe in Hiſpania citeriore Piſonem, in Mauritania cum exercitu P. Sitium Nucerinum, conſilii ſui participes: petere conſulatum C. Antonium, quem ſibi collegam fore ſpe-

re ſperaret hominem & familiarem, & omnibus neceſſitudinibus circumventum: cum eo conſuſulem ſe initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpabat omnis bonos: ſuorum unumquemque nominans, laudare, admonere alium egeſtatis, alium cupiditatis ſuæ, complures periculi, aut ignominiæ, multos victoriæ Sullanæ, quibus ea prædæ fuerat. Poſtquam omnium animos alacris videt; cohortatus, ut petitionem ſuam curæ haberent, conventum dimiſit. Fuere ea tempeſtate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad jusjurandum populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtuliſſe; inde, cum poſt exſecrationem omnes deguſtaviſſent, ſicuti in ſollemnibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum; atque eo dictitare feciſſe, quo inter ſe magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conſcii. non nulli ficta & hæc, & multa præterea exiſtumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quæ poſtea orta eſt, leniri credebant atrocitate ſceleris eorum qui pœnas dederant. nobis ea res pro magnitudine parum comperta eſt. Sed in ea conjuratione fuit Q. Curius, natus haud obſcuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus: quem cenſores ſenatu probri gratia moverant. huic homini non minor vanitas inerat, quam audacia. neque reticere, quæ audierat, neque ſuamet ipſe ſcelera occultare; prorſus neque dicere, neque facere, quicquam penſi habebat. erat ei cum Fulvia, muliere nobili, ſtupri vetus conſuetudo. cui cum minus gratus eſſet, quod inopia minus largiri poterat, repente glorians, maria, montiſque polliceri, minari interdum ferro, ni ſibi obnoxia foret: poſtremo, ferocius agitare, quam ſolitus erat. At Fulvia,

Fulvia, inſolentiæ Curii cauſſa cognita, tale periculum reip. haud occultum habuit; ſed, ſublato auctore, de Catilinæ conjuratione, quæ quo modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. namque antea pleraque nobilitas invidia æſtuabat, & quaſi pollui conſulatum credebat, ſi eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. ſed, ubi periculum advenit, invidia, atque ſuperbia poſt fuere. Igitur, comitiis habitis, conſules declarantur M. Tullius, & C. Antonius. quod factum primo populares conjurationis concuſſerat. neque tamen Catilinæ furor minuebatur; ſed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, ſua, aut amicorum fide ſumtam mutuam, Fæſulas ad Mallium quemdam portare; qui poſtea princeps fuit belli faciundi. Ea tempeſtate plurimos cujuſque generis homines adſciviſſe ſibi dicitur; mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentis ſumtus ſtupro corporis toleraverant: poſt, ubi ætas tantummodo quæſtui, neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflaverant. per eas ſe Catilina credebat poſſe ſervitia urbana ſolicitare, urbem incendere, viros earum vel adjungere ſibi, vel interficere. ſed in his erat Sempronia, quæ multa ſæpe virilis audaciæ facinora commiſerat. hæc mulier genere atque forma, præterea viro atque liberis ſatis fortunata fuit: litteris Græcis & Latinis docta; pſallere; ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probæ: multa alia, quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt, ſed ei cariora ſemper omnia, quam decus, atque pudicitia fuit. pecuniæ, an famæ minus parceret, haud facile diſcerneres; lubidine ſic accenſa, ut ſæpius peteret viros,

viros, quam peteretur. ſed ea ſæpe ante hac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, cædis conſcia fuerat, luxuria atque inopia præceps abierat. verum ingenium ejus haud abſurdum: poſſe verſus facere; jocum movere; ſermone uti vel modeſto, vel molli vel procaci. prorſus multæ facetiæ, multuſque lepos inerat. His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum conſulatum petebat; ſperans, ſi deſignatus foret, facile ſe ex voluntate Antonio uſurum. neque interea quietus erat, ſed omnibus modis inſidias parabat Ciceroni. neque illi tamen ad cavendum dolus, aut aſtutiæ deerant. namque à principio conſulatus ſui, multa per Fulviam pollicendo, effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, conſilia Catilinæ ſibi proderet. ad hoc, collegam ſuum Antonium pactione provinciæ perpulerat, ne contra remp. ſentiret: circum ſe præſidia amicorum, atque clientium occulte habebat. Poſtquam dies comitiorum venit, & Catilinæ neque petitio, neque inſidiæ, quas conſuli fecerat, proſpere ceſſere; conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri; quoniam, quæ occulte tentaverat, aſpera, fœdaque evenerant. Igitur C. Mallium Fæſulas, atque in eam partem Etruriæ, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimiſit, præterea alium alio, quem ubique opportunum ſibi fore credebat. interea Romæ multa ſimul moliri: conſuli inſidias tendere: parare incendia: opportuna loca armatis hominibus obſidere: ipſe cum telo eſſe, item alios jubere, hortari, uti ſemper intenti, paratique eſſent: dies, noctesque feſtinare: vigilare, neque inſomniis, neque labore fatigari. poſtremo, ubi multa agitanti nihil procedit, rurſus intempeſta
nocte

nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Læcam: ibique multa de ignavia eorum queſtus, docet ſe præmiſiſſe Mallium ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; ſeque ad exercitum proficiſci cupere, ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet: eum ſuis conſiliis multum officere. Igitur, perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam ſuam pollicitus, & cum eo L. Vargunteius ſenator, conſtituere ea nocte paulo poſt, cum armatis hominibus, ſicuti ſalutatum introire ad Ciceronem, & de improviſo domi ſuæ imparatum confodere. Curius, ubi intellegit, quantum periculum conſuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. ita illi janua prohibiti, tantum facinus fruſtra ſuſceperant. Interea Mallius in Etruria plebem ſolicitare, egeſtate ſimul, ac dolore injuriæ, novarum rerum cupidam; quod Sullæ dominatione, agros, bonaque omnia amiſerat; præterea, latrones cujusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, non nullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant. Ea cum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab inſidiis privato conſilio longius tueri poterat, neque exercitus Mallii quantus, aut quo conſilio foret, ſatis compertum habebat, rem ad ſenatum refert, jam antea vulgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, ſenatus decrevit, darent operam conſules, ne quid reſpubl. detrimenti caperet. ea poteſtas per ſenatum, more Romano, magiſtratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus

modis

modis ſocios, atque civis: domi, militiæque imperium, atque judicium ſummum habere. aliter, ſine populi juſſu, nulli earum rerum conſuli jus eſt. Poſt paucos dies L. Senius ſenator in ſenatu litteras recitavit, quas Fæſulis allatas ſibi dicebat; in quibus ſcriptum erat, C. Mallium arma cepiſſe, cum magna multitudine ante diem VI. Kal. Nov. ſimul, id quod in tali re ſolet, alii portenta atque prodigia nunciabant: alii, conventus fieri, arma portari, Capuæ, atque in Apulia ſervile bellum moveri. Igitur ſenati decreto Q. Marcius Rex Fæſulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam, circumque ea loca miſſi. hi utrique ad urbem imperatores erant impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honeſta, atque inhoneſta vendere mos erat. ſed prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum: hisque permiſſum, uti pro tempore, atque periculo exercitum compararent. ad hoc, ſi quis indicaſſet de conjuratione, quæ contra remp. facta erat, præmium, ſervo libertatem & H-S C. libero impunitatem ejus rei, & H-S CC. itemque decrevere, uti familiæ gladiatoriæ Capuam, & in cetera municipia diſtribuerentur pro cujusque opibus; Romæ per totam urbem vigiliæ haberentur, eisque minores magiſtratus præeſſent. Quibus rebus permota civitas, atque immutata facies urbis erat: ex ſumma lætitia, atque laſcivia, quæ diuturna quies pepererat, repente omnis triſtitia invaſit. feſtinare, trepidare. neque loco, neque homini cuiquam ſatis credere: neque bellum gerere, neque pacem habere: ſuo quiſque metu pericula metiri. ad hoc, mulieres, quibus pro reip. magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat, afflictare ſeſe; manus ſupplices ad cælum tendere; miſerari

parvos

parvos liberos; rogitare; omnia pavere: ſuperbia, atque deliciis omiſſis, ſibi patriæque diffidere. At Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat, tametſi præſidia parabantur; & ipſe lege Plautia interrogatus erat ab L.Paulo. poſtremo, diſſimulandi cauſſa, & quaſi ſui expurgandi, ſicuti jurgio laceſſitus foret, in ſenatum venit. tum M. Tullius conſul, ſive præſentiam ejus timens, ſive ira commotus, orationem habuit luculentam, atque utilem reip. quam poſtea ſcriptam edidit. Sed ubi ille aſſedit, Catilina, ut erat paratus ad diſſimulanda omnia, demiſſo vultu, voce ſupplici, poſtulare à patribus, ne quid de ſe temere crederent: ea familia ortum, ita ab adoleſcentia vitam inſtituiſſe, ut omnia bona in ſpe haberet: ne exiſtumarent, ſibi patricio homini, cujus ipſius, atque majorum plurima beneficia in plebem R. eſſent, perdita repub. opus eſſe; cum eam ſervaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ. ad hoc, maledicta alia cum adderet; obſtrepere omnes; hoſtem, atque parricidam vocare. tum ille furibundus: *Quoniam quidem circumventus*, inquit, *ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina exſtinguam.* Dein ſe ex curia domum proripuit. ibi multa ſecum ipſe volvens, quod neque inſidiæ conſuli procedebant, & ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam, optumum factu credens exercitum augere, ac prius, quam legiones ſcriberentur, multa ante capere quæ bello uſui forent, nocte intempeſta cum paucis in Malliana caſtra profectus eſt. ſed Cethego, atque Lentulo, ceteriſque, quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus poſſent, opes factionis confirment, inſidias conſuli maturent; cædem, incendia, aliaque belli facinora parent: ſeſe propediem cum

magno

magno exercitu ad urbem acceſſurum. Dum hæc Romæ geruntur, C. Mallius ex ſuo numero legatos ad Q. Marcium Regem mittit, cum mandatis hujusmodi:

DEOS, *hominesque teſtamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepiſſe, neque quo periculum aliis faceremus, ſed uti corpora noſtra ab injuria tuta forent: qui miſeri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum, plerique patria, ſed omnes fama, atque fortunis expertes ſumus: neque cuiquam noſtrum licuit, more majorum, lege uti, neque, amiſſo patrimonio, corpus liberum habere: tanta ſævitia feneratorum, atque prætoris fuit. ſæpe majores veſtrum miſeriti plebis R. decretis ſuis inopiæ ejus opitulati ſunt: ac noviſſume, memoria noſtra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære ſolutum eſt. ſæpe ipſa plebes, aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbia magiſtratuum armata, à patribus ſeceſsit. at nos non imperium, neque divitias petimus; quarum rerum cauſſa, bella, atque certamina omnia inter mortalis ſunt; ſed libertatem, quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul, amittit. Te, atque ſenatum obteſtamur, conſulatis miſeris civibus; legis præſidium, quod iniquitas prætoris eripuit, reſtituatis; neve nobis eam neceſsitudinem imponatis, ut quæramus, quonam modo, maxume ulti ſanguinem noſtrum, pereamus.*

Ad hæc, Q. Marcius reſpondit: ſi quid ab ſenatu petere vellent, ab armis diſcedant, Romam ſupplices proficiſcantur: ea miſericordia atque manſuetudine ſenatum, populumque Romanum ſemper fuiſſe, ut nemo umquam ab eo fruſtra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere pleriſque conſularibus, præterea optumo cuique litte-

ras mittit: ſe, falſis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum reſiſtere nequiverit, fortunæ cedere, Maſſiliam in exilium proficiſci; non quo ſibi tanti ſceleris conſcius eſſet; ſed uti reſp. quieta foret; neve ex ſua contentione ſeditio oriretur. Ab his longe diverſas litteras Q. Catulus in ſenatu recitavit; quas ſibi nomine Catilinæ redditas dicebat. earum exemplum infra ſcriptum eſt.

L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides, re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meæ tribuit. quamobrem defenſionem in conſilio novo non ſtatui parare: ſatisfactionem ex nulla conſcientia de culpa proponere decrevi: quæ medius fidius licet vera mecum recognoſcas. Injuriis, contumeliisque concitatus, quod, fructu laboris induſtriaque meæ privatus, ſtatum dignitatis non obtinebam, publicam miſerorum cauſam pro mea conſuetudine ſuſcepi: non, quin æs alienum meis nominibus ex poſſeſſionibus ſolvere poſſem; cum & aliis nominibus liberalitas Aureliæ Oreſtillæ, ſuis, filiæque copiis perſolveret: ſed, quod non dignos homines honore honeſtatos videbam, meque falſa ſuſpicione alienatum eſſe ſentiebam; hoc nomine ſatis honeſtas pro meo caſu ſpes reliquæ dignitatis conſervandæ ſum ſecutus. Plura cum ſcribere vellem, nunciatum eſt mihi vim parari. nunc Oreſtillam tibi commendo, tuæque fidei trado. eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. haveto.

Sed ipſe, paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Reatino, dum vicinitatem antea ſolicitatam armis exornat, cum faſcibus, atque aliis imperii inſignibus in caſtra ad Mallium contendit. Hæc ubi Romæ comperta ſunt; ſenatus Catili-

Catilinam, & Mallium hoſtes judicat; ceteræ multitudini diem ſtatuit, ante quam liceret ſine fraude ab armis diſcedere, præter rerum capitalium condemnatis. præterea, decernit, uti conſules delectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam perſequi maturet; Cicero urbi præſidio ſit. Ea tempeſtate mihi imperium populi R. multo maxume miſerabile viſum eſt: cui cum ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis parerent, domi otium, atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent; fuere tamen cives, qui ſeque, remque publicam obſtinatis animis perditum irent. namque, duobus ſenati decretis, ex tanta multitudine, neque premio inductus conjurationem patefecerat, neque ex caſtris Catilinæ quiſquam omnium diſceſſerat. tanta vis morbi, atque uti tabes pleroſque civium animos invaſerat. neque ſolum illis aliena mens erat, qui conſcii conjurationis fuerant, ſed omnino cuncta plebes, novarum rerum ſtudio, Catilinæ incœpta probabat. id adeo more ſuo videbatur facere. nam ſemper in civitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent; turba, atque ſeditionibus ſine cura aluntur: quoniam egeſtas facile habetur ſine damno. Sed urbana plebes ea vero præceps ierat multis de cauſſis. Primum omnium, qui ubique probro, atque petulantia maxume præſtabant; item alii, per dedecora, patrimoniis amiſſis; poſtremo omnes, quos flagitium, aut facinus domo expulerat, hi Romam, ſicuti in ſentinam, confluxerant. dein multi, memores Sullanæ victorię, quod ex gregariis militibus alios ſenatores videbant, alios ita divites, ut regio victu, atque cultu ætatem

tem agerent, ſibi quisque, ſi in armis foret, ex victoria talia ſperabat. præterea juventus, quæ in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat. eos, atque alios omnis malum publicum alebat. quo minus mirandum eſt, homines egentis, malis moribus, maxuma ſpe, reip. juxta ac ſibi conſuluiſſe. præterea quorum, victoria Sullæ, parentes proſcripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud ſane alio animo belli eventum exſpectabant. ad hoc, quicumque aliarum, atque ſenatus, partium erant, conturbari remp. quam minus valere ipſi malebant. id adeo malum multos poſt annos in civitatem reverterat. Nam poſtquam Cn. Pompeio, & M. Craſſo coſs. tribunitia poteſtas reſtituta eſt; homines adoleſcentes, ſummam poteſtatem nacti, quibus ætas, animusque ferox erat, cœpere, ſenatum criminando, plebem exagitare; dein largiundo, atque pollicitando magis incendere; ita ipſi clari, potentesque fieri. contra eos ſumma ope nitebatur pleraque nobilitas, ſenatus ſub ſpecie, pro ſua magnitudine. namque uti paucis verum abſolvam, per illa tempora quicumque rempub. agitavere, honeſtis nominibus, alii, ſicuti jura populi defenderent, pars, quo ſenatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quisque potentia certabant: neque illis modeſtia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant. Sed, poſtquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum, atque Mithridaticum miſſus eſt; plebis opes imminutæ; paucorum potentia crevit. hi magiſtratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipſi innoxii, florentes, ſine metu ætatem agere,

ceterosque judiciis terrere, quo plebem in magiſtratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandis ſpes oblata eſt, vetus certamen animos eorum arrexit. quod ſi primo prœlio Catilina ſuperior, aut æqua manu diſceſſiſſet; profecto magna clades, atque calamitas remp. oppreſſiſſet; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuiſſet; quin defeſſis & exſanguibus, qui plus poſſet, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra conjurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti ſunt. in his erat Fulvius, ſenatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari juſſit. Iiſdem temporibus Romæ Lentulus, ſicuti Catilina præceperat, quoſcumque moribus, aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per ſe, aut per alios ſolicitabat; neque ſolum cives, ſed cujuscumque modi genus hominum, quod modo uſui bello foret. Igitur P. Vmbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat; eosque, ſi poſſit, impellat ad ſocietatem belli; exiſtumans publice, privatimque ære alieno oppreſſos, præterea quod natura gens Gallica bellicoſa eſſet, facile ad tale conſilium adduci poſſe. Vmbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatum notus erat, atque eos noverat: itaque ſine mora, ubi primum legatos in foro conſpexit, percunctatus pauca de ſtatu civitatis, & quaſi dolens ejus caſum, requirere cœpit, quem exitum tantis malis ſperarent. Poſtquam illos videt queri de avaritia magiſtratuum, accuſare ſenatum, quod in eo auxilii nihil eſſet; miſeriis ſuis remedium mortem exſpectare: *At ego, inquit, vobis, ſi modo viri eſſe vultis, rationem oſtendam, qua tanta mala iſta effugiatis.*

B Hæc

Hæc ubi dixit; Allobroges, in ſpem maxumam adducti, Vmbrenum orare, uti ſui miſereretur: nihil tam aſperum, neque tam difficile eſſe, quod non cupidiſſume facturi eſſent, dum ea res civitatem ære alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit; quod foro propinqua erat, neque aliena conſilii, propter Semproniam. nam tum Brutus ab Roma aberat. Præterea Gabinium acceſſit, quo major auctoritas ſermoni ineſſet. eo præſente conjurationem aperit: nominat ſocios, præterea multos cujuſque generis innoxios; quo legatis animus amplior eſſet: dein eos, pollicitos operam ſuam, domum dimittit. Sed Allobroges diu in incertum habuere, quidnam conſilii caperent. In altera parte erat æs alienum, ſtudium belli, magna merces in ſpe victoriæ: at in altera majores opes, tuta conſilia, pro incerta ſpe certa præmia. Hæc illis volventibus, tandem vicit fortuna reip. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus potrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam conſilio cognito, legatis præcepit, ut ſtudium conjurationis vehementer ſimulent; ceteros adeant; bene polliceantur; dentque operam, ut eos quam maxume manifeſtos habeant. Iiſdem fere temporibus, in Gallia citeriore, atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos ante Catilina dimiſerat, inconſulte, ac veluti per dementiam cuncta ſimul agere: nocturnis conſiliis, armorum, atque telorum portationibus, feſtinando, agitando omnia, plus timoris, quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor, ex ſociis cauſſa cognita, in vincula conjecerat; item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat.

erat. At Romæ Lentulus cum cæteris, qui principes conjurationis erant, paratis, uti videbatur, magnis copiis, conſtituerat, uti, cum Catilina in agrum Fæſulanum cum exercitu veniſſet, L. Beſtia tribunus pl. concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique graviſſumi invidiam optumo conſuli imponeret; eo ſigno, proxuma nocte cetera multitudo conjurationis ſuum quisque negotium exequeretur. Sed ea diviſa hoc modo dicebantur: Statilius, & Gabinius uti cum magna manu duodecim ſimul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad conſulem, ceterosque, quibus inſidiæ parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obſideret, eumque vi aggrederetur, alius autem alium; ſed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; ſimul, cæde, & incendio perculſis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter hæc parata, atque decreta, Cethegus ſemper querebatur de ignavia ſociorum: illos, dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere; facto, non conſulto, in tali periculo opus eſſe: ſeque, ſi pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. natura ferox, vehemens, manu promtus erat: maxumum bonum in celeritate putabat. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Caſſio poſtulant jusjurandum, quod ſignatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli poſſe. ceteri nihil ſuſpicantes dant: Caſſius ſemet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiſcitur. Lentulus cum his T. Volturtium quemdam Crotonienſem mittit; ut Allobroges, prius

quam domum pergerent cum Catilina, data atque accepta fide, ſocietatem confirmarent. ipſe Volturtio litteras ad Catilinam dat: quarũ exemplum infra ſcriptum eſt:

Qui ſim, ex eo, quem ad te miſi, cognoſces. Fac cogites, in quanta calamitate ſis, & memineris, te virum eſſe: conſideres, quid tuæ rationes poſtulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.

Ad hoc, mandata verbis dat: cum ab ſenatu hoſtis judicatus ſit, quo conſilio ſervitia repudiet: in urbe parata eſſe, quæ juſſerit: ne cunctetur ipſe propius accedere. His rebus ita actis, conſtituta nocte, qua proficiſcerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco, & C. Pomptino prætoribus imperat, ut in ponte Mulvio per inſidias Allobrogum comitatus deprehendant: rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur: cetera, uti facto opus ſit, ita agant. Homines militares, ſine tumultu præſidiis collocatis, ſicuti præceptum erat, occulte pontem obſident. Poſtquam ad id loci legati cum Volturtio venere, ſimul utrimque clamor exortus eſt: Galli, cito cognito conſilio, ſine mora prætoribus ſe tradunt. Volturtius primo, cohortatus ceteros, gladio ſe à multitudine defendit; dein, ubi à legatis deſertus eſt, multa prius de ſalute ſua Pomptinum obteſtatus, quod ei notus erat, poſtremo timidus, ac vitæ diffidens, velut hoſtibus, ſeſe prætoribus dedit. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuncios conſuli declarantur. at illum ingens cura atque lætitia ſimul occupavere. conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam eſſe: porro autem anxius erat, in maxumo ſcelere tantis civibus deprehenſis, quid facto opus eſſet; pœnam illorum ſibi oneri, impunitatem perdundæ

reip.

reip. fore. igitur confirmato animo, vocari ad ſeſe jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Ceparium Terracinenſem; qui in Apuliam ad concitanda ſervitia proficiſci parabat. ceteri ſine mora veniunt. Ceparius, paulo ante domo egreſſus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Conſul Lentulum, quod prætor erat, ipſe manu tenens in ſenatum perducit; reliquos cum cuſtodibus in ædem Concordiæ venire jubet. eo ſenatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis Volturtium cum legatis introducit; Flaccum prætorem ſcrinium cum litteris, quas à legatis acceperat, eodem adferre jubet. Volturtius interrogatus de itinere, de litteris, poſtremo quid, aut qua de cauſſa, conſilii habuiſſet; primo fingere alia omnia, diſſimulare de conjuratione; poſt, ubi fide publica dicere juſſus eſt, omnia, uti geſta erant, aperit: ſe paucis ante diebus à Gabinio, & Cepario ſocium aſſcitum: nihil amplius ſcire, quam legatos: tantummodo audire ſolitum ex Gabinio, P. Autronium, Ser. Sullam, L. Varguntеium, multos præterea in ea conjuratione eſſe. eadē Galli fatentur: at Lentulum diſſimulantem coarguunt, præter litteras, ſermonibus, quos ille habere ſolitus erat, ex libris Sibyllinis, regnum Romæ tribus Corneliis portendi: Cinnam, atque Sullam antea; ſe tertium eſſe, cui fatum foret urbis potiri; præterea, ab incenſo Capitolio illum eſſe vigeſimum annum, quem ſæpe ex prodigiis haruſpices reſpondiſſent bello civili cruentum fore. Igitur, perlectis litteris, cum prius omnes ſigna ſua cognoviſſent, ſenatus decernit, ut, abdicato magiſtratu, Lentulus, itemque ceteri in liberis cuſtodiis habeantur. itaque Lentulus. P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethe-

gus Q. Cornificio, Statilius C. Cæſari, Gabinius M. Craſſo, Ceparius (nam is paulo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio ſenatori traduntur. Interea plebes, conjuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinæ conſilia exſecrari, Ciceronem ad cælum tollere, velut ex ſervitute erepta, gaudium atque lætitiam agitabat. Namque alia belli facinora prædæ magis, quam detrimento fore, incendium vero crudele, immoderatum, ac ſibi maxume calamitoſum putabat; quippe cui omnes copiæ in uſu quotidiano, & cultu corporis erant. Poſt eum diem quidam L. Tarquinius ad ſenatum adductus erat: quem, ad Catilinam proficiſcentem, ex itinere retractum ajebant. Is cum ſe diceret de conjuratione indicaturum, ſi fides publica data eſſet; juſſus à conſule, quæ ſciret, edicere, eadem fere, quæ Volturtius, de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hoſtium, ſenatum edocet: præterea, ſe miſſum à M. Craſſo, qui Catilinæ nunciaret, ne eum Lentulus, & Cethegus, aliique ex conjuratione deprehenſi terrerent; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo & ceterorum animos reficeret, & illi facilius è periculo eriperentur. Sed, ubi Tarquinius Craſſum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, ſumma potentia; alii rem incredibilem rati; pars, tametſi verum exiſtumabāt, tamen, quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda, quam exagitanda, videbatur, plerique Craſſo ex negotiis privatis obnoxii, conclamant, indicem falſum eſſe; deque ea re poſtulant uti referatur. Itaque, Cicerone conſulente, frequens ſenatus decernit, Tarquinii indicium falſum videri, eumque in vinculis retinendum; neque

que amplius poteſtatem faciundam, niſi de eo indicaret, cujus conſilio tantam rem eſſet mentitus. Erant eo tempore, qui exiſtumarent, indicium illud à P. Autronio machinatum; quo facilius, appellato Craſſo, per ſocietatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium à Cicerone immiſſum ajebant, ne Craſſus, more ſuo, ſuſcepto malorum patrocinio, remp. conturbaret. Ipſum Craſſum ego poſtea prædicantem audivi, tantam illam contumeliam ſibi ab Cicerone impoſitam. Sed iiſdem temporibus Q. Catulus, & C. Piſo neque gratia, neque precibus, neque precio Ciceronem impellere quivere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Cæſar falſo nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant; Piſo, oppugnatus in judicio repetundarum, propter cujuſdam tranſpadani ſupplicium injuſtum; Catulus, ex petitione pontificatus odio incenſus; quod, extrema ætate, maxumis honoribus uſus, ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat. Res autem opportuna videbatur; quod is, privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus, grandem pecuniam debebat. Sed ubi conſulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipſi ſingillatim circumeundo, atque ementiendo quæ ſe ex Volturtio, aut Allobrogibus audiſſe dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; uſque adeo, uti non nulli equites R. qui præſidii cauſa cum telis erant circum ædem Concordiæ, ſeu periculi magnitudine, ſeu animi mobilitate impulſi, quo ſtudium ſuum in remp. clarius eſſet, egredienti ex ſenatu Cæſari gladio minitarentur. Dum hæc in ſenatu aguntur, & dum legatis Allobrogum, & T. Volturtio, comprobato eorum indicio, præmia decernuntur: liberti, & pauci ex clientibus Lentuli,

tuli, diverſis itineribus, opifices, atque ſervitia in vicis ad eum eripiendum ſolicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui precio rempub. vexare ſoliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam, atque libertos ſuos, lectos, & exercitatos in audaciam, orabat, uti, grege facto, cum telis ad ſeſe irrumperent. Conſul, ubi ea parari cognovit, diſpoſitis præſidiis, uti res atque tempus monebat, convocato ſenatu refert, quid de his fieri placeat, qui in cuſtodiam traditi erant. ſed eos paulo ante frequens ſenatus judicaverat contra remp. feciſſe. tum D. Iunius Silanus, primus ſententiam rogatus, quod eo tempore conſul deſignatus erat, de his, qui in cuſtodiis tenebantur, & præterea de L. Caſſio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, ſi deprehenſi forent, ſupplicium ſumendum decreverat: iſque poſtea, permotus oratione C. Cæſaris, pedibus in ſententiam Ti. Neronis iturum ſe dixerat; quod de ea re, præſidiis abditis, referundum cenſuerat. Sed Cæſar, ubi ad eum ventum eſt, rogatus ſententiam à conſule, hujuſcemodi verba locutus eſt.

Omnis homines, P. C. qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt; neque quiſquam omnium lubidini ſimul & uſui paruit. ubi intenderis ingenium, valet. ſi lubido poſſidet, ea dominatur; animus nihil valet. Magna mihi copia eſt memorandi P.C. qui reges, aut qui populi, ira, aut miſericordia impulſi, male conſuluerint: ſed ea malo dicere, quæ majores noſtri contra lubidinem animi ſui, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perſe geſſimus, Rhodiorum civitas, magna, atque magnifica, quæ populi R. opibus creverat, infida, atque

adverſa

adverſa nobis fuit: ſed poſtquam, bello confecto, de Rhodiis conſultum eſt, majores noſtri, ne quis divitiarum magis, quam injuriæ bellum incœptum diceret, impunitos eos dimiſere. item bellis Punicis omnibus, cum ſæpe Carthaginienſes & in pace, & per inducias multa nefanda facinora feciſſent, numquam ipſi per occaſionem talia fecere: magis, quod ſe dignum foret, quam quod in illos jure fieri poſſet, quærebant. Hoc item vobis providendum eſt P. C. ne plus valeat apud vos P. Lentuli, & ceterorum ſcelus, quam veſtra dignitas; neu magis iræ veſtræ, quam famæ, conſulatis. Nam ſi digna pœna pro factis eorum reperitur, novum conſilium approbo: ſin magnitudo ſceleris omnium ingenia exſuperat; iis utendum cenſeo, quæ legibus comparata ſunt. Plerique eorum, qui ante me ſententias dixerunt, compoſite atque magnifice caſum reip. miſerati ſunt: quæ belli ſævitia eſſet, quæ victis acciderent, enumeravere, rapi virgines, pueros; divelli liberos à parentum complexu; matres familiarum pati, quæ victoribus collibuiſſent; fana, atque domos exſpoliari; cædem, incendia fieri; poſtremo armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infeſtos conjurationi faceret? ſcilicet, quem res tanta, atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita eſt: neque cuiquam mortalium injuriæ ſuæ parvæ videntur: multi eas gravius æquo habuere. ſed alia aliis licentia eſt, P. C. qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia deliquere, pauci ſciunt; fama, atque fortuna eorum pares ſunt: qui, magno imperio præditi, in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novêre. Ita in maxuma fortuna minuma licentia eſt. neque ſtudere, neque odiſſe, ſed minume iraſci de-

ſci decet. *Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia, atque crudelitas appellatur. Equidem ego ſic exiſtumo, P. C. omnis cruciatus minores, quam facinora illorum, eſſe. ſed plerique mortales poſtrema meminere; & in hominibus impiis, ſceleris eorum obliti, de pœna diſſerunt, ſi ea paulo ſeverior fuerit. D. Silanum, virum fortem atque ſtrenuum, certe ſcio, quæ dixerit, ſtudio reip. dixiſſe, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. eos mores, eamque modeſtiam viri cognovi. Verum ſententia ejus mihi non crudelis, (quid enim in talis homines crudele fieri poteſt?) ſed aliena à rep. noſtra videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria te ſubegit, Silane, conſulem deſignatum, genus pœnæ novum decernere. De timore, ſupervacaneum eſt diſſerere, cum præſenti diligentia clariſſumi viri conſulis, tanta præſidia ſint in armis. De pœna, poſſum equidem dicere id quod res habet; in luctu, atque miſeriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum, eſſe; eam cuncta mortalium mala diſſolvere; ultra neque curæ, neque gaudio locum eſſe. Sed, per deos immortalis, quamobrem in ſententiam non addidiſti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an, quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, ſed exſilium permitti jubent. an quia gravius eſt verberari, quam necari? quid autem acerbum, aut nimis grave eſt in homines tanti facinoris convictos? ſin, quia levius eſt: qui convenit in minore negotio legem obſervare, cum eam in majore neglexeris? At enim quis reprehendat, quod in parricidas reip. decretum erit? tempus, dies, fortuna; cujus lubido gentibus moderatur. illis merito accidet, quidquid evenerit: ceterum vos P. C. quid in alios ſtatuatis, conſiderate.*

omnia mala exempla ex bonis initiis orta ſunt: ſed, ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis, & idoneis ad indignos, & non idoneos transfertur. Lacedæmonii, devictis Athenienſibus, triginta viros impoſuêre, qui rempub. tractarent. Hi primo cœpêre peſſumum quemque, & omnibus inviſum indemnatum necare. eo populus lætari, & merito dicere fieri. poſt, ubi paullatim licentia crevit; juxta bonos & malos lubidinoſe interficere, ceteros metu terrere. ita civitas, ſervitute oppreſſa, ſtultæ lætitiæ gravis pœnas dedit. Noſtra memoria victor Sulla, cum Damaſippum, & alios hujusmodi, qui malo reip. creverant, jugulari juſſit, quis non factum ejus laudabat? Homines ſceleſtos, & factioſos, qui ſeditionibus remp. exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Namque, uti quisque domum, aut villam, poſtremo aut vas, aut veſtimentum alicujus concupiverat, dabat operam, ut is in proſcriptorum numero eſſet. Ita illi, quibus Damaſippi mors lætitiæ fuerat, paulo poſt ipſi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnis ſuos divitiis explevit. Atque ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor. Sed in magna civitate multa & varia ingenia ſunt. poteſt alio tempore, alio conſule, cui item exercitus in manu ſit, falſum aliquid pro vero credi. Vbi hoc exemplo, per ſenatus decretum, conſul gladium eduxerit; quis illi finem ſtatuet, aut quis moderabitur? Majores noſtri P.C. neque conſilii, neque audaciæ umquam eguere: neque ſuperbia obſtabat, quo minus inſtituta aliena, ſi modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, inſignia magiſtratuum ab Tuſcis pleraque ſumſerunt: poſtremo, quod ubique apud

ſocios,

ſocios, aut hoſtis idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exſequebantur: imitari, quam invidere bonis, malebant. Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in civis, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſtquam reſpub. adolevit, & multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia hujuſcemodi fieri cœpere: tunc lex Porcia, aliaque leges paratæ ſunt; quibus legibus exſilium damnatis permiſſum eſt. Hanc ego cauſſam P.C. quo minus conſilium novum capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus, atque ſapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ? minume: ſed ita cenſeo; publicandas eorum pecunias; ipſos in vinculis habendos per municipia, quæ maxume opibus valent: neu quis de his poſtea ad ſenatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, ſenatum exiſtumare, eum contra remp. & ſalutem omnium facturum.

Poſtquam Cæſar dicendi finem fecit; ceteri verbo, alius alii varie aſſentiebantur: at M. Porcius Cato, rogatus ſententiam, hujuſcemodi orationem habuit.

Longe mihi alia mens eſt P. C. cum res, atque pericula noſtra conſidero, & cum ſententias non nullorum mecum ipſe reputo. illi mihi diſſeruiſſe videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris, atque focis ſuis bellum paravere. res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos ſtatuamus, conſultare. Nam cetera maleficia tum perſequare, ubi facta ſunt: hoc, niſi provideris, ne accidat; ubi evenit, fruſtra judicia implores. Capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortalis,

talis, vos ego appello, qui ſemper domos, villas, ſigna, tabulas veſtras pluris, quam remp. feciſtis: ſi iſta, cujuſcumque modi ſint, quæ amplexamini, retinere, ſi voluptatibus veſtris ocium præbere vultis: expergiſcimini aliquando, & capeſſite remp. Non agitur de vectigalibus, non de ſociorum injuriis: libertas, & anima noſtra in dubio eſt. Sæpenumero P.C. multa verba in hoc ordine feci: ſæpe de luxuria, atque avaritia noſtrorum civium queſtus ſum; multosque mortalis ea cauſſa advorſos habeo: qui mihi, atque animo meo nullius umquam delicti gratiam feciſſem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. ſed, ea tametſi vos parvi pendebatis; tamen reſp. firma erat: opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis ne, an malis moribus vivamus; neque, quantum, aut quam magnificum imperium populi R. ſit; ſed, hæc cujuſcumque modi videntur, noſtra, an, nobiſcum una, hoſtium futura ſint. Hic mihi quiſquam manſuetudinem, & miſericordiam nominat? jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus. quia, bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur; eo reſp. in extremo ſita eſt. Sint ſane, quoniam ita ſe mores habent, liberales ex ſociorum fortunis: ſint miſericordes in furibus ærarii: ne illi ſanguinem noſtrum largiantur; &, dum paucis ſceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene, & compoſite C. Cæſar paulo ante in hoc ordine de vita, & morte diſſeruit, credo falſa exiſtumans ea, quæ de inferis memorantur, diverſo itinere malos à bonis loca tætra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere. itaque cenſuit, pecunias eorum publicandas, ipſos per municipia in cuſtodiis habendos; videlicet, ne, ſi Romæ ſint, aut à popularibus conjurationis, aut à multi-

tudine

tudine conducta, per vim eripiantur. Quaſi vero mali, atque ſceleſti tantummodo in urbe, & non per totam Italiam ſint; aut non ibi plus poſſit audacia, ubi ad defendendum opes minores ſunt. Quare varum equidem hoc conſilium eſt, ſi periculum ex illis metuit. ſin in tanto omnium metu ſolus non timet; eo magis refert, me mihi, atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo, ceterisque ſtatuetis; pro certo habetote, vos ſimul de exercitu Catilinæ & de omnibus conjuratis decernere. quanto vos attentius ea agetis; tanto illis animus infirmior erit. ſi paullulum modo vos languere viderint; jam omnes feroces aderunt. Nolite exiſtumare, majores noſtros armis remp. ex parva magnam feciſſe. Si ita res eſſet; multo pulcherrumam eam nos haberemus. quippe ſociorum, atque civium, præterea armorum, atque equorum major copia nobis, quam illis, eſt. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecêre; quæ nobis nulla ſunt; domi induſtria, foris juſtum imperium; animus in conſulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam; publice egeſtatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, ſequimur inertiam: inter bonos & malos diſcrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirum; ubi vos ſeparatim ſibi quisque conſilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ ſervitis, eo fit, ut impetus fiat in vacuam remp. Sed ego hæc omitto. Conjuravere cives nobiliſſumi patriam incendere. Gallorum gentem, infeſtiſſumam nomini Romano, ad bellum arceſſunt: dux hoſtium cum exercitu ſupra caput eſt. Vos cunctamini etiam nunc, & dubitatis, quid, intra mœnia deprehenſis hoſtibus, faciatis? Miſereamini, cenſeo. Deliquêre homines adoleſcentuli per ambitionem; atque etiam

armatos

armatos dimittatis. na iſta vobis manſuetudo, & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vertet. Scilicet res ipſa aſpera eſt; ſed vos non timetis eam. immo vero maxume; ſed inertia & mollitia animi, alius alium exſpectantes, cunctamini, videlicet dis immortalibus confiſi, qui hanc remp. in maxumis ſæpe periculis ſervavere. Non votis, neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpere omnia cedunt. ubi ſocordiæ tete, atque ignaviæ tradideris; nequiquam deos implores. irati, infeſtique ſunt. Apud majores noſtros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium ſuum, quod is contra imperium in hoſtem pugnaverat, necari juſſit. atque ille egregius adoleſcens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit. Vos, de crudeliſſumis parricidis quid ſtatuatis, cunctamini? videlicet vita cetera eorum huic ſceleri obſtat. Verum parcite dignitati Lentuli, ſi ipſe pudicitiæ, ſi famæ ſuæ, ſi diis, aut hominibus umquam ullis pepercit. ignoſcite Cethegi adoleſcentiæ, niſi iterum jam patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus ſi quidquam penſi umquam fuiſſet, non ea conſilia de rep. habuiſſent. Poſtremo, P.C. ſi mehercle peccato locus eſſet, facile paterer vos ipſa re corrigi, quoniam verba contemnitis; ſed undique circumventi ſumus: Catilina cum exercitu faucibus urget: alii intra mœnia, atque in ſinu urbis ſunt hoſtes. neque parari, neque conſuli quidquam occulte poteſt: quo magis properandum eſt. Quare ita ego cenſeo; cum nefario conſilio ſceleratorum civium reſp. in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturtii, & legatorum Allobrogum convicti, confeſſique ſint, cædem, incendia, aliaque fœda atque crudelia facinora in civis, patriamque para-

paraviſſe; de confeſſis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, more majorum ſupplicium ſumendum.

Poſtquam Cato aſſedit; conſulares omnes, itemque ſenatus magna pars, ſententiam ejus laudant, virtutem animi ad cælum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato clarus atque magnus habetur: ſenati decretum fit, ſicut ille cenſuerat. Sed mihi, multa legenti, multa audienti, quæ populus R. domi, militiæque, mari, atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxume tanta negotia ſuſtinuiſſet. Sciebam ſæpenumero parva manu cum magnis legionibus hoſtium contendiſſe: cognoveram, parvis copiis bella geſta cum opulentis regibus: ad hoc, ſæpe fortunæ violentiam toleraſſe: facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuiſſe. Ac mihi, multa agitanti, conſtabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patraviſſe; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas ſuperaret. Sed, poſtquam luxu, atque deſidia civitas corrupta eſt; rurſus reſp. magnitudine ſua imperatorum, atque magiſtratum vitia ſuſtentabat; ac, ſicuti effeta parentum, multis tempeſtatibus haud ſane quiſquãRomæ virtute magnus fuit. ſed, memoria mea, ingenti virtute, diverſis moribus fuere viri duo, M. Cato, & C. Cæſar: quos, quoniam res obtulerat, ſilentio præterire non fuit conſilium, quin utriuſque naturam, & mores, quantum ingenio poſſem, aperirem. Igitur his genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par, item gloria, ſed alia alii. Cæſar beneficiis, ac munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato. ille manſuetudine, & miſericordia clarus factus: huic ſeveritas dignitatem addiderat. Cæſar, dando, ſublevando, ignoſcendo;

ſcendo; Cato, nihil largiundo, gloriam adeptus eſt. in altero miſeris perfugium; in altero malis pernicies. illius facilitas, hujus conſtantia laudabatur. poſtremo Cæſar in animum induxerat, laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, ſua neglegere; nihil denegare, quod dono dignum eſſet; ſibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus eniteſcere poſſet. At Catoni ſtudium modeſtiæ, decoris, ſed maxumè ſeveritatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioſo; ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat; eſſe, quam videri, bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis adſequebatur. Poſtquam uti dixi, ſenatus in Catonis ſententiam diſceſſit; conſul optumum factu ratus, noctem, quæ inſtabat, ante capere, ne quid eo ſpatio novaretur, triumviros, quæ ſupplicium poſtulabat, parare jubet: ipſe, præſidiis diſpoſitis, Lentulum in carcerem deducit: idem fit ceteris per prætores. Eſt in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paululum aſcenderis ad lævam, circiter XII. pedes humi depreſſus. eum muniunt undique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus vincta: ſed incultu, tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies. In eum locum poſtquam demiſſus Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregêre. Ita ille patricius, ex gente clariſſuma Corneliorum, qui conſulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus, factiſque ſuis exitum vitæ invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario eodem modo ſupplicium ſumtum eſt.

Dum ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia, quam ipſe adduxerat, & Mallius habuerat,

duas

duas legiones inſtituit; cohortes pro numero militum complet: dein, uti quiſque voluntarius, aut ex ſociis in caſtra venerat, æqualiter diſtribuerat; ac brevi ſpatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus millibus habuiſſet. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis inſtructa: ceteri, uti quemque caſus armaverat, ſparos, aut lanceas, alii præacutas ſudes portabant. Sed poſtquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere; modo ad urbem, modo in Galliam verſus caſtra movere; hoſtibus occaſionem pugnandi non dare. Sperabat propediem magnas copias ſe habiturum, ſi Romæ ſocii incepta patraviſſent. Interea ſervitia repudiabat, cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus conjurationis fretus; ſimul alienum ſuis rationibus videri, cauſſam civium cum ſervis fugitivis communicaſſe. Sed, poſtquam in caſtra nuncius pervenit, Romæ conjurationem patefactam, de Lentulo, & Cethego, ceteriſque, quos ſupra memoravi, ſupplicium ſumtum: plerique, quos ad bellum ſpes rapinarum, aut novarum rerum ſtudium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montis aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem abducit, eo conſilio, uti per tramites occulte profugeret in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præſidebat, ex difficultate rerum eadem illa exiſtumans, quæ ſupra diximus, Catilinam agitare. Igitur, ubi iter ejus ex perfugis cognovit, caſtra propere movit, ac ſub ipſis radicibus montium conſedit, qua illi deſcenſus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius longe aberat, utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam ſequeretur.

Sed

Sed Catilina, poſtquam videt montibus, atque copiis hoſtium ſeſe clauſum, in urbe res adverſas, neque fugæ, neque præſidii ullam ſpem; optumum factu ratus in tali re fortunam belli tentare, ſtatuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque concione advocata, hujuſcemodi orationem habuit.

Compertum ego habeo, milites, verba viris virtutem non addere; neque ex ignavo ſtrenuum, neq; fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujuſq; animo audacia natura, aut moribus ineſt, tanta in bello patere ſolet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequiquam hortere. timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; ſimul uti cauſſam conſilii mei aperirem. Scitis equidem, milites, ſocordia, atque ignavia Lentuli, quantam ipſi, nobisque cladem attulerit; quoq; modo, dum ex urbe præſidia opperior, in Galliam proficiſci nequiverim. Nunc vero, quo in loco res noſtræ ſint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hoſtium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obſtant: diutius in his locis eſſe, ſi maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egeſtas prohibet. Quocunque ire placet ferro iter aperiundum eſt. Quapropter vos moneo, uti forti, atque parato animo ſitis; &, cum prœlium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris veſtris portare. Si vincimus; omnia nobis tuta erunt: commeatus abunde, municipia, atque coloniæ patebunt. ſin metu ceſſerimus, eadem illa advorſa fient; neque locus, neque amicus quiſquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis, & illis neceſſitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis ſupervacaneum eſt

pro

pro potentia paucorum pugnare. quo audacius aggredimini, memores priſtinæ virtutis. Licuit vobis cum ſumma turpitudine in exſilio ætatem agere. potuiſtis non nulli Romæ, amiſsis bonis, alienas opes exſpectare. quia illa fœda, atque intoleranda viris videbantur, hæc ſequi decreviſtis. Si hæc relinquere vultis, audacia opus eſt. Nemo, niſi victor, pace bellum mutavit. Nam, in fuga ſalutem ſperare, cum arma, quîs corpus tegitur, ab hoſtibus avertere; ea vero dementia eſt. Semper in prœlio iis maxumum eſt periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Cum vos conſidero, milites; & cum facta veſtra æſtumo: magna me ſpes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus veſtra me hortantur; præterea neceſsitudo, quæ etiam timidos fortis facit. nam, multitudo hoſtium ne circumvenire queat, prohibent anguſtiæ loci. Quod ſi virtuti veſtræ fortuna inviderit, cavete, ne inulti animam amittatis; neu capti potius, ſicuti pecora, trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuoſam victoriam hoſtibus relinquatis.

Hæc ubi dixit; paullulum commoratus, ſigna canere jubet; atque inſtructos ordines in locum æquum deducit: dein, remotis omnium equis, quo militibus, exæquato periculo, animus amplior eſſet, ipſe pedes exercitum pro loco, atque copiis inſtruit. Nam, uti planities erat inter ſiniſtros montis, & ab dextera rupes aſpera, octo cohortes in fronte conſtituit; reliqua ſigna in ſubſidiis artius collocat. Ab his centuriones omnis & evocatos, præterea ex gregariis militibus optumè quemque armatum in primam aciem ſubducit. C. Mallium in dextra, Fæſulanum quemdam in ſiniſtra parte curare jubet: ipſe cum libertis,

&

& calonibus propter Aquilam adſiſtit; quam bello Cymbrico C. Marius in exercitu habuiſſe diceba-tur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus æger, quod prælio adeſſe nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumulti cauſſa conſcripſerat, in fronte, poſt eas ceterum exercitum in ſubſidiis locat. Ipſe equo circumiens, unumquemque nominans, appellat, hortatur, rogat, uti meminerint ſe contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris, atque focis ſuis cernere. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor cum magna gloria in exercitu fuerat, pleroſque ipſos, factaque eorum fortia noverat; ea cōmemorando, militum animos accendebat. Sed, ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba ſignum dat, cohortes paullatim incedere jubet. idem facit hoſtium exercitus. Poſtquam eo ventum eſt, unde á ferentariis prœlium committi poſſet; maxumo clamore, infeſtis ſignis concurrunt; pila omittunt; gladiis res geritur. Veterani, priſtinæ virtutis memores, cominus acriter inſtare, illi haud timidi reſiſtunt: maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie verſari: laborantibus ſuccurrere: integros pro ſauciis acceſſere: omnia providere: multum ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire: ſtrenui militis, & boni imperatoris officia ſimul exſequebatur. Petreius, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere; cohortem prætoriam in medios hoſtis inducit; eoſque perturbatos, atque alios alibi reſiſtentes, interficit: deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. Mallius, & Fæſulanus in primis pugnantes cadunt. Poſtquam fuſas copias, ſeque cum paucis relictum videt Catilina; memor gene-

generis, atque priſtinæ dignitatis ſuæ, in conferʼtiſſumos hoſtes incurrit, ibique pugnans confoditur. Sed, confecto prælio, tum vero cerneres quanta audacia, quantaque animi vis fuiſſet in exercitu Catilinæ. Nam fere, quem quiſque vivus pugnando locum ceperat, eum, amiſſa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disjecerat, paullo diverſius, ſed omnes tamen adverſis vulneribus, conciderant. Catilina vero longe à ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt, paullulum etiam ſpirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Poſtremo, ex omni copia, neque in prœlio, neque in fuga quiſquam civis ingenuus captus eſt. Ita cuncti ſuæ, hoſtiumque vitæ juxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi R. lætam, aut incruentam victoriam adeptus erat. Nam ſtrenuiſſumus quiſque aut occiderat in prœlio, aut graviter vulneratus diſceſſerat. Multi autem, qui è caſtris viſundi, aut ſpoliandi gratia proceſſerant, volventes hoſtilia cadavera, amicum alii, pars hoſpitem, aut cognatum reperiebant. Fuere item, qui inimicos ſuos cognoſcerent. Ita variè per omnem exercitum lætitia, mæror, luctus, atque gaudia agitabantur.

Finis Belli Catilinarii.

C. SAL-

C. SALLUSTII CRISPI JUGURTHA,

SEV

BELLVM IVGVRTHINVM.

FALSO queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecille, atque ævi brevis, ſorte potius, quam virtute, regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque præſtabilius invenias; magisque naturæ induſtriam hominum, quam vim, aut tempus deeſſe. Sed dux, atque imperator vitæ mortalium, animus eſt: qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde pollens potensque, & clarus eſt, neque fortuna eget; quippe quæ probitatem, induſtriam, aliaſque artis bonas neque dare, neque eripere cuiquam poteſt. ſin captus pravis cupidinibus, ad inertiam, & voluptates corporis peſſum datus eſt perniciosa lubidine paulliſper uſus: ubi per ſocordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accuſatur: ſuam quique culpam actores ad negotia transferunt. Quod ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena, ac nihil profutura, multum etiam periculoſa petunt; neque regerentur magis, quam regerent caſus; & eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus, gloria æterni fierent. Nam uti genus hominum compoſitum ex corpore, & anima eſt: ita res cunctæ, ſtudiaque omnia noſtra, corporis alia, alia animi naturam ſequuntur. Igitur præclara facies, magnæ divi-

divitiæ, ad hoc vis corporis, & alia omnia hujuſcemodi brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. poſtremo, corporis & fortunæ bonorum, uti initium, ſic finis eſt; omniaque orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque ipſe habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam ætatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu atque ſocordia torpeſcere ſinunt; cum præſertim tam multæ, variæque ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paratur. Verum ex his magiſtratus, & imperia, poſtremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempeſtate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti, aut eo magis honeſti ſunt. Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quamquam & poſſis, & delicta corrigas; tamen importunum eſt: cum præſertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hoſtilia portendant. fruſtra autem niti, neque aliud, ſe fatigando, niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt: niſi forte quem inhoneſta & pernicioſa lubido tenet, potentiæ paucorum decus atque libertatem ſuam gratificari. Ceterum ex aliis negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno uſui eſt memoria rerum geſtarum: cujus de virtute quia multi dixere, prætereundum puto; ſimul, ne per inſolentiam quis exiſtumet memet ſtudium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul à repub. ætatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiæ imponant:

certe, quibus maxuma induſtria videtur, ſalutare plebem, & conviviis gratiam quærere. Qui ſi reputaverint, & quibus ego temporibus magiſtratum adeptus ſum; & quales viri idem aſſequi nequiverint; & poſtea, quæ genera hominum in ſenatum pervenerint: profecto exiſtumabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mei mutaviſſe; majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, reip. venturum. Nam ſæpe audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere; cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſume ſibi animum ad virtutem accendi. ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere; ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. At contra, quis eſt omnium his moribus, quin divitiis, & ſumtibus, non probitate, neque induſtria, cum majoribus ſuis contendat? etiam homines novi, qui antea per virtutem ſoliti erant nobilitatem antevenire, furtim, & per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia & honores nituntur. Proinde quaſi prætura, & conſulatus, atque alia omnia hujuscemodi per ſe ipſa clara, & magnifica ſint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea ſuſtinent, virtus eſt. Verum ego liberius, altiusque proceſſi, dum me civitatis morum piget, tædetque. nunc ad incœptum redeo.

Bellum ſcripturus ſum, quod populus R. cum Iugurtha rege Numidarum geſſit: primum, quia magnum & atrox, variaque victoria fuit: dein, quia tum primum ſuperbiæ nobilitatis obviam itum eſt. quæ contentio divina & humana cuncta

permiſcuit, eoque væcordiæ proceſſit; uti ſtudiis civilibus bellum, atque vaſtitas Italiæ finem facerent. Sed prius quam hujuscemodi rei initium expedio, pauca ſupra repetam; quo, ad cognoſcendum, omnia illuſtria magis, magisque in aperto ſint. Bello Punico ſecundo, quo dux Carthaginienſium Hannibal, poſt magnitudinem nominis Romani, Italiæ opes maxume attriverat; Maſiniſſa rex Numidarum, in amicitiam receptus à P. Scipione, cui poſtea Africano cognomen ex virtute fuit, multa & præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ, victis Carthaginienſibus, & capto Syphace, cujus in Africa magnum, atque late imperium valuit, populus R. quascumque urbis, & agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Maſiniſſæ bona atque honeſta nobis permanſit: ſed imperii, vitæque ejus, finis idem fuit. Dein Micipſa filius regnum ſolus obtinuit, Maſtanabale, & Guluſſa fratribus morbo abſumtis. Is Atherbalem, & Hiempſalem ex ſeſe genuit; Iugurthamque filium Maſtanabalis fratris, quem Maſiniſſa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos ſuos, domi habuit. Qui, ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, ſed multo maxume ingenio validus, non ſe luxu, neque inertiæ corrumpendum dedit; ſed, uti mos gentis illius eſt, equitare, jaculari, curſu cum æqualibus certare; &, cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus eſſe: ad hoc, pleraque tempora in venando agere; leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire; plurimum facere, & minumum ipſe de ſe loqui. Quibus rebus Micipſa tametſi initio lætus fuerat, exiſtumans virtutem Iugurthæ regno ſuo gloriæ fore: tamen poſtquam hominem adoleſcen-

ſcentem, exacta ætate ſua, & parvis liberis, magis magisque creſcere intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo ſuo volvebat. Terrebat eum natura mortalium avida imperii, & præceps ad explendam animi cupidinem; præterea, opportunitas ſuæ Liberorumque ætatis, quæ etiam mediocres viros ſpe prædę transvorſos agit. ad hoc, ſtudia Numidarum in Iugurtham accenſa; ex quibus, ſi talem virum dolis interfeciſſet, ne qua ſeditio, aut bellum oriretur, anxius erat. His difficultatibus circumventus, ubi videt, neque per vim, neque inſidiis opprimi poſſe hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu promtus, & appetens gloriæ militaris, ſtatuit eum objectare periculis, & eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Micipſa, cum populo R. equitum atque peditum auxilia mitteret; ſperans vel oſtentando virtutem, vel hoſtium ſævitia facile eum occaſurum, præfecit Numidis, quos in Hiſpaniam mittebat. ſed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, & morem hoſtium cognovit; multo labore, multaque cura, præterea modeſtiſſume parendo, & ſæpe obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, uti noſtris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori eſſet. Ac ſane, quod difficillumũ in primis eſt, & prælio ſtrenuus erat, & bonus conſilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterũ ex audacia temeritatem adferre plerumque ſolet. Igitur imperator omnis fere res aſperas per Iugurthã agere, in amicis habere, magis magisque eum indies amplecti. quippe cujus neque conſilium, neq; inceptum ul-

lum fruſtra erat. Huc accedebat munificentia animi, & ingenii ſollertia: quibus rebus ſibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat. Ea tempeſtate in exercitu noſtro fuere complures novi, atque nobiles, quibus divitiæ bono honeſtoque potiores erant, factioſi, domi potentes, apud ſocios clari magis, quam honeſti; qui Iugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant, ſi Micipſa rex occidiſſet, fore uti ſolus imperio Numidiæ potiretur: in ipſo maxumam virtutem, Romæ omnia venalia eſſe. Sed poſtquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, & ipſe revorti domum decrevit: donatum, atque laudatum magnifice pro concione Iugurtham in prætorium adduxit; ibique ſecreto monuit, uti potius publice, quam privatim, amicitiam populi R. coleret: neu quibus largiri inſueſceret, periculoſe à paucis emi, quod multorum eſſet. ſi permanere vellet in ſuis artibus, ultro illi & gloriam, & regnum venturum: ſin properantius pergeret, ſuamet ipſum pecunia præcipitem caſurum. Sic locutus, cum litteris eum, quas Micipſæ redderet, dimiſit. earum ſententia hæc erat. *Iugurthæ tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit: quam rem tibi certe ſcio gaudio eſſe. nobis ob merita ſua carus eſt: ut idem S. P. Q. R. ſit, ſumma ope nitemur. Tibi quidem pro noſtra amicitia gratulor. en habes virum dignum te, atque avo ſuo Maſiniſſa.* Igitur rex, ubi ea quæ fama acceperat, ex litteris imperatoris ita eſſe cognovit, cum virtute, tum gratia viri permotus, flexit animum ſuum; & Iugurtham benificiis vincere aggreſſus eſt; ſtatimque eum adoptavit, & teſtamento pariter cum filiis heredem inſtituit. Sed ipſe paucos poſt annos, mor-

morbo, atque ætate confectus, cum ſibi finem vitæ adeſſe intelligeret, coram amicis, & cognatis, itemque Atherbale, & Hiempſale filiis, dicitur hujuſcemodi verba cum Iugurtha habuiſſe.

Parvum ego te, Iugurtha, amiſſo patre, ſine ſpe, ſine opibus, in meum regnum accepi, exiſtumans non minus me tibi, quam ſi genuiſſem, ob benificia carum fore. neque ea res falſum me habuit. Nam ut alia magna, & egregia tua omittam, noviſſume rediens Numantia, meque regnumque meum gloria honoraviſti; tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amiciſſumos feciſti: in Hiſpania nomen familiæ renovatum eſt: poſtremo, quod difficilumum inter mortalis eſt, gloria invidiam viciſti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitæ facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo, obteſtorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, benificio meo fratres ſunt, caros habeas; neu malis alienos adjungere, quam ſanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque theſauri, præſidia regni ſunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide pariuntur. Quis autē amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, ſi tuis hoſtis fueris? Equidem ego regnum vobis trado firmum, ſi boni eritis; ſi mali, imbecillum. Nam concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maxumæ dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, quia ætate, & ſapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere, decet. Nam in omni certamine, qui opulentior eſt, etiam ſi accipit injuriam, tamen, quia plus poteſt, facere videtur. Vos autem, Atherbal, & Hiempſal, colite, obſervate talem hunc virum: imitamini virtutem, & enitimini, ne ego meliores liberos ſumſiſſe videar, quam genuiſſe.

Ad ea Iugurtha, tametſi regem ficta locutum

intelligebat, & ipſe longe aliter animo agitabat; tamen pro tempore benigne reſpondit. Micipſa paucis poſt diebus moritur. Poſtquam illi more regio juſta magnifice fecerant, reguli in unum convenerunt, ut inter ſe de negotiis cunctis diſceptarent. Sed Hiempſal, qui minumus ex illis erat, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Iugurthæ, quia materno genere impar erat, deſpiciens, dextera Atherbalem adſedit; ne medius ex tribus, quod & apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen, ut ætati concederet, fatigatus à fratre, vix in partem alteram transductus eſt. Ibi cum multa de adminiſtrando imperio diſſererent, Iugurtha inter alias res jacit, oportere quinquennii conſulta, & decreta omnia reſcindi. Nam per ea tempora confectum annis Micipſam parum animo valuiſſe. Tum idem Hiempſal placere ſibi reſpondit: nam ipſum illum tribus his proxumis annis adoptione in regnum perveniſſe. Quod verbum in pectus Iugurthæ altius, quam quiſquam ratus, deſcendit. Itaque ex eo tempore ira & metu anxius, moliri, parare, atque ea modo in animo habere, quibus Hiempſal per dolum caperetur. Quæ ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox: ſtatuit quovis modo inceptum perficere. Primo conventu, quem ab regulis factum ſupra memoravi, propter diſſenſionem placuerat dividi theſauros, finisque imperii ſingulis conſtitui. Itaque ad utramque rem tempus decernitur, ſed maturius ad pecuniam diſtribuendam. Reguli interea in loca propinqua theſauris alius alio conceſſere. Sed Hiempſal in oppido Thirmida forte ejus utebatur domo, qui proxumus lictor Iugurthæ, carus acceptusque ei ſemper fuerat: quem ille caſu miniſtrum oblatum pro-

promiſſis onerat, impellitque, uti tamquam ſuam domum viſens eat: portarum claves adulterinas paret; nam veræ ad Hiempſalem referebantur: ceterum, ubi res poſtularet, ſe ipſum cum magna venturum manu. Numida mandata brevi conficit: atque, uti doctus erat, noctu Iugurthæ milites introducit. Qui poſtquam in ædes irrupere; diverſi regem quærere; dormientis alios, alios occurſantis interficere: ſcrutari loca abdita; clauſa effringere: ſtrepitu & tumultu omnia miſcere: cum interim Hiempſal reperitur, occultans ſe tugurio mulieris ancillæ, quo initio pavidus, & ignarus loci profugerat. Numidæ caput ejus, uti juſſi erant, ad Iugurtham referunt. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur: Atherbalem, omniſque, qui ſub Micipſæ imperio fuerant, metus invadit. In duas partis diſcedunt Numidæ: plures Atherbalem ſequuntur, ſed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maxumas poteſt copias armat: urbis partim vi, alias voluntate imperio ſuo adjungit: omni Numidiæ imperare parat. Atherbal, tametſi Romam legatos miſerat, qui ſenatum docerent de cæde fratris, & fortunis ſuis; tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prœlio profugit in provinciam, ac dehinc Romam contendit. Tum Iugurtha patratis conſiliis, poſtquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus ſuum cum animo reputans, timere populum R. neque advorſus iram ejus uſquam, niſi in avaritia nobilitatis, & pecunia ſua, ſpem habere. Itaque, paucis diebus, cum auro argentoque multo legatos Romam mittit: quîs præcipit, uti primum veteres amicos muneribus expleant:

dein novos anquirant: poſtremo, quemcunque poſſint largiundo parare, ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere, & ex præcepto regis hoſpitibus, aliisque, quorum ea tempeſtate in ſenatu auctoritas pollebat, magna munera miſere: tanta commutatio inceſſit, ut ex maxuma invidia in gratiam & favorem nobilitatis Iugurtha veniret. quorum pars ſpe, alii præmio inducti, ſingulos ex ſenatu ambiundo nitebantur, ne gravius in eum conſuleretur. igitur, ubi legati ſatis confidunt, die conſtituto ſenatus utrisque datur. Tum Atherbalem hoc modo locutum accepimus.

P. C. Micipſa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem exiſtumarem meam; ceterum jus, & imperium penes vos eſſe: ſimul eniterer domi militiaque quam maxumo uſui eſſe populo R. vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem: ſi ea feciſſem, in veſtra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quæ præcepta patris mei cum agitaram; Iugurtha, homo omnium, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſſumus, contemto imperio veſtro, Maſiniſſæ me nepotem, utique ab ſtirpe ſocium atq; amicum populi R. regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, P. C. quoniam eo miſeriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob majorum meorum benificia poſſe me à vobis auxilium petere, ac maxume deberi mihi benificia à populo R. quibus non egerem; ſecundum ea, ſi deſideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per ſe ipſa probitas eſt, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret: ad vos confugi P. C. quibus, quod mihi miſerrumum eſt, cogor prius oneri, quam uſui eſſe. Ceteri reges, aut bello victi in amicitiam à vobis recepti ſunt, aut in ſuis

dubiis

dubiis rebus ſocietatẽ veſtram appetiverunt. Familia noſtra cum populo R. bello Carthaginienſi amicitiam inſtituit, quo tempore magis fides ejus, quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, P. C. nolite pati me nepotem Maſiniſſæ fruſtra à vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil cauſſæ haberem, præter miſerandam fortunam; quod paullo ante rex genere, fama, atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes exſpecto: tamen erat majeſtatis populi R. prohibere injuriam; neque pati, cujusquam regnum per ſcelus creſcere. Verum ego iis finibus ejectus ſum, quos majoribus meis populus R. dedit: unde pater, & avus meus una vobiſcum expulere Syphacem, & Carthaginienſes. Veſtra benificia mihi erepta ſunt, P. C. vos in mea injuria deſpecti eſtis. Eheu me miſerum! huccine, Micipſa pater, beneficia tua evaſere, uti quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem feciſti, is potiſſumum ſtirpis tuæ exſtinctor ſit? numquam ne ergo familia noſtra quieta erit? ſemper ne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur? Dum Carthaginienſes incolumes fuere, jure omnia ſæva patiebamur. hoſtis ab latere: vos amici procul: ſpes omnis in armis erat. Poſtquam illa peſtis ex Africa ejecta eſt, læti pacem agitabamus: quippe, quîs hoſtis nullus erat, niſi forte quem vos juſſiſſetis. Ecce autem ex improviſo Iugurtha, intoleranda audacia, ſcelere, atque ſuperbia ſeſe efferens, fratre meo, atque eodem propinquo ſuo interfecto, primum regnum ejus ſceleris ſui prædam fecit: poſt, ubi me iiſdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim aut bellum exſpectantem, in imperio veſtro, ſicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem, & coopertum miſeriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno eſſem.

Ego ſic exiſtumabam, P. C. uti prædicantem audiveram patrem meum; qui veſtram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem ſuſcipere, ceterum ex omnibus maxume tutos eſſe. Quod in familia noſtra fuit, præſtitit, ut in omnibus bellis adeſſet vobis: nos uti per otium tuti ſimus, in manu veſtra eſt, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Iugurtham benificiis ſuis ratus eſt nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus: alter ipſe ègo manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potiſſumum infelix accedam? generis præſidia omnia exſtincta ſunt: pater, uti neceſſe erat, naturæ conceſſit: fratri, quem minume decuit, propinquus per ſcelus vitam eripuit: affinis, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppreſſit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars beſtiis objecti ſunt: pauci, quibus relicta eſt anima, clauſi in tenebris cum mærore & luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quæ aut amiſi, aut ex neceſſariis advorſa facta ſunt, incolumia manerent: tamen, ſi quid ex improviſo mali accidiſſet, vos implorarem, P. C. quibus pro magnitudine imperii, jus & injurias omnis, curæ eſſe decet. Nunc vero exſul patria, domo, ſolus, atque omnium honeſtarum rerum egens, quos accedam, aut quos appellem? nationes ne, an reges, qui omnes familiæ noſtræ ob veſtram amicitiam infeſti ſunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non majorum meorum hoſtilia monumenta plurima ſint? an quiſquam noſtri miſereri poteſt, qui aliquando vobis hoſtis fuit? Poſtremo, Maſiniſſa nos ita inſtituit, P. C. ne quem coleremus, niſi populum R. ne ſocietates, ne fœdera nova acciperemus: abunde magna præſidia nobis in veſtra amicitia fore: ſi huic imperio fortuna maturetur, una occidendum nobis eſſe. Virtute,

tute, ac diis volentibus, magni eſtis & opulenti: omnia ſecunda, & obedientia ſunt: quo facilius ſociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthæ, parum cognita, transvorſos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos ſingulos, ne quid de abſente, incognita cauſſa, ſtatuatis: fingere me verba, & fugam ſimulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miſerias projectus ſum, eadem hæc ſimulantem videam: & aliquando aut apud vos, aut apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc ſceleribus ſuis ferox atque præclarus eſt, omnibus malis excruciatus impietatis in parentem noſtrum, fratris mei necis, mearumque miſeriarum gravis pœnas reddat. Iamjam frater animo meo cariſſume, quamquam tibi immaturo, &, unde minume decuit, vita erepta eſt, tamen lætandum magis, quam dolendum puto caſum tuum. Non enim regnum, ſed fugam, exilium, egeſtatem, & has omnis, quæ me premunt, ærumnas cum anima ſimul amiſiſti: at ego infelix in tanta mala præcipitatus, pulſus ex patrio regno, rerum humanarum ſpectaculum præbeo: incertus quid agam, tuas ne injurias perſequar, ipſe auxilii egens, an regno conſulam, cujus vitæ, necisque poteſtas ex opibus alienis pendet. Vtinam, emori, fortunis meis honeſtus exitus eſſet: ne vivere contemtus viderer, ſi defeſſus malis injuriæ conceſſiſſem. Nunc quoniam neque vivere lubet, neque mori licet ſine dedecore, P. C. per vos, per liberos, atque parentes veſtros, per majeſtatem populi R. ſubvenite miſero mihi: ite obviam injuriæ: nolite pati regnum Numidiæ, quod veſtrum eſt, per ſcelus, & ſanguinem familiæ noſtræ tabeſcere,

Poſtquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthæ

gurthæ largitione magis, quam cauſſa freti, paucis reſpondent: Hiempſalem, ob ſævitiam ſuam, ab Numidis interfectum: Atherbalem ultro bellum inferentem, poſtquam ſuperatus ſit, queri, quod injuriam facere nequiſſet: Iugurtham ab ſenatu petere, ne ſe alium putarent, ac Numantiæ cognitus eſſet; neu verba inimici ante facta ſua ponerent. Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus ſtatim conſulitur: fautores legatorum, præterea magna pars gratia depravata, Atherbalis dicta contemnere; Iugurthæ virtutem laudibus extollere; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno ſcelere, & flagitio, ſua quaſi pro gloria, nitebantur. at contra pauci, quibus bonum & æquum divitiis carius erat, ſubveniundum Atherbali, & Hiempſalis mortem ſevere vindicandam cenſebant. ſed ex omnibus maxume Æmilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factioſus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum; ceterum vitia ſua callide occultans. Is poſtquam videt regis largitionem famoſam, impudentemque, veritus, quod in tali re ſolet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum à conſueta lubidine continuit. Vicit tamen in ſenatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipſa obtinuerat, inter Iugurtham, & Atherbalem dividerent. cujus legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, & tum in ſenatu potens, quia conſul, C. Graccho & M. Fulvio interfectis, acerrume vindictam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha, tametſi Romæ in amicis habuerat, tamen curatiſſume recepit: dando, & pollicendo multa, perfecit, uti fama, fide, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum regis anteferret. reliquos legatos ea-

tos eadem via aggreſſus, pleroſque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. In diviſione, quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agro viriſque opulentior, Iugurthæ traditur: illam alteram, ſpecie, quam uſu, potiorem, quæ portuoſior, & ædificiis magis exornata erat, Atherbal poſſedit. Res poſtulare videtur Africæ ſitum paucis exponere, & eas gentis, quibus cum nobis bellum aut amicitia fuit, attingere. Sed quæ loca, & nationes ob calorem, aut aſperitatem, item ſolitudines minus frequentata ſunt, de iis haud facile compertum narraverim: cetera quam pauciſſumis abſolvam.

In diviſione orbis terræ plerique in parte tertia Africam poſuere: pauci, tantummodo Aſiam, & Europam eſſe; ſed Africam in Europa. ea finis habet ab occidente, fretum noſtri maris & Oceani: ab ortu ſolis declivem latitudinem: quem locum Catabathmon incolæ appellant. Mare ſævum, importuoſum. ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus: cælo, terraque pænuria aquarum: genus hominum ſalubri corpore, velox, patiens laborum: pleroſque ſenectus diſſolvit, niſi qui ferro, aut à beſtiis interiere. Nam morbus haud ſæpe quemquam ſuperat. ad hoc, malefici generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique poſtea acceſſerint, aut quo modo inter ſe permixti ſint; quamquam ab ea fama, quæ pleroſque obtinet, diverſum eſt: tamen, ut ex libris Punicis, qui regis Hiempſalis dicebantur, interpretatum nobis eſt; utique rem ſeſe habere, cultores ejus terræ putant: quam pauciſſumis dicam. Ceterum fides ejus rei penes auctores erit. Africam initio habuere Gætuli, & Libyes, aſperi, incultique; quîs

cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cujuſquam regebantur: vagi, palantes, quas nox coegerat, ſedes habebant. Sed poſtquam in Hiſpania Hercules, ſicut Afri putant, interiit: exercitus ejus compoſitus ex gentibus variis, amiſſo duce, ac paſſim multis ſibi quiſque imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Perſæ, & Armenii, navibus in Africam tranſvecti, proxumos noſtro mari locos occupavere. Sed Perſæ intra Oceanum magis: hique alveos navium inverſos pro tuguriis habuere: quia neque materia in agris, neque ab Hiſpanis emundi, aut mutandi copia erat. mare magnum, & ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gætulos ſecum miſcuere: & quia ſæpe tentantes agros, alia, deinde alia loca petiverant, ſemet ipſi Numidas appellavere. Ceterum adhuc ædificia Numidarum aggreſtium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quaſi navium carinæ ſunt. Medis autem, & Armeniis acceſſere Libyes. Nam hi propius mare Africum agitabant: Gætuli ſub ſole magis, haud procul ab ardoribus: hique mature oppida habuere. Nam, freto diviſi ab Hiſpania mutare res inter ſe inſtituerant. nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Perſarum brevi adolevit: ac poſtea Nomo-Numidæ, propter multitudinem, à parentibus digreſſi, poſſedere ea loca, quæ proxuma Carthaginem Numidia appellatur. Deinde, utrique alteris freti, finitimos armis, aut metu ſub imperium ſuum coegere; nomen gloriamque ſibi addidere; magis hi, qui ad noſtrum mare proceſſerant: quia Libyes, quam Gætuli, minus bel-

licoſi;

licoſi: denique Africæ pars inferior pleraque ab Numidis poſſeſſa eſt: victi omnes in gentem nomenque imperantium conceſſere. Poſtea Phœnices, alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine ſolicitata plebe, & aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Adrimetum, Leptim, aliaſque urbis in ora maritima condidere: eæque brevi multum auctæ, pars originibus ſuis præſidio, aliæ decori fuere. Nam de Carthagine ſilere melius puto, quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Ægyptum ab Africa dividit, ſecundo mari prima Cyrene eſt, colonia Thereon, ac deinceps duæ Syrtes, interque eas Leptis: deinde Philenon aræ: quem locum Ægyptum verſus finem imperii habuere Carthaginienſes: poſt aliæ Punicæ urbes. Cetera loca uſque ad Mautitaniam Numidæ tenent. proxime Hiſpaniam Mauri ſunt. ſuper Numidiam Gætulos accepimus, partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare. poſt eos Æthiopas eſſe: dein loca exuſta ſolis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida, & finis Carthaginenſium, quos noviſſume habuerant, populus R. per magiſtratus adminiſtrabat: Gætulorum magna pars, & Numidæ ad flumen uſque Mulucham ſub Iugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomen, cetera ignarus populi R. itemque nobis neque bello, neque pace antea cognitus. De Africa, & ejus incolis, ad neceſſitudinem rei ſatis dictum.

Poſtquam, diviſo regno, legati Africa deceſſere; & Iugurtha contra timorem animi præmia ſceleris adeptum ſeſe videt; certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romæ

mæ venalia eſſe; ſimul & illorum pollicitationibus accenſus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Atherbalis animum intendit. ipſe acer, bellicoſus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus injuriæ, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviſo finis ejus cum magna manu invadit: multos mortalis cùm pecore, atque alia præda capit: ædificia incendit: pleraque hoſtiliter loca cum equitatu accedit. Deinde cum omni multitudine in regnum ſuum convertit, exiſtumans dolore permotum Atherbalem injurias ſuas manu vindicaturum, eamque rem belli cauſſam fore. At ille, quod neque ſe parem armis exiſtumabat, & amicitia populi R.magis, quam Numidis, fretus erat; legatos ad Iugurtham de injuriis queſtum miſit: qui tametſi contumelioſa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea ſecus ceſſerat. Neque eo magis cupido Iugurthæ minuebatur: quippe qui totum ejus regnum animo jam invaſerat. Itaque non, ut antea, cum prædatoria manu, ſed magno exercitu comparato, bellum gerere cœpit, & aperte totius Numidiæ imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vaſtare, prædas agere ſuis animum, hoſtibus terrorem augere. Atherbal ubi intelligit eo proceſſum, uti regnum aut relinquendum eſſet, aut armis retinendum, neceſſario copias parat, & Iugurthæ obvius procedit. Interim haud longe à mari prope Cirtam oppidum utriuſque conſedit exercitus: & quia diei extremum erat, prœlium non incœptum; ſed ubi plerumque noctis proceſſit, obſcuro etiam tum lumine, milites Iugurthini, ſigno dato, caſtra hoſtium invadunt; ſemiſomnos partim, alios arma

arma ſumentes fugant, funduntque: Atherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit: &, ni multitudo togatorum fuiſſet, quæ Numidas inſequentes mœnibus prohibuit, uno die inter duos reges cœptum, atque patratum foret bellum. Igitur Iugurtha oppidum circumſedit: vineis, turribuſque, & machinis omnium generum expugnare aggreditur: maxume feſtinans tempus legatorum antecapere, quos ante prœlium factum Romam ab Atherbale miſſos audiverat. Sed poſtquam ſenatus de bello eorum accepit, tres adoleſcentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant; S.P.Q.R. verbis nuncient, velle, & cenſere eos ab armis diſcedere: ita ſeque, illiſque dignum eſſe. Legati in Africam maturantes veniunt; eo magis, quod Romæ, dum proficiſci parant, de prœlio facto, & oppugnatione Cirtæ audiebatur. ſed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione reſpondit: ſibi neque majus quidquam, neque carius auctoritate ſenatus eſſe: ab adoleſcentia ſua ita ſe eniſum, ut ab optimo quoque probaretur: virtute, non malitia, P. Scipioni, ſummo viro placuiſſe: ob eaſdem artis à Micipſa, non pænuria liberorum, in regnum adoptatum eſſe. ceterum, quo plura bene, atque ſtrenue feciſſet, eo animum ſuum injuriam minus tolerare: Atherbalem dolis vitæ ſuæ inſidiatum: quod ubi comperiſſet, ſceleri obviam iſſe: populum R. neque recte, neque pro bono facturum, ſi ab jure gentium ſeſe prohibuerit: poſtremo, de omnibus rebus legatos Romam brevi miſſurum. ita utrique digrediuntur. Atherbalis appellandi copia non fuit. Iugurtha ubi eos Africa deceſſiſſe ratus eſt, neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare poteſt: vallo, atque foſſa mœnia circumdat:

turris

turris exſtruit, eaſque præſidiis firmat: præterea dies, noctesque, aut per vim, aut dolis tentare: defenſoribus mœnium præmia modo, modo formidinem oſtentare: ſuos hortando ad virtutem arrigere: prorſus intentus cuncta parare. Atherbal ubi intellegit omnis fortunas ſuas in extremo ſitas, hoſtem infeſtum, auxilii ſpem nullam, pænuria rerum neceſſarium bellum trahi non poſſe; ex iis, qui una Cirtam profugerant, duos maxume impigros delegit: eos, multa pollicendo, ac miſerando caſum ſuum, confirmat, uti per hoſtium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent. Numidæ paucis diebus juſſa efficiunt: literæ Atherbalis in ſenatu recitatæ, quarum ſententia hæc fuit.

Non mea culpa ſæpe ad vos oratum mitto, P. C. ſed vis Iugurthæ ſubigit: quem tanta lubido me exſtinguendi invaſit, uti neque vos, neque deos immortalis in animo habeat; ſanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam menſem ſocius & amicus populi R. armis obſeſſus teneor: neque mihi Micipſæ patris mei benificia, neque veſtra decreta auxiliantur: ferro, an fame acrius urgear, incertus ſum. Plura de Iugurtha ſcribere dehortatur me fortuna mea: etiam antea expertus ſum, parum fidei miſeris eſſe. Niſi tamen intellego illum, ſupra quam ego ſum, petere, neque ſimul amicitiam veſtram, & regnum meum ſperare. utrum gravius exiſtumet, nemini occultum eſt. Nam initio occidit Hiempſalem fratrem meum: dein patrio regno me expulit. Quæ ſane fuerint noſtra injuria, nihil ad vos. Verum nunc regnum veſtrum armis tenet: me, quem vos imperatorem Numidis poſuiſtis, clauſum tenet atque obſidet: legatorum verba quanta fecerit, pericula mea declarant. Quid eſt reliquum, niſi vis

vis veſtra, quo moveri poſſit? nam ego quidem vellem, & hac qua ſcribo, & illa qua antea in ſenatu queſtus ſum, vana forent potius, quam miſeria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus ſum, ut Iugurtha ſcelerum oſtentui eſſem: non jam mortem, neque ærumnas, tantummodo inimici imperium, & cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiæ, quod veſtrum eſt, uti libet conſulite: me ex manibus impiis eripite, per majeſtatem imperii, per amicitiæ fidem; ſi ulla apud vos memoria remanet avi mei Maſiniſſæ.

His litteris recitatis, fuere qui exercitum in Africam mittendum cenſerent, & quam primum Atherbali ſubveniendum: de Iugurtha interim uti conſuleretur, quoniam legatis non paruiſſet. Sed ab iſdem illis regis fautoribus ſumma ope eniſum, ne tale decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerifque negotiis ſolet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam majores natu nobiles, amplis honoribus viſi: in quîs fuit M. Scaurus, de quo ſupra memoravimus, conſularis, & tum ſenatus princeps. Hi, quod in invidia res erat, ſimul & à Numidis obſecrati, triduo navim aſſcendere: dein brevi Vticam adpulſi, litteras ad Iugurtham mittunt, quam ociſſume ad provinciam accedat; ſe ad eum ab ſenatu miſſos. Ille, ubi accepit homines claros, quorum auctoritatem Romæ pollere audiverat, contra inceptum ſuum veniſſe: primo commotus metu, atque lubidine, divorſus agitabatur. Timebat iram ſenatus, ni paruiſſet legatis: porro animus cupidine cæcus ad inceptum ſcelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio pravum conſilium. Igitur, exercitu circumdato, ſumma vi Cirtam irrumpere nititur, maxume ſperans, diducta manu hoſtium,

hoſtium, aut vi, aut dolis ſeſe caſum victoriæ inventurum. quod ubi ſecus procedit, neque, quod intenderat, efficere poteſt, uti prius, quam legatos conveniret, Atherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametſi ſenatus verbis minæ graves nunciabantur, quod ab oppugnatione non deſiſteret; multa tamen oratione conſumta, legati fruſtra diſceſſere. Ea poſtquam Cirtæ audita ſunt, Italici, quorum virtute mœnia defenſabantur, confiſi, deditione facta, propter magnitudinem populi R. inviolatos ſeſe fore, Atherbali ſuadent, uti ſeque, & oppidum Iugurthæ tradat: tantum ab eo vitam paciſcatur; de ceteris ſenatui curæ fore. At ille, tametſi omnia potiora fide Iugurthæ rebatur; tamen, quia penes eoſdem, ſi advorſaretur, cogendi poteſtas erat, ita, uti cenſuerant Italici, deditionem fecit. Igitur Iugurtha in primis Atherbalem excruciatum necat: dein omnis puberes Numidas, atque negotiatores promiſcue, uti quiſque armatis obvius fuerat, interfecit. Quod poſtquam Romæ cognitum eſt, & res in ſenatu agitari cœpta; iidem illi miniſtri regis interpellando, ac ſæpe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. ac ni C. Memmius, tribunus pl. deſignatus, vir acer, & infeſtus potentiæ nobilitatis, populum R. edocuiſſet id agi, uti per paucos factioſos Iugurthæ ſcelus condonaretur: profecto omnis invidia, prolatandis conſultationibus, dilapſa foret. tanta vis gratiæ, atque pecuniæ regis erat. Sed ubi ſenatus delicti conſcientia populum timet: lege Sempronia provinciæ futuris conſulibus Numidia, atque Italia decretæ: conſules declarati P. Scipio Naſica, L. Beſtia Calpurnius:

nius: Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. dein exercitus, qui in Africam portaretur, ſcribitur; ſtipendium, aliaque, quæ bello uſui forent, decernuntur. At Iugurtha, contra ſpem nuncio accepto, quippe cui, Romæ omnia venire, in animo hæſerat; filium, & cum eo duos familiaris ad ſenatum legatos mittit; iisque, ut illis, quos Hiempſale interfecto miſerat, præcipit, omnis mortalis pecunia aggrediantur. qui poſtquam Romam adventabant, ſenatus à Beſtia conſultus eſt, placeret ne legatos Iugurthæ recipi mœnibus: iique decrevere, ni regnum, ipſumque deditum veniſſent, ut in diebus proxumis decem Italia decederent. conſul Numidis ex ſenatus decreto nunciari jubet. ita infectis rebus illi domum diſcedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat ſibi homines nobilis, factioſos, quorum auctoritate, quæ deliquiſſet, munita fore ſperabat: in quîs fuit Scaurus, cujus de natura & habitu ſupra memoravimus. Nam in conſule noſtro multæ bonæque artes animi, & corporis erant: quas omnis avaritia præpediebat. patiens laborum, acri ingenio, ſatis providens, belli haud ignarus, firmiſſumus contra pericula & inſidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectæ. Igitur Calpurnius, initio paratis commeatibus, acriter Numidiam ingreſſus eſt; multosque mortalis, & urbis aliquod pugnando cepit. Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod adminiſtrabat, aſperitatem oſtendere cœpit: animus æger avaritia facile coverſus eſt. ceterum ſocius, & adminiſter omnium conſiliorum aſſumitur Scaurus: qui tametſi à principio, plerisque ex factione ejus corruptis, accerrume regem impugna-

pugnaverat; tamen, magnitudine pecuniæ, à bono honeſtoque in pravum abſtractus eſt. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, exiſtumans ſeſe aliquid interim Romæ pretio, aut gratia effecturum: poſtea vero quam participem negotii Scaurum accepit, in maxumam ſpem adductus recuperandæ pacis, ſtatuit cum eis de omnibus pactionibus præſens agere. Ceterum interea fidei cauſſa mittitur à conſule Sextius quæſtor in oppidum Iugurthæ Vaccam: cujus rei ſpecies erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat: quoniam deditionis mora induciæ agitabantur. Igitur rex, uti conſtituerat, in caſtra venit: ac pauca præſenti conſilio locutus de invidia facti ſui, atque ut in deditionem acciperetur; reliqua cum Beſtia, & Scauro ſecreta transegit: dein poſtero die, quaſi per ſaturam ſententiis exquiſitis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro conſilio imperatum erat, elephanti xxx. pecus, atque equi multi, cum parvo argenti pondere, quæſtori traduntur. Calpurnius Romam ad magiſtratus rogandos proficiſcitur. in Numidia & exercitu noſtro pax agitabatur. Poſtquam res in Africa geſtas, quoque modo actæ forent, fama divulgavit, Romæ per omnis locos, & conventus de facto conſulis agitari: apud plebem gravis invidia: patres ſoliciti erant: probarent ne tantum flagitium, an decretum conſulis ſubverterent, parum conſtabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor & ſocius Beſtiæ ferebatur, à vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate ingenii, & odio potentiæ nobilitatis ſupra diximus; inter dubitationem & moras ſenatus, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere, ne remp. ne liber-

libertatem ſuam deſererent: multa ſuperba, crudelia facinora nobilitatis oſtendere: prorſus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempeſtate Romæ Memmii facundia clara pollensque fuit; decere exiſtumavi unam ex tam multis orationem ejus perſcribere: ac potiſſimum ea dicam, quæ in concione poſt reditum Beſtiæ hujuscemodi verbis diſſeruit.

Multa me dehortantur à vobis, Quirites, ni ſtudium reip. omnia ſuperet; opes factionis, veſtra patientia, jus nullum; ac maxume, quod innocentiæ plus periculi, quam honoris eſt. Nam illa quidem piget dicere, his annis XV. *quam ludibrio fueritis ſuperbiæ paucorum; quam fœde, quamque inulti perierint veſtri defenſores; uti vobis animus ab ignavia, atque ſocordia corruptus ſit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exſurgitis; atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori eſſe. Sed quamquam hæc talia ſunt: tamen, obviam ire factionis potentiæ, animus ſubigit. Certe ego libertatem, quæ mihi à parente meo tradita eſt, experiar: verum id fruſtra, an ob rem faciam, in veſtra manu ſitum eſt, Quirites. Neque ego vos hortor, quod ſæpe majores veſtri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil ſeceſſione opus eſt: neceſſe eſt, ſuomet ipſi more præcipites eant. Occiſo Ti. Graccho, quem regnum parare ajebant, in plebem Romanam quæſtiones graves habitæ ſunt. poſt C. Gracchi, & M. Fulvii cædem, item ordinis veſtri multi mortales in carcere necati ſunt. utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed ſane fuerit regni paratio, plebi ſua reſtituere. Quidquid ſine ſanguine civium ulciſci nequitur, jure factum ſit. Superioribus annis taciti indignabamini ærarium expilari; reges, & populos li-*

los liberos paucis nobilibus vectigal pendere; pene eosdem & ſummam gloriam, & maxumas divitias eſſe: tamen hæc talia facinora impune ſuſcipiſſe, parum habuere: itaque poſtremo leges, majeſtas veſtra, divina & humana omnia hoſtibus tradita ſunt. neque eos, qui ea fecere, pudet, aut pœnitet: ſed incedunt per ora veſtra magnificè, ſacerdotia, & conſulatus, pars triumphos ſuos oſtentantes: perinde quaſi ea honori, non prædæ, habeant ſervi ære parati injuſta imperia dominorum no perferunt: vos, Quirites, imperio nati, æquo animo ſervitutem toleratis? At qui ſunt hi, qui remp occupavere? homines ſceleratiſſumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentiſſumi, idemqu ſuperbiſſumi; quibus fides, decus, pietas, poſtrem honeſta, atque inhoneſta omnia quæſtui ſunt. Par eorum, occidiſſe tribunos pl. alii quæſtiones injuſtas, plerique cædem in vos feciſſe, pro muniment habent. ita, quam quisq; peſſume fecit, tam maxume tutus eſt: metum à ſcelere ſuo ad ignaviam veſtram tranſtulere: quos omnis, eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere in unum coegit. Sed hæ inter bonos amicitia, inter malos factio eſt. Quod ſ vos tam libertatis curam haberetis, quam illi a dominationem accenſi ſunt; profecto neque reſp. ſicuti nunc, vaſtaretur; & beneficia veſtra penes optumos, non audaciſſumos, forent. Majores veſtr parandi juris, & majeſtatis conſtituendæ gratia bis per ſeceſſionem armati Aventinum occupavere vos pro libertate, quam ab illis accepiſtis, non n ſumma ope nitemimi? atque eo vehementius, qu majus dedecus eſt, parta amittere, quam omnin non paraviſſe? Dicet aliquis, quid igitur cenſes vindicandum in eos, qui hoſti prodidere remp. non manu, neque vi; quod magis, vos feciſſe, quam

illis

illis accidiſſe, indignum eſt; verum quæſtionibus, & indicio ipſius Iugurthæ. qui ſi dedititius eſt; profecto juſſis veſtris obediens erit: ſin ea contemnit; ſcilicet æſtimabitis, qualis illa pax, aut deditio ſit, ex qua ad Iugurtham ſcelerum impunitas, ad paucos potentis maxumæ divitiæ, in remp. damna, atque dedecora pervenerint. Niſi forte nondum etiam vos dominationis eorum ſatietas tenet: & illa, quam hæc tempora, magis placent, cum regna, provinciæ, leges, jura, judicia bella, atque paces; poſtremo divina & humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc eſt, P. R. invicti ab hoſtibus, imperatores omnium gentium, ſatis habebatis animam retinere. Nam ſervitutem quidem quis veſtrum audebat recuſare? Atque ego tametſi viro flagitioſiſſumum exiſtumo impune injuriam accepiſſe; tamen, vos hominibus ſceleratiſſumis ignoſcere, quoniam cives ſunt, æquo animo paterer, ni miſericordia in perniciem caſura eſſet. Nam & illis, quantum importunitatis habent, parum eſt impune male feciſſe, niſi deinde faciundi licentia eripitur, & vobis æterna ſolicitudo remanebit, cum intellegetis aut ſerviendum eſſe, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiæ quæ ſpes eſt? Dominari illi volunt, vos liberi eſſe: facere illi injurias, vos prohibere: poſtremo ſociis veſtris veluti hoſtibus, hoſtibus pro ſociis utuntur. Poteſt ne in tam divorſis mentibus pax, aut amicitia eſſe? Quare moneo, hortorque vos, ne tantum ſcelus impunitum dimittatis. Non peculatus ærarii factus eſt: neque per vim ſociis erepta pecuniæ: quæ quamquam gravia ſunt, tamen conſuetudine jam pro nihilo habentur. Hoſti acerrumo prodita ſenatus auctoritas, proditum imperium veſtrum: domi militiæque reſp. venalis fuit. quæ niſi quæſita erunt,

niſi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, niſi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? Nam impune quælibet facere, id eſt regnum eſſe. Neque ego vos, Quirites, hortor, uti jam malitis civis veſtros perperam, quam recte, feciſſe: ſed ne, ignoſcendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc, in rep. multo præſtat, benificii, quam maleficii, immemorem eſſe. Bonus tantummodo ſegnior fit, ubi neglegas: at malus improbior. Ad hoc, ſi injuriæ non ſint, haud ſæpe auxilii egeas.

Hæc, atque alia hujuſcemodi ſæpe dicundo, C. Memmius populo R. perſuadet, uti L. Caſſius, qui tum prætor erat, ad Iugurtham mitteretur: eumque, interpoſita fide publica, Romam duceret, quo facilius indicio regis, Scauri, & reliquorum, quos pecuniæ captæ arceſſebant, delicta patefierent. Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidia relicti ab Beſtia exercitui præerant, ſecuti morem imperatoris ſui, plurima, & flagitioſiſſuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti, elephantos Iugurthæ traderent; alii perfugas venderent: pars ex pacatis prædas agebant. Tanta vis avaritiæ in animos eorum, veluti tabes, invaſerat. At Caſſius prætor, perlata rogatione à C. Memmio, ac perculſa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiſcitur: eique timido, & ex conſcientia diffidenti rebus ſuis, perſuadet, quoniam ſe populo R. dedidiſſet, ne vim, quam miſericordiam ejus, experiri malit: privatim præterea fidem ſuam interponit, quam ille non minoris, quam publicam ducebat. Talis ea tempeſtate fama de Caſſio erat. Igitur Iugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miſerabili, Romam venit. Ac tametſi in ipſo magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut

ſcelere cuncta ea geſſerat, quæ ſupra memoravimus, C. Bæbium tribunum pl. magna mercede parat, cujus impudentia contra jus, & injurias omnis munitus foret. Ac C. Memmius advocata concione; quamquam regi infeſta plebes erat, & pars in vincula duci jubebat, pars, ni ſocios ſceleris aperiret, more majorum de hoſte ſupplicium ſumi; dignitati magis, quam iræ conſulens, ſedare motus, & animos eorum mollire; poſtremo confirmare, fidem publicam per per ſeſe inviolatam fore. Poſt, ubi ſilentium cœpit, producto Iugurtha, verba facit: Romæ, Numidiæque facinora ejus memorat; ſcelera in patrem, fratresque oſtendit: quibus juvantibus, quibusque miniſtris ea egerit, quamquam intellegat populus R. tamen velle manifeſta magis ex illo habere: ſi verum aperiat, in fide, & clementia populi R. magnam ſpem illi ſitam: ſin reticeat, non ſociis ſaluti fore, ſed ſe ſuasque ſpes corrupturum. Dein, ubi Memmius dicendi finem fecit, & Iugurtha reſpondere juſſus eſt, C. Bæbius tribunus pl. quem pecunia corruptum ſupra diximus, regem tacere jubet: ac, tametſi multitudo, quæ in concione aderat, vehementer accenſa, terrebat eum clamore, vultu, ſæpe impetu, atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat; vicit tamen impudentia. Ita populus, ludibrio habitus, ex concione diſcedit: Iugurthæ Beſtiæque, & cæteris, quos illa quæſtio exagitabat, animi augeſcunt. Erat ea tempeſtate Romæ Numida quidam, nomine Maſſiva, Guluſſæ filius, Maſiniſſæ nepos: qui, quia in diſſenſione regum, Iugurthæ advorſus fuerat, dedita Cirta, & Atherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno poſt Beſtiam cum Q. Minucio Rufo conſulatum gerebat, per-

ſuadet, quoniam ex ſtirpe Maſiniſſæ ſit, Iugur thamob ſcelera invidia cum metu urgeat, regnur Numidiæ ab ſenatu petat. Avidus conſul belli ge rundi, moveri, quam ſeneſcere, omnia maleba ipſi provincia Numidia, Minucio Macedoni evenerat. Quæ poſt quam Maſſiva agitare cœpit neque Iugurthæ in amicis ſatis præſidii eſt; quo eorum alium conſcientia, alium mala fama, & ti mor animi impediebat: Bomilcari proxumo, a maxume fido ſibi, imperat, pretio, ſicuti mult confecerat, inſidiatores Maſſivæ paret: ac maxu me occulte; ſin id parum procedat, quovis mod Numidam interficiat. Bomilcar mature regi mandata exſequitur: & per homines talis nego tii artifices, itinera, egreſſusque ejus, poſtrem loca, atque tempora cuncta explorat: dein, ub res poſtulabat, inſidias tendit. Igitur unus ex ec numero, qui ad cædem parati erant, paullo in conſultius Maſſivam aggreditur, illum obtruncat ſed ipſe deprehenſus, multis hortantibus, & ii primis Albino conſule, indicium profitetur. fi reus magis ex æquo bonoque, quam ex jure gen tium Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide pu blica venerat. At Iugurtha, manifeſtus tanti ſce leris, non prius omiſit contra verum niti, quan animadvortit, ſuper gratiam, atque pecunian ſuam, invidiam facti eſſe. Igitur quamquam ii priore actione ex amicis quinquaginta vades de derat, regno magis, quam vadibus conſulens clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veri tus, ne reliquos popularis metus invaderet paren di ſibi, ſi de illo ſupplicium ſumtum foret. & ipſ paucis diebus eodem profectus eſt, juſſus à ſe natu Italia decedere. Sed poſt quam Roma egreſ ſus eſt, fertur, ſæpe tacitus eo reſpiciens, poſtre-

mc

no dixiſſe, Vrbem venalem, & maturè perituram, ſi emtorem invenerit. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, ſtipendium, aliaque, quæ militibus uſui forent, maturat in Africam portare; ac ſtatim ipſe profectus, ut ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia, & alias, deinde alias moræ cauſſas facere; polliceri deditionem, ac deinde metum ſimulare: inſtanti cedere, & paullo poſt, ne ſui diffiderent, inſtare: ita belli modo, modo pacis mora conſulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum conſilii regis exiſtumarent; neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum ſocordia magis, quam dolo crederent. Sed poſtquam, dilapſo tempore, comitiorum dies adventabant; Albinus, Aulo fratre in caſtris proprætore relicto, Romam deceſſit. Ea tempeſtate Romæ ſeditionibus tribuniciis atrociter reſp. agitabatur. P. Lucullus, & L. Annius, tribuni pleb. reſiſtentibus collegis, continuare magiſtratum nitebantur: quæ diſſenſio totius anni comitia impediebat. Ea mora in ſpem adductus Aulus, quem proprætorem in caſtris relictum ſupra diximus, aut conficiundi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniæ capiundæ, milites menſe Ianuario ex hibernis in expeditionem vocat; magniſque itineribus hieme aſpera pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis theſauri erant. Quod quamquam, & ſævitia temporis, & opportunitate loci, neque capi, neque obſideri poterat: nam circum murum ſitum in prærupti montis extremo planicies limoſa hiemalibus aquis paludem fecerat) tamen, aut ſimulandi gratia, quo regi formidinem adderet; aut cupidine cæcus, ob

theſauros opidi potiundi, vineas agere, aggerem jacere; aliaque, quæ incepto uſui forent, properare. At Iugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, ſubdolus ejus augere amentiam: miſſitare ſupplicantis legatos: ipſe, quaſi vitabundus per ſaltuoſa loca, & tramites exercitum ductare. Denique Aulum ſpe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones ſeſe, veluti cedentem, inſequeretur: ita delicta occultiora fuere. Interea per homines callidos diu, noctuque exercitum tentabat: centuriones, ducesque turmarum partim, uti transfugerent, corrumpere; alii ſigno dato, locum uti deſererent. Quæ poſtquam ex ſententia inſtruxit; intempeſta nocte de improviſo multitudine Numidarum Auli caſtra circumvenit. Milites Romani, perculſi tumultu inſolito, arma capere alii: alii ſe abdere: pars territos confirmare: trepidare: omnibus locis vis magna hoſtium: cælum nocte, atque nubibus obſcuratum: periculum anceps: poſtremo, fugegere, an manere, tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum, cum duabus turmis Thracum, & paucis gregariis militibus, tranſiere ad regem: & centurio primi pili tertiæ legionis per munitionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hoſtibus introeundi dedit: eaque Numidæ cuncti irrupere. Noſtri fœda fuga, plerique abjectis armis, proxumum collem occupavere. Nox, atque præda caſtrorum, hoſtis, quo minus victoria uterentur, remorata ſunt. Dein Iugurtha poſtero die cum Aulo in colloquio verba facit: tametſi ipſum cum exercitu fame ferroque clauſum tenet, tamen ſe memorem rerum humanarum, ſi ſecum fœdus faceret, incolumis omnis ſub jugum miſſu-

miſſurum: præterea, uti diebus decem Numidia decederet. Quæ gravia quamquam, & flagitii plena erant: tamen, quia mortis metu mutabant, ſicuti regi lubuerat, pax convenit. Sed ubi ea Romæ comperta ſunt; metus atque mœror civitatem invaſere: pars dolere pro gloria imperii; pars inſolita rerum bellicarum timere libertati: Aulo omnes infeſti, ac maxume qui bello ſæpe præclari fuerant, quod armatus dedecore potius, quam manu; ſalutem quæſiverit. Ob ea conſul Albinus, ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum timens; ſenatum de fœdere conſulebat: & tamen interim exercitui ſupplementum ſcribere; ab ſociis & nomine Latino auxilia accerſere; denique omnibus modis feſtinare: ſenatus ita, uti par fuerat, decernit, ſuo atque populi injuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri. Conſul impeditus à tribunis pl. ne, quas paraverat copias, ſecum portaret, paucis diebus in Africam proficiſcitur. Nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus in provincia hiemabat. Poſtquam eo venit; quamquam perſequi Iugurtham, & mederi fraternæ invidiæ animo ardebat; cognitis militibus, quos præter fugam, ſoluto imperio, licentia, atque laſcivia corruperat, ex copia rerum ſtatuit, ſibi nihil agitandum. Interea Romæ C. Mamilius Limetanus Tr. pl. rogationem ad populum promulgat, uti quæreretur in eos, quorũ conſilio Iugurtha ſenati decreta neglexiſſet; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent; qui elephantos, quique perfugas tradidiſſent; item, qui de pace, aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent. Huic rogationi partim conſcii ſibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam

aperte reſiſtere non poterant, quin illa, & alia talia placere ſibi faterentur, occulte per amicos, ac maxume per homines nominis Latini, & ſocios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu eſt, quantum intenta fuerit, quantaque vi rogationem juſſerit, decreverit, voluerit, magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reip. tanta lubido in partibus erat. Igitur, ceteris metu perculſis, M. Scaurus, quem legatum Beſtiæ fuiſſe ſupra memoravimus, inter lætitiam plebis, & ſuorum fugam, trepida etiam tum civitate, cum ex Mamiliana rogatione tres quæſitores rogarentur, effecerat, ut ipſe in eo numero crearetur. Sed, quæſtione exercita aſpere, violenterque ex rumore, & lubidine plebis, uti ſæpe nobilitatem, ſic ea tempeſtate plebem ex ſecundis rebus inſolentia ceperat. Ceterum mos partium popularium, & ſenatus factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romæ ortus eſt, otio atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam, populus, & ſenatus R. placide modeſteque inter ſe remp. tractabant: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter civis erat: metus hoſtilis in bonis artibus civitatem retinebat. ſed ubi formido illa mentibus deceſſit, ilicet ea, quæ ſecundæ res amant, laſcivia, atque ſuperbia inceſſere. Ita, quod in advorſis rebus optaverant, otium poſtquam adepti ſunt, aſperius, acerbiusque fuit. Namque cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: ſibi quiſque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abſtracta ſunt. reſp. quæ media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis ſoluta, atque in mul-

a multitudinem diſperſa, minus poterat. pauco-
um arbitrio belli domique agitabatur: penes
oſdem ærarium, provinciæ, magiſtratus, gloriæ,
riumphique erant: populus militia atque ino-
ia urgebatur; prædas bellicas imperatores cum
aucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi
beri militum, uti quiſque potentiori confinis
rat, ſedibus pellebantur. Ita cum potentia avari-
ia ſine modo, modeſtiaque invadere, polluere,
& vaſtare omnia; nihil penſi, neque ſancti habe-
e, quoad ſemet ipſa præcipitavit. Nam ubi pri-
num ex nobilitate reperti ſunt, qui veram glo-
iam injuſtæ potentiæ anteponerent: moveri ci-
vitas, & diſſenſio civilis, quaſi permixtio terræ,
oriri cœpit. Nam poſtquam Tiberius, & C.
Gracchus, quorum majores Punico, atque aliis
bellis multum reip. addiderant, vindicare plebem
n libertatem, & paucorum ſcelera patefacere cœ-
pere: nobilitas noxia, atque eo perculſa, modo
per ſocios, & nomen Latinum, interdum per
equites Romanos, quos ſpes ſocietatis à plebe di-
moverat, Gracchorum actionibus obviam ierat:
& primo Tiberium, dein paucos poſt annos ea-
dem ingredientem Caium, Tribun. pl. alterum
triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio
Flacco ferro necaverat. Et ſane Gracchis, cupidi-
ne victoriæ, haud ſatis animus moderatus fuit. Sed
bono vinci ſatius eſt, quam malo more injuriam
vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine
ſua uſa, mortalis multos ferro aut fuga exſtinxit;
plusque in reliquum ſibi timoris, quam poten-
tiæ, addidit: quæ res plerumque magnas civita-
tes peſſum dedit: dum alteri alteros vincere quo-
vis modo, & victos acerbius ulciſci volunt. Sed
de ſtudiis partium, & omnibus civitatis moribus

 ſi ſin-

ſi ſingillatim, aut pro magnitudine parem diſſerere; tempus, quam res, maturius deſeret. quamobrem ad incœptum redeo. Poſt Auli fœdus, exercituſque noſtri fugam fœdam, Metellus, & Silanus conſules deſignati, provincias inter ſe partiverant: Metelloque Numidia evenerat, acri viro, & quamquam adverſo populi partibus, fama tamen æquabili, & inviolata. Is ubi primum magiſtratum ingreſſus eſt; alia omnia ſibi cum collega ratus, ad bellum, quod geſturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites ſcribere, præſidia undique accerſere: arma, tela, equos, & cetera inſtrumenta militiæ parare, ad hoc commeatum affatim, deniq; omnia, quæ in bello vario, & rerum multarum egenti, uſui eſſe ſolent. Ceterum ad ea patranda ſenatus auctoritate, ſocii, nomenque Latinum, & reges ultro auxilia mittendo, poſtremo omnis civitas ſummo ſtudio adnitebatur. Itaque, ex ſententia omnibus rebus paratis, compoſitisque, in Numidiam proficiſcitur, magna ſpe civium, cum propter artis bonas, tum maxume quod advorſum divitias invictum animum gerebat: & avaritia magiſtratuum ante id tempus in Numidia noſtræ opes contuſæ, hoſtiumque auctæ erant. Sed, ubi in Africam venit, exercitus ei traditur à Sp. Albino proconſule, iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, prædator ex ſociis, & ipſe præda hoſtium, ſine imperio, & modeſtia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus ſolicitudinis, quam ex copia militum auxilii, aut bonæ ſpei, accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam & æſtivorum tempus comitiorum mora imminuerat; &, exſpectatione eventus, civium animos inten-

tos

tos putabat; non prius bellum attingere, quam majorum diſciplina milites laborare coegiſſet. Nam Albinus, Auli fratris, exercitusque clade perculſus, poſtquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis æſtivorum in imperio fuit, plerumque milites in ſtativis caſtris habebat; niſi cum odos, aut pabuli egeſtas locum mutare ſubegerat. Sed neque more militari vigiliæ ducebantur. Vti cuique lubebat, ab ſignis aberat. lixæ permiſti cum militibus diu, noctuque vagabantur: & palantes agros vaſtare, villas expugnare, pecoris, & mancipiorum prædas certantes agere: eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, & aliis talibus: præterea, frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: poſtremo, quæcumque dici, aut fingi queunt ignaviæ, luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, & alia amplius. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hoſtilibus, magnum, & ſapientem virum fuiſſe comperior: tanta temperantia inter ambitionem, ſævitiamque moderatum. Namque edicto primo adjumenta ignaviæ ſuſtuliſſe, ne quiſquam in caſtris panem, aut quem alium cibum coctum venderet; ne lixæ exercitum ſequerentur; ne miles gregarius in caſtris, neve in agmine ſervum, aut jumentum haberet: ceteris arte modum ſtatuiſſe: præterea, transvorſis itineribus quotidie caſtra movere: juxta ac ſi hoſtes adeſſent, vallo, atque foſſa munire: vigilias crebras ponere, & eas ipſe cum legatis circuire: item in agmine in primis modo, modo in poſtremis, ſæpe in medio adeſſe, ne quisquam ordine egrederetur: uti, cum ſignis frequentes incederent, miles cibum, & arma portaret. Ita prohibendo à delictis magis, quam vindican-

dicando, exercitum brevi confirmavit. Interea Iugurtha ubi, quæ Metellus agebat, ex nunciis accepit; ſimul de innocentia ejus certior Romæ factus, diffidere ſuis rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus eſt. Igitur legatos ad conſulem cum ſuppliciis mittit, qui tantummodo ipſi, liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo R. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum eſſe. Itaque legatos alium ab alio diverſos aggreditur: ac paullatim tentando, poſtquam opportunos ſibi cognovit, multa pollicendo perſuadet, uti Iugurtham maxume vivum, ſin id parum procedat, necatum ſibi traderent: ceterum palam, quæ ex voluntate forent, regi nunciari jubet. Dein ipſe paucis diebus intento atque infeſto exercitu in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora, cultoresque in agris erant: ex oppidis, & mapalibus, præfecti regis obviam procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, poſtremo omnia, quæ imperarentur, facere. Neque Metellus iccirco minus; ſed pariter ac ſi hoſtes adeſſent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis ſigna oſtentui credere, & inſidiis locum tentare. Itaque ipſe cum expeditis cohortibus, item funditorum & ſagittariorum delecta manu apud primos erat: in poſtremo C. Marius legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus equites auxiliarios tribunis legionum, & præfectis cohortium diſpertiverat: uti cum his permixti velites, quocumque accederent, equitatus hoſtium propulſarent. Nam in Iugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum, & militiæ erat, ut, ab-

t,abſens an præſens,pacem an bellum gerens perıcioſior eſſet,in incerto haberetur. Erat haud lon: ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum ſumidarum,nomine Vacca, forum rerum venaım totius regni maxume celebratũ; ubi & incore, & mercari conſueverant Italici generis multi ıortales. Huc conſul, ſimul tentandi gratia, &, paterentur opportunitates loci, præſidium imɔſuit: præterea imperavit frumentum, & alia, ıæ bello uſui forent, comportare: ratus id, quod 's monebat, frequentiam negotiatorum, & comıeatum juvaturum exercitum, & jam paratis reıs munimentum fore. Inter hæc negotia Iugurıa impenſius modo legatos ſupplices mittere, pa:m orare: præter ſuam, liberorumque vitam, nnia Metello dedere. Quos item, uti priores, ɔnſul illectos ad proditionem domum mittebat: gi pacem, quam poſtulabat, neque abnuere, neıe polliceri, & inter eas moras promiſſa legatoım exſpectare. Iugurtha ubi Metelli dicta cum ctis compoſuit, ac ſuis ſe artibus tentari animad:rtit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceteım re bellum aſperrumum erat, urbs maxuma ienata, ager hoſtibus cognitus, animi populaum tentari; coactus rerum neceſſitudine, ſtait armis certare. Igitur, explorato hoſtium iti:re, in ſpem victoriæ adductus, ex opportunitaloci, quam maxumas poteſt, copias omnium nerum parat, ac per tramites occultos exercim Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiæ, ıam Atherbal in diviſione poſſederat, flumen iens à meridie nomine Muthul: à quo aberat ons ferme millia paſſuum xx. tractu pari, vaıs ab natura, & humano cultu: ſed ex eo meo quaſi collis oriebatur, in immenſum pertinens,

nens, veſtitus oleaſtro, ac myrtetis, aliiſque gene ribus arborum, quæ humi arido, atque arenoſ gignuntur. Media autem planicies deſerta, penu ria aquæ, præter fluminis propinqua loca. ea con ſita arbuſtis, pecore atque cultoribus frequenta bantur. Igitur in eo colle, quem tranſvorſo itiner porrectum docuimus, Iugurtha extenuata ſuo rum acie conſedit: elephantis, & parti copiarur pedeſtrium Bomilcarem præfecit; eumque edo cet, quæ ageret: ipſe propior montem cum omr equitatu, & peditibus delectis ſuos collocat: dei ſingulas turmas, & manipulos circuiens monet atque obteſtatur, uti memores priſtinæ virtutis, 8 victoriæ, ſeſe, regnumque ſuum ab Romanorur avaritia defendant: cum his certamen fore, quo antea victos ſub jugum miſerint: ducem illis, no animum, mutatum: quæ ab imperatore decue rint, omnia ſuis proviſa: locum ſuperiorem, u prudentes cum imperitis, ne pauciores cum plur: bus, aut rudes cum bello melioribus manum cor ſererent. Proinde parati, intentique eſſent, ſign dato, Romanos invadere: illum diem aut omni labores, & victorias confirmaturum, aut maxu marum ærumnarum initium fore. Ad hoc viri tim, uti quemque ob militare facinus pecunia, at honore extulerat, commonefacere benificii ſui & eum ipſum aliis oſtentare: poſtremo, pro cu juſque ingenio pollicendo, minitando, obteſtan do, alium alio modo excitare: cum interim Me tellus, ignarus hoſtium; monte degrediens cur exercitu conſpicatur. Primo dubius, quidnam in inſolita facies oſtenderet; (nam inter virgult equi, Numidæque conſederant, neque plane oc cultati humilitate arborum, & tamen incerti quid nam eſſet, cum natura loci, tum dolo ipſi, atqu

ſign.

igna militaria, obſcurati) dein, brevi cognitis inſidiis, paullisper agmen conſtituit. Ibi commutatis ordinibus, in dextro latere, quod proxumum hoſtis erat, triplicibus ſubſidiis aciem inſtruxit: inter manipulos funditores, & ſagittarios diſpertit, equitatum omnem in cornibus locat; ac pauca pro tempore milites hortatus, aciem, ſicut inſtruxerat, tranſvorſis principiis in planum deducit. Sed, ubi Numidas quietos, neq; colle degredi animadvertit, veritus ex anni tempore, & inopia aquæ, ne ſiti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus, & parte equitum præmiſit ad flumen, uti locum caſtris ante caperet, exiſtumans hoſtes crebro impetu, & tranſvorſis prœliis iter ſuum remoraturos, &, quoniam armis diffiderent, laſſitudinem & ſitim militum tentaturos. Dein ipſe pro re, atque loco, ſicuti monte deſcenderat, paullatim procedere: Marium poſt principia habere: ipſe cum ſiniſtræ alæ equitibus eſſe, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos ſuos prætergreſſum videt, præſidio quaſi duûm millium peditum montem occupat, qua Metellus deſcenderat: ne forte cedentibus adverſariis receptui, ac poſt munimento foret: dein, repente ſigno dato, hoſtis invadit. Numidæ alii poſtremos cædere: pars à ſiniſtra, ac dextera tentare: infenſi adeſſe, atque inſtare; omnibus locis Romanorum ordines conturbare. quorum etiam qui firmioribus animis obvii hoſtibus fuerant, ludificati incerto prælio ipſi modo eminus ſauciabantur, neque contra feriundi aut conferendi manum copia erat. Ante jam docti ab Iugurtha equites, ubicumque Romanorum turma inſequi cœperat, non confertim, neque in unum ſeſe recipiebant,

ſed

ſed alius alio quam maxume divorſi. ita numero priores, ſi à perſequendo hoſtes deterrere nequiverant, disjectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant: ſin opportunior fugæ collis, quam campi fuerant; eo vero conſueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; noſtros aſperitas, & inſolentia loci retinebat. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, fœda, atque miſerabilis, diſperſi à ſuis, pars cedere, alii inſequi: neque ſigna, neque ordines obſervare: ubi quemque periculum ceperat, ibi reſiſtere, ac propulſare: arma, tela, equi, viri, hoſtes, cives permixti: nihil conſilio, neque imperio agi: fors omnia regere. Itaque multum diei proceſſerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore, & æſtu languidis, Metellus, ubi videt Numidas minus inſtare, paullatim milites in unum conducit: ordines reſtituit, & cohortes legionarias quatuor advorſum pedites hoſtium collocat. Eorum magna pars ſuperioribus locis feſſa conſederat. ſimul orare, hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hoſtes fugientis vincere: neque illis caſtra eſſe, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent: in armis omnia ſita. Sed nec Iugurtha quidem interea quietus erat; circuire, hortari, renovare prœlium, & ipſe cum delectis tentare omnia: ſubvenire ſuis, hoſtibus dubiis inſtare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere. Eo modo duo imperatores ſummi viri, inter ſe certabant: ipſi pares, ceterum opibus diſparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorſus: Iugurthæ alia omnia, præter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt neque ſibi profugium eſſe, neque ab hoſte copiam pugnandi fieri; (& jam diei veſper erat,) advorſo colle,

lle, ſicuti præceptum fuerat, evadunt. Amiſſo co Numidæ fuſi, fugatique, pauci interiere: pleſque velocitas, & regio hoſtibus ignara, tuta nt. Interea Bomilcar, quem elephantis, & parti ›piarum pedeſtrium præfectum ab Iugurtha ſua diximus, ubi eum Rutilius prætergreſſus eſt, ullatim ſuos in æquum locum deducit: ac, dum gatus ad flumen, quo præmiſſus erat, feſtinans :rgit, quietus, uti res poſtulabat, aciem exornat: :que remittit, quid ubique hoſtis ageret, explore. Poſtquam Rutilium conſediſſe jam, & anio vacuum accepit, ſimulque ex Iugurthæ prœ) clamorem augeri, veritus ne legatus cognita re, borantibus ſuis auxilio foret, aciem, quam diffi:ns virtuti militum arte ſtatuerat, quo hoſtium inere officeret, latius porrigit; eoque modo ad utilii caſtra procedit. Romani ex improviſo ılveris vim magnam animadvertunt. Nam proectum ager arbuſtis conſitus prohibebat. Et prio rati humum aridam vento agitari: poſt, ubi quabilem manere, &, ſicut acies movebatur, ıagis magisque appropinquare vident; cognita re roperantes arma capiunt, ac pro caſtris, ſicut nperabatur, conſiſtunt. Dein, ubi propius venım eſt, utrimque magno clamore concurritur. Jumidæ tantummodo remorati, dum in elehantis auxilium putant, poſtquam eos impedi›s ramis arborum, atque ita disjectos circumveiri vident, fugam faciunt: ac plerique, abjectis rmis, collis, aut noctis, quæ jam aderat, auxilio ıtegri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui mnes numero quadraginta interfecti. At Romai quamquam itinere, atque opere caſtrorum, & rœlio feſſi, laſſique erant; tamen, quod Metellus mplius opinione morabatur, inſtructi, intenti-

que

que obviam procedunt. Nam dolus Numidarum
nihil languidi, neque remiſſi patiebatur. Ac primo
obſcura nocte, poſtquam haud procul inter ſe
erant, ſtrepitu, veluti hoſtes adventarent, alteri
apud alteros formidinem ſimul, & tumultum fa-
cere: & pæne imprudentia admiſſum facinus mi-
ſerabile, ni utrimque præmiſſi equites rem explo-
raviſſent. Igitur pro metu repente gaudium exor-
tum. milites alius alium læti appellant, acta edo-
cent, atque audiunt: ſua quiſque fortia facta ad
cælum fert. Quippe res humanæ ita ſeſe habent:
in victoria vel ignavis gloriari licet: advorſæ res
etiam bonos detrectant. Metellus in iſdem caſtris
quatriduo moratus, ſaucios cum cura reficit; me-
ritos in prœliis more militiæ donat, univerſos in
concione laudat, atque agit gratias: hortatur, ad
cetera, quæ levia ſunt, parem animum gerant: pro
victoria ſatis jam pugnatum, reliquos labores pro
præda fore. Tamen interim transfugas, & alios
opportunos Iugurtha ubi gentium, aut quid agi-
taret, cum paucisne eſſet, an exercitum haberet,
uti ſeſe victus gereret, exploratum miſit. At ille
ſeſe in loca ſaltuoſa, & natura munita receperat:
ibique cogebat exercitum numero hominum
ampliorem, ſed hebetem, infirmumque, agri ac
pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia
eveniebat, quod præter equites regios nemo o-
mnium Numida ex fuga regem ſequitur. quo cu-
juſque animus fert, eo diſcedunt. neque id flagi-
tium militiæ ducitur: ita ſe mores habent. Igitur
Metellus, ubi videt etiam tum regis animum fero-
cem eſſe; bellum renovari, quod niſi ex illius lu-
bidine geri non poſſet: præterea iniquum certa-
men ſibi cum hoſtibus; minore detrimento illos
vinci, quam ſuos vincere: ſtatuit non prœliis,
neque

eque acie, ſed alio more bellum gerundum. Ita-ue in loca Numidiæ opulentiſſima pergit: agros aſtat: multa caſtella, & oppida, temere munita, ut ſine præſidio, capit, incenditque: puberes in-:rfici jubet, alia omnia militum præda eſſe. Ea ɔrmidine multi mortales Romanis dediti obſides: umentum, & alia, quæ uſui forent, affatim præ-ita: ubicumque res poſtulabat, præſidium impo-.tum. Quæ negotia multo magis, quam prœlium ıale pugnatum ab ſuis, regem terrebant. Quippe ujus ſpes omnis in fuga ſita erat, ſequi cogebatur; κ qui ſua loca defendere nequiverat, in alienis ɩellum gerere. Tamen ex inopia, quod optumum idebatur, conſilium capit: exercitum plerumque n iſdem locis operiri jubet: ipſe cum delectis quitibus Metellum ſequitur: nocturnis & aviis tineribus ignoratus, Romanos palantis repente ggreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi apiuntur: nemo omnium intactus profugit: & Numidæ, prius quam ex caſtris ſubveniretur, icuti juſſi erant, in proxumos collis diſcedunt. In-erim Romæ gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus: uti ſeque, & exercitum more ma-orum gereret; in advorſo loco victor tamen vir-ute fuiſſet; hoſtium agro potiretur; Iugurtham, nagnificum ex Auli ſocordia, ſpem ſalutis in ſo-itudine, aut fuga coegiſſet habere. Itaque ſena-us, ob ea feliciter acta, diis immortalibus ſuppli-ia decernere: civitas trepida antea, & ſolicita de ɔelli eventu, læta agere: de Metello fama præclara eſſe. Igitur eo intentior ad victoriam niti: omni-ɔus modis feſtinare: cavere tamen, necubi hoſti opportunus fieret: meminiſſe poſt gloriam invi-diam ſequi. Ita, quo clarior, eo magis anxius erat: neque poſt inſidias Iugurthæ effuſo exercitu præ-dari.

dari. ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu præſidium agitabant: exercitus partem ipſe, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam præda, ager vaſtabatur. Duobus locis haud longe inter ſe caſtra faciebant. Vbi vi opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga, atque formido latius creſceret, divorſi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis ſequi: tempus, aut locum pugnæ quærere: qua venturum hoſtem audierat, pabulum, & aquarum fontis, quorum pænuria erat; corrumpere: modo ſe Metello, interdum Mario oſtendere; poſtremos in agmine tentare, ac ſtatim in collis regredi: rurſus aliis, poſt aliis minitari: neque prœlium facere, neque otium pati, tantummodo hoſtem ab incœpto retinere. Romanus imperator ubi ſe dolis fatigari videt: neque ab hoſte copiam pugnandi fieri: urbem magnam, & in ea parte, qua ſita erat, arcem regni, nomine Zamam, ſtatuit oppugnare; ratus id, quod negotium poſcebat, Iugurtham laborantibus ſuis auxilio venturum, ibique prœlium fore. At ille, quæ parabantur, à perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit: oppidanos hortatur, mœnia defendant, additis auxilio perfugis: quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmiſſumum erat. præterea pollicetur, in tempore ſemet cum exercitu affore. Ita compoſitis rebus in loca quam maxume occulta diſcedit; ac paullo poſt cognoſcit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam miſſum: quod oppidum primum omnium poſt malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit, & jam egredientibus Romanis in porta pugnam facit: ſimul magna voce Siccenſes hortatur, uti cohortes ab tergo circumveniant:

eniant: fortunam illis præclari facinoris caſum lare: ſi id fecerint; poſtea ſeſe in regno, illos in ibertate ſine metu ætatem acturos. ac ni Marius igna inferre, atque evadere oppido properaviſſet, rofecto cuncti, aut magna pars Siccenſium, fiem mutaviſſent. Tanta mobilitate ſeſe Numidæ erunt. Sed milites Iugurthini paullìſper ab rege uſtentati, poſtquam majore vi hoſtes urgent, aucis amiſſis profugi diſcedunt. Marius ad Zaam pervenit. id oppidum in campo ſitum, maȷis opere, quam natura munitum erat, nullius doneæ rei egens, armis viriſque opulentum. Igiur Metellus, pro tempore atque loco paratis reus, cuncta mœnia exercitu circumvenit: legatis mperat, ubi quiſque curaret. Dein, ſigno dato, undique ſimul clamor ingens oritur. neque ea es Numidas terret: infenſi intentique ſine tunultu manent: prœlium incipitur. Romani pro ngenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare: evadere alii, alii ſuccedere, ac muum modo ſuffodere, modo ſcalis aggredi; cupee prœlium manibus facere. Contra ea oppidani n proxumos ſaxa volvere, ſudes, pila, præterea pice & ſulphure tædam miſtam ardentia mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manſerant, timor nimi ſatis muniverat. Nam pleroſque jacula, ormentis, aut manu emiſſa, vulnerabant: parique periculo, ſed fama impari, boni atque ignavi erant. Dum apud Zamam ſic certatur, Iugurtha ex improviſo caſtra hoſtium cum magna manu nvadit: remiſſis, qui in præſidio erant, & omnia magis, quam prœlium, exſpectantibus, portam rrumpit. At noſtri, repentino metu perculſi, ſibi quiſque pro moribus conſulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars vulnerati, aut occiſi.

Ceterum

Ceterum ex omni multitudine non amplius qua draginta memores nominis Romani, grege fact locum capere paullo, quam alii, editiorem: nequ inde maxuma vi depelli quiverunt: ſed tela em nus miſſa remittere, pauci in pluribus minus fru ſtrati: ſin Numidæ propius acceſſiſſent, ibi ver virtutem oſtendere, & eos maxuma vi cædere fundere, atque fugare. Interim Metellus, cui acerrume rem gereret, clamorem & tumultu hoſtilem à tergo accepit: dein, converſo equo animadvortit fugam ad ſe vorſum fieri. quæ re indicat popularis eſſe. Igitur equitatum omnen ad caſtra propere mittit, ac ſtatim C. Marium cur cohortibus ſociorum; eumque lacrumans pe amicitiam, perque remp. obſecrat, ne quam cor tumeliam remanere in exercitu victore, neve ho ſtes inultos abire ſinat. ille brevi mandata effici At Iugurtha munimento caſtrorum impeditus cum alii ſuper vallum præcipitarentur, alii in an guſtiis ipſi ſibi properantes officerent, mult amiſſis in loca munita ſeſe recipit. Metellus, in fecto negotio, poſtquam nox aderat, in caſtra cur exercitu revortitur. Igitur poſtero die, priu quam ad oppugnandum egrederetur, equitatur omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pr caſtris agitare jubet: portas, & proxuma loc tribunis diſpertit: dein ipſe pergit ad oppidum, at que, uti ſuperiore die, murum aggreditur. In terim Iugurtha ex occulto repente noſtros inva dit. qui in primo locati fuerant, paulliſper territ perturbantur: reliqui cito ſubveniunt. Neque diu tius Numidæ reſiſtere quiviſſent, ni pedites cun equitibus permixti magnam cladem in congreſſi facerent: quibus illi freti, non ut equeſtri prœ lio ſolet, ſequi, dein cedere, ſed advorſis equi

concur-

ncurrere, implicare, acperturbare aciem: ita, ;peditis peditibus ſuis, hoſtis pæne victos dare. odem tempore apud Zamam magna vi certaba- ır. Vbi quiſque legatus, aut tribunus curabat, eo :errume niti, neque alius in alio magis, quam in ſe, ſpem habere: pariterque oppidani agere, pu- ıare, aut parare omnibus locis: avidius alteri al- ros ſauciare, quam ſemet tegere. clamor per- ixtus, hortatione, lætitia, gemitu: item ſtre- tus armorum ad cælum ferri: tela utrimque vo- re. Sed illi, qui mœnia defenſabant, ubi hoſtes :ullulum modo pugnam remiſerant, intenti prœ- ım equeſtre proſpectabant. Eos, uti quæque Iu- ırthæ res erant, lætos, modo pavidos animad- rteres: ac, ſicubi audiri à ſuis, aut cerni poſ- nt, monere alii, alii hortari, aut manu ſignifica- , aut niti corporibus: huc & illuc, quaſi vita- ındi, aut jacientes tela, agitare. Quod ubi Ma- › cognitum eſt, (nam is in ea parte curabat) nſulto lenius agere, ac diffidentiam rei ſimula- : pati Numidas ſine tumultu, regis prœlium vi- :e. Ita, illis ſtudio ſuorum adſtrictis, repente agna vi murum aggreditur: & jam ſcalis egreſſi ilites prope ſumma ceperant, cum oppidani ncurrunt, lapides, ignem, alia præterea tela in- runt. Noſtri primo reſiſtere: dein, ubi unæ,]ue alteræ ſcalæ comminutæ; qui ſuperſteterant lıcti ſunt: cæteri, quo quiſque modo potuere, uci integri, magna pars confecti vulneribus, eunt. Deinde utrimque prœlium nox diremit. etellus poſtquam videt fruſtra inceptum; neque pidum capi, neque Iugurtham, niſi ex inſi- s, aut ſuo loco pugnam facere; & jam æſtatem actam eſſe; ab Zama diſcedit: & in iis urbibus, æ ab ſeſe defecerant, ſatisque munitæ loco, aut

mœni-

mœnibus erant, præſidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quæ proxuma eſt Numidiæ, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti, aut luxuriæ concedit ſed, quoniam armis bellum parum procedebat inſidias regi per amicos tendere, & eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qu Romæ cum Iugurtha fuerat, & inde clam, vadibus datis, de Maſſivæ nece, judicium fugerat quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus aggreditur: ac primo efficit, ut ad ſe colloquendi grati occultus veniat: dein, fide data, ſi Iugurthar vivum, aut necatum ſibi tradidiſſet, fore, ut il ſenatus impunitatem, & ſua omnia concederet Facile Numidæ perſuadet, cum ingenio infido tum metuenti, ne, ſi pax cum Romanis fieret, ipſ per conditiones ad ſupplicium traderetur. Is, ut primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miſerantem fortunas ſuas accedit: monet, at que lacrumans obteſtatur, ut aliquando ſibi libe risque, & genti Numidarum optume merenti provideat: omnibus prœliis ſeſe victos, agrum vaſtatum, multos mortalis captos, occiſos, regr opes comminutas eſſe: ſatis ſæpe jam & virtuten militum, & fortunam tentatam: caveat, ne ill cunctante, Numidæ ſibi conſulant. His, atqu talibus aliis ad deditionem regis animum impellit Mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurthar imperata facturum dicerent, ac ſine ulla pactior ſeſe, regnumque ſuum in illius fidem tradere Metellus propere cunctos ſenatorii ordines e hibernis accerſiri jubet: eorum, atque aliorum quos idoneos ducebat, conſilium habet. It more majorum, ex conſilii decreto, per lega

to

os Iugurthæ imperat, argenti pondo ducena millia, elephantos omnis, equorum, & armoum aliquantum. Quæ poſtquam ſine mora facta unt, jubet perfugas omnis vinctos adduci. Eoum magna pars, uti juſſum erat, adducti: pauci, um primum deditio cœpit, ad regem Bocchum n Mauritaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi rmis, virisque, & pecunia ſpoliatus eſt, cum iſe ad imperandum Tiſidium vocaretur, rurſus œpit flectere animum ſuum, & ex mala conſcientia digna timere. Denique, multis diebus per lubitationem conſumtis, cum modo tædio reum advorſarum omnia bello potiora duceret; nterdum ſecum ipſe reputaret, quam gravis caus in ſervitium ex regno foret; multis, magnisque præſidiis nequiquam perditis, de integro belum ſumit. Et Romæ ſenatus, de provinciis conultus, Numidiam Metello decreverat. Per idem empus Vticæ fortè C. Mario, per hoſtias diis upplicanti, magna, atque mirabilia portendi aruſpex dixerat: proinde, quæ animo agitabat, retus diis ageret: fortunam quam ſæpiſſume experiretur; cuncta proſpere eventura. At illum am antea conſulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, præter vetuſtatem familiæ, alia omnia abunde erant; induſtria, probitas, militiæ magna ſcientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis, & divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus. Sed is natus, & omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum ætas militiæ patiens fuit, ſtipendiis faciundis, non Græca facundia, neque urbanis munditiis ſeſe exercuit: ta inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militum à populo petit, plerisque faciem ejus ignoranti-

bus facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magiſtratu, alium poſt alium ſibi peperit: ſemperque in poteſtatibus eo modo agitabat, ut ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. tamen is ad id locorum talis vir (nam poſtea ambitione præceps datus eſt) conſulatum appetere non audebat. Etiam tum alios magiſtratus plebes, conſulatum nobilitas inter ſe per manus tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore, & quaſi pollutus haberetur. Igitur, ubi Marius haruſpicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur; ab Metello petundi gratia miſſionem rogat: cui quamquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemtor animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus inſolita re, mirari ejus conſilium, & quaſi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu ſuper fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupienda eſſe: debere illi res ſuas ſatis placere: poſtremo caveret id petere à populo R. quod illi jure negaretur. Poſtquam hæc, atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; reſpondit, ubi primum potuiſſet per negotia publica, factum ſeſe, quæ peteret. ac poſtea ſæpius eadem poſtulanti fertur dixiſſe, ne feſtinaret abire: ſatis mature illum cum filio ſuo conſulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter xx. quæ res Marium cum pro honore, quem affectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine, atque ira peſſumis conſultoribus, graſſari: neque facto ullo, neque dicto abſtinere, quod modo ambitioſum foret: milites, quibus in hibernis

ernis præerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multiudo Vticæ erat, criminoſe ſimul & magnifice de ello loqui: dimidia pars exercitus ſibi permitteretur; paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum: ab imperatore conſulto trahi, quod hono inanis, & ſuperbiæ regiæ, imperio nimis gauderet. Quæ omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant: & animo cupienti nihil ſatis feſtinatur. Erat præterea in exercitu noſtro Numida quidam, nomine Gauda, Maſtanabalis filius, Maſiniſſæ nepos, quem Micipſa teſtamento heredem ſecundum ſcripſerat, morbis confectus, & ob eam cauſſam nente paullulum imminuta. Cui Metellus petenti more regum, uti ſellam juxta poneret, item oſtea cuſtodiæ cauſſa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod orum modo foret, quos populus R. reges appellaviſſet: præſidium, quod contumelioſum in eos oret, ſi equites Romani, ſatellites Numidæ tralerentur. Hunc Marius anxium aggreditur, atque hortatur, uti contumeliarum in imperatorem cum uo auxilio pœnas petat: hominem ob morbos nimo parum valido ſecunda oratione extollit: llum regem, virum ingentem, Maſiniſſæ nepoem eſſe: ſi Iugurtha captus, aut occiſus foret, mperium Numidiæ ſine mora habiturum: id deo mature poſſe evenire, ſi ipſe conſul ad id ellum miſſus foret. Itaque & illum, & equites Romanos, milites, & negotiatores, alios ipſe, lerosque pacis ſpes impellit, uti Romam ad ſuos neceſſarios aſpere in Metellum de bello ſcribant, Marium imperatorem poſcant. Sic illi à multis nortalibus honeſtiſſuma ſuffragatione conſula-

 tus

ius petebatur. ſimul ea tempeſtate plebes, nobilitate fuſa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere. Interim Iugurtha, poſtquam, omiſſa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, feſtinare, cogere exercitum: civitates, quæ ab ſe defecerant, formidine, aut oſtentando præmia affectare: communire ſuos locos: arma, tela, aliaque, quæ ſpe pacis amiſerat, reficere, aut commercari: ſervitia Romanorum allicere, & eos ipſos, qui in præſidiis erant, pecunia tentare: prorſus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vaccenſes, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, præſidium impoſuerat, fatigati regis ſuppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter ſe conjurant: (nam vulgus, uti plerumque ſolet, & maxume Numidarum, ingenio mobili, ſeditioſum, atque diſcordioſum, erat cupidum novarum rerum, quieti & otio advorſum) dein, compoſitis inter ſe rebus, in diem tertium conſtituunt, quod is feſtus celebratusque per omnem Africam, ludum, & laſciviam magis, quam formidinem, oſtentabat. Sed, ubi tempus fuit, centuriones, tribunosque militaris, & ipſum præfectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos ſuas invitant: eos omnis, præter Turpilium, inter epulas obtruncant: poſtea milites palantes, inermes, quippe in tali die, ac ſine imperio, aggrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii ſtudio talium rerum incitati, quîs acta, conſiliumque ignorantibus tumultus ipſe, & res novæ ſatis placebant. Romani milites, improviſo metu, incerti ignarique quid potiſſumum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi ſigna, & ſcuta erant: præſidium hoſtium,

portæ

portæ ante clauſæ fugam prohibebant, ad hoc mulieres, puerique pro tectis ædificiorum ſaxa, & alia, quæ locus præbebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque à fortiſſumis infirmiſſumo generi reſiſti poſſe: juxta boni, malique, ſtrenui, & imbelles inulti obtruncati. In ea tanta aſperitate, ſæviſſumis Numidis, & oppido undique clauſo, Turpilius præfectus unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id miſericordia ne hoſpitis, an pactione, an caſu ita evenerit, parum comperimus; niſi, quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus inteſtabilisque videtur. Metellus, poſtquam de rebus Vaccæ actis comperit, paulliſper mæſtus è conſpectu abit: dein, ubi ira, & ægritudo permixta ſunt, cum maxuma cura ultum ire injurias feſtinat. Legionem, cum qua hiemabat, & quam plurimos poteſt Numidas equites pariter cum occaſu ſolis expeditos educit: & poſtera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo ſuperioribus circumventam. Ibi milites feſſos itineris magnitudine, & jam abnuentes omnia, docet oppidum Vaccam non amplius mille paſſuum abeſſe: decere illos reliquum laborem æquo animo pati, dum pro civibus ſuis, viris fortiſſumis, atque miſerrumis, pœnas caperent. præterea prædam benigne oſtentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo latere, pedites quam artiſſume ire, & ſigna occultare jubet. Vaccenſes ubi animadvertere ad ſe vorſum exercitum pergere; primo, uti res erat, Metellum eſſe rati, portas clauſere: dein, ubi neque agros vaſtari, & eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rurſus Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites pe-

diteſque, repente ſigno dato, alii vulgum effuſum oppido cædere; alii ad portas feſtinare; pars tur res capere: ira, atque ſpes prædæ amplius, quam laſſitudo, poſſe. Ita Vaccenſes biduum modo e perfidia lætati: civitas magna, & opulens pœna cuncta, aut prædæ fuit. Turpilius quem præfe ctum oppidi unum ex omnibus profugiſſe ſupr oſtendimus, juſſus à Metello cauſſam dicere poſtquam ſeſe parum expurgat, condemnatus verberatusque capite pœnas ſolvit. Nam is civi ex Latio erat. Per idem tempus Bomilcar, cuju impulſu Iugurtha deditionem, quam metu deſe ruit, incœperat, ſuſpectus regi, & ipſe eum ſu ſpiciens, novas res cupere: ad perniciem ejus do lum quærere: diu noctuque fatigare animum denique, omnia tentando, ſocium ſibi adjungi Nabdalſam, hominem nobilem, magnis opibu clarum, acceptumque popularibus ſuis: qui ple rumque ſeorſum ab rege exercitum ductare, & omnis res exſequi ſolitus erat, quæ Iugurthæ feſ ſo, aut majoribus adſtricto ſuperaverant: ex quo illi gloria, opesque inventæ. Igitur utriuſque con ſilio dies inſidiis ſtatuitur: cetera, uti res poſce ret, ex tempore parari placuit. Nabdalſa ad exer- citum profectus; quem inter hiberna Romano- rum juſſus habebat, ne ager inultis hoſtibus va ſtaretur. Is poſtquam, magnitudine facinoris per- culſus, ad tempus non venit, metusque rem im pediebat, Bomilcar ſimul cupidinibus incœpta patrandi, & timore ſocii anxius, ne, omiſſo vete re conſilio, novum quæreret; litteras ad eum per homines fidelis mittit: in quîs mollitiem, ſocor- diamque viri accuſare: teſtari deos, per quos ju raviſſet: monere, ne præmia Metelli in peſtem ſuam converteret; Iugurthæ exitium adeſſe: ce-

terum,

erum, ſua ne, an Metelli virtute periret, id mo-
lo agitari : proinde reputaret cum animo ſuo,
præmia an cruciatum mallet. Sed cum eæ litteræ
illatæ, forte Nabdalſa, exercito corpore feſſus, in
lecto quieſcebat. Vbi, cognitis Bomilcaris verbis,
primo cura, dein, ut ægrum animum ſolet,
ſomnus cepit. Erat ei Numida quidam negotio-
rum curator fidus, acceptusque, & omnium con-
ſiliorum, niſi noviſſumi, particeps. Qui poſtquam
illatas litteras audivit, ex conſuetudine ratus ope-
ra aut ingenio ſuo opus eſſe, in tabernaculum in-
troit : dormiente illo, epiſtolam, ſuper caput in
pulvino temere poſitam, ſumit, ac perlegit; dein
propere, cognitis inſidiis, ad regem pergit. Nab-
dalſa, poſt paullo experrectus, ubi neque epiſto-
lam reperit, & rem omnem, ut acta erat, ex per-
fugis cognovit; primo indicem perſequi conatus;
poſtquam id fruſtra fuit, Iugurtham placandi gra-
tia, accedit: quæ ipſe paraviſſet, perfidia clientis
ſui facere præventum : lacrumans obteſtatur per
amicitiam, perque ſua antea fideliter acta, ne ſu-
per tali ſcelere ſuſpectum ſeſe haberet. Ad ea rex
aliter, atque animo gerebat, placide reſpondit.
Bomilcare, aliisque multis, quos ſocios inſidia-
rum cognoverat, interfectis, iram oppreſſerat, ne
qua ex eo negotio ſeditio oriretur. Neque poſt
id locorum Iugurthæ dies, aut nox ulla quieta
fuit : neque loco, neque mortali cuiquam, aut
tempori ſatis credere : civis, hoſtisque juxta me-
tuere : circumſpectare omnia, & omni ſtrepitu
paveſcere : alio, atque alio loco ſæpe contra decus
regium noctu requieſcere : interdum ſomno ex-
citus arreptis armis tumultum facere : ita formi-
dine, quaſi vecordia, exagitari. Igitur Metellus,
ubi de caſu Bomilcaris, & indicio patefacto ex

perſugis cognovit; rurſus tamquam ad integrum bellum cuncta parat, feſtinatque. Marium, fatigantem de profectione, ſimul & inviſum, & offenſum ſibi parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romæ plebes, litteris, quæ de Metello ac Mario miſſæ erant, cognitis, volentia de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quæ antea decori fuerat, invidiæ eſſe: at illi alteri generis humilitas favorem addiderat: ceterum in utroque magis ſtudia partium, quam bona, aut mala ſua, moderata. Præterea ſeditioſi magiſtratus vulgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arceſſere, Marii virtutem in majus celebrare. Denique plebes ſic accenſa, ut opifices, agreſteſque omnes, quorum res, fideſque in manibus ſitæ erant, relictis operibus frequentarent Marium, & ſua neceſſaria poſt illius honorem ducerent. Ita perculſa nobilitate, poſt multas tempeſtates novo homini conſulatus mandatur: & poſtea populus à Tr. pl. Manlio Mantino rogatus, quem vellet cum Iugurtha bellum gerere, frequens Marium juſſit. Sed ſenatus paullo ante Metello Numidiam decreverat. ea res fruſtra fuit. Eodem tempore Iugurtha, amiſſis amicis, quorum pleroſque ipſe necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant; cum neque bellum geri ſine adminiſtris poſſet, & novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculoſum duceret, varius incertuſque agitabatur: neque illi res, neque conſilium, aut quiſquam hominum ſatis placebat: itinera, præfectoſque in dies mutare: modo advorſum hoſtes, interdum in ſolitudines pergere: ſæpe in fuga, at poſt paullo in armis ſpem habere: dubitare, virtuti popularium an fidei minus crederet. Ita, quocumque inten-

ntenderat, res advorſæ erant. Sed inter eas moras repente ſe Metellus cum exercitu oſtendit. Numidæ ab Iugurtha pro tempore parati, inſtructique ſunt: dein prœlium incipitur. Qua in parte rex pugnæ affuit, ibi aliquamdiu certatum: ceteri omnes ejus milites primo congreſſu pulſi, fugatique: Romani ſignorum, & armorum, & aliquanto numero hoſtiū potiti. Nam ferme Numidas in omnibus prœliis magis pedes, quam arma, tuta ſunt. Ea fuga Iugurtha impenſius modo rebus ſuis diffidens, cum perfugis, & parte equitatus in ſolitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum, & opulentum: ubi plerique theſauri, filiorumque ejus multus pueritiæ cultus erat. Quæ poſtquam Metello comperta ſunt, quamquam inter Thalam flumenque proxumum, in ſpatio millium quinquaginta, loca arida, atque vaſta eſſe cognoverat; tamen ſpe patrandi belli, ſi ejus oppidi potitus foret, omnis aſperitates ſupervadere, ac naturam etiam vincere aggreditur. Igitur omnia jumenta ſarcinis levari jubet, niſi frumento dierum x. ceterum utris modo, & alia aquæ idonea portari. Præterea conquirit ex agris quam plurimum poteſt domiti pecoris: eoque imponit vaſa cujusque modi, ſed pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui ſe poſt regis fugam Metello dediderant, quamplurimum quisque aquæ portaret: diem, locumque, ubi præſto forent prædicit. Ipſe ex flumine, quam proxumam aquam oppido eſſe ſupra diximus, jumenta onerat. Eo modo inſtructus ad Thalam proficiſcitur. Dein ubi ad id loci ventum, quo Numidis præceperat; & caſtra poſita, munitaque ſunt; tanta repente cælo miſſa vis aquæ dicitur, ut ea modo

exercitui ſatis ſuperque foret. Præterea commea tus ſpe amplior: quia Numidæ, ſicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis uſi: eaque res multum animis eorum addidit. Nam rati ſeſe diis immortalibus curæ eſſe, dein poſtera die, contra opinionem Iugurthæ, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui ſe locorum aſperitate munitos crediderant, magna atque inſolita re perculſi, nihilo ſegnius bellum parare: idem noſtri facere. Sed rex nihil jam Metello infectum credens, quippe qui omnia arma, tela, loca, tempora, denique naturam ipſam, ceteris imperitantem, induſtria vicerat, cum liberis, & magna parte pecuniæ ex oppido noctu profugit; neque poſtea in ullo loco amplius una die, aut una nocte moratus: ſimulabat ſeſe negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare poſſe celeritate putabat. Nam talia conſilia per otium & ex opportunitate capi. At Metellus ubi oppidanos prœlio intentos, ſimul oppidum & operibus, & loco munitum videt, vallo foſſaque mœnia circumvenit. Dein jubet locis ex copia maxume idoneis vineas agere: ſuperque eas aggerem jacere, & ſuper aggerem impoſitis turribus opus & adminiſtros tutari. Contra hæc oppidani feſtinare, parare; prorſus ab utriſque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore prœliiſque fatigati, poſt dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: præda omnis à perfugis corrupta. Hi poſtquam murum arietibus feriri, reſque ſuas afflictas vident, aurum, argentumque, & alia, quæ prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi vino, & epulis onerati, illaque, & domum, & ſemet igni corrumpunt: & quas

victi

/icti ab hoſtibus pœnas metuerant, eas ipſi vo-
entes pependere. Sed pariter cum capta Thala
ogati ex oppido Lepti ad Metellum venerant,
orantes uti præſidium, præfectumque eo mitte-
ret: Hamilcarem quemdam, hominem nobilem,
actioſum, novis rebus ſtudere; advorſum quem
neque imperia magiſtratuum, neque leges vale-
rent: ni id feſtinaret, in ſummo periculo ſuam
ſalutem, illorum ſocios fore. Nam Leptitani jam
nde à principio belli Iugurthini ad Beſtiam con-
ſulem, & poſtea Romam miſerant, amicitiam,
ſocietatemque rogatum. Dein, ubi ea impetrata
fuere, ſemper boni, fideleſque manſere; & cuncta
à Beſtia, Albino, Metelloque imperata navi fece-
rant. Itaque ab imperatore facile, quæ petebant,
adepti. Emiſſæ eo cohortes Ligurum quatuor, &
C. Annius præfectus. Id oppidum ab Sidoniis
conditum eſt, quos accepimus profugos ob diſ-
cordias civilis, navibus in eos locos veniſſe; ce-
terum ſitum inter duas Syrtis: quibus nomen ex
re inditum. Nam duo ſunt ſinus prope in extrema
Africa, impares magnitudine, pari natura: quo-
rum proxuma terræ præalta ſunt, cetera, uti fors
tulit, alta; alia in tempeſtate vadoſa. Nam ubi ma-
re magnum eſſe, & ſævire ventis cœpit, limum,
arenamque, & ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita
facies locorum cum ventis ſimul mutatur. Syrtes
ab tractu nominatæ. Ejus civitatis lingua modo
converſa connubio Numidarum. Legum, cul-
tusque pleraque Sidonica: quæ eo facilius retine-
bant, quod procul ab imperio regis ætatem age-
bant. Inter illos, & frequentem Numidiam incul-
ti vaſtique loci erant.

Sed, quoniam in has regiones per Leptitano-
rum negotia venimus, non indignum videtur,
egre-

egregium, atque memorabile facinus duorum Carthaginienſium memorare. eam rem nos locus admonuit. Qua tempeſtate Carthaginienſes pleræque Africæ imperitabant, Cyrenenſes quoque magni, atque opulenti fuere. Ager in medio arenoſus, una ſpecie: neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum diſcerneret: quæ res eos in magno diuturnoque bello inter ſe habuit. Poſtquam utrimque legiones, item claſſes ſæpe fuſæ, fugatæque, & alteri alteros aliquantum attriverant; veriti ne mox victos, victoresque defeſſos alius aggrederetur, per inducias ſponſionem faciunt, uti certo die legati domo proficiſcerentur: quo in loco inter ſe obvii fuiſſent, is communis utriuſque populi finis haberetur. Igitur duo fratres Carthagine miſſi, quibus nomen Philænis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenſes tardius iere. Id ſocordiane, an caſu acciderit, parum cognovi. Ceterum ſolet in locis illis tempeſtas haud ſecus, atque in mari, retinere. Nam, ubi per loca æqualia, & nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora, oculosque implere, ita proſpectu impedito, morari iter. Poſtquam Cyrenenſes aliquanto poſteriores ſe eſſe vident, & ob rem corruptam domi pœnas metuunt; criminari Carthaginienſes ante tempus domo digreſſos; conturbare rem; denique omnia malle, quam victi abire. Sed cum Pœni aliam conditionem, tantummodo æquam, peterent, Græci optionem Carthaginienſium faciunt; uti vel illi, quos finis populo ſuo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione ſeſe, quem in locum vellent, proceſſuros. Philæni, conditione probata, ſeque, vitamque ſuam reip. condonavere: ita vivi obruti. Carthaginienſes in eo lo-

o loco Philænis fratribus aras conſecravere: a-
ique illis domi honores inſtituti. Nunc ad rem
edeo.

Iugurtha poſtquam, amiſſa Thala, nihil ſatis
ırmum contra Metellum putat; per magnas ſoli-
ıdines cum paucis profectus, pervenit ad Gætu-
os, genus hominum ferum, incultumque, & eo
empore ignarum nominis Romani. Eorum mul-
tudinem in unum cogit: ac paullatim conſue-
ıcit ordines habere, ſigna ſequi, imperium ob-
ervare, item alia militaria facere. Præterea regis
occhi proxumos magnis muneribus, & majo-
ibus promiſſis ad ſtudium ſui perducit; quîs ad-
ıtoribus regem aggreſſus, impellit, ut advor-
ım Romanos bellum ſuſcipiat. Id ea gratia faci-
us, proniusque fuit, quod Bocchus initio hu-
ıſce belli legatos Romam miſerat, fœdus, &
micitiam petitum. Quam rem opportuniſſu-
nam incœpto belli pauci impediverant, cæci ava-
ia, quîs omnia honeſta, atque inhoneſta vendere
ıos erat. Etiam antea Iugurthæ filia Bocchi nu-
ſerat. Verum ea neceſſitudo apud Numidas,
Mauroſque levis ducitur: quod ſinguli pro opi-
us, quiſque quam plurimas uxores, denas alii,
lii plures habeant; ſed reges eo amplius. Ita ani-
ıus multitudine diſtrahitur; nullam pro ſocia ob-
inet: pariter omnes viles ſunt. Igitur in locum
mbobus placitum exercitus conveniunt. Ibi, fi-
e data, & accepta, Iugurtha Bocchi animum ora-
one accendit: Romanos injuſtos, profunda avari-
a, communes omnium hoſtis eſſe: eandem illos
auſſam belli cum Boccho habere, quam ſecum,
c cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi,
uîs omnia regna advorſa ſint: tum ſeſe, paullo
nte Carthaginienſes, item Regem Perſen, poſt,

uti

uti quiſque opulentiſſimus videatur; ita Romanis hoſtem fore. His, atque aliis talibus dictis, ad Cirtam oppidum iter conſtituunt: quod ibi Q. Metellus prædam, captivosque, & impedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus, aut, capta urbe, operæ pretium fore; aut, ſi Romanus auxilio ſuis veniſſet, prœlio ſeſe certaturos. Nam callidus id modo feſtinabat, Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet. Imperator poſtquam de regum ſocietate cognovit, non temere, neque uti ſæpe jam victo Iugurtha conſueverat, omnibus locis pugnādi copiam facit: ceterùm, haud procul ab Cirta caſtris munitis, reges opperitur; melius eſſe ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hoſtis acceſſerat, ex commodo pugnam facere. Interim Romæ per litteras fit certior, Mario provinciam Numidiam datam. Nam conſulem factum ante acceperat. Quibus rebus ſupra bonum atque honeſtum perculſus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter ægritudinem pati. Quam rem alii in ſuperbiam vortebant: alii bonum ingenium contumelia accenſum eſſe: multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur: nobis ſatis cognitum, illum magis honore Marii, quam injuria ſua excruciatum, neque tam anxie laturum fuiſſe, ſi adempta provincia alii, quam Mario, traderetur. Igitur eo dolore impeditus, & quia ſtultitiæ videbatur, alienam rem periculo ſuo curare, legatos ad Bocchum mittit, poſtulatum, ne ſine cauſſa hoſtis populo R. fieret: habere eum magnam copiam ſocietatis, amicitiæque conjungendæ, quæ potior bello eſſet; quamquam opibus ſuis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare: omne

omne bellum ſumi facile, ceterum ægerrume deſinere: non in ejuſdem poteſtate initium ejus, & finem eſſe: incipere cuivis etiam ignavo licere; deponi, cum victores velint: proinde ſibi, regnoque ſuo conſuleret: neu florentis res ſuas cum Iugurthæ perditis miſceret. Ad ea rex ſatis placide verba facit: ſeſe pacem cupere, ſed Iugurthæ fortunarum miſereri: ſi eadem illi copia fieret, omnia conventura. Rurſus imperator, contra poſtulata Bocchi, nuncios mittit. Ille probare partim, alia abnuere. Eo modo, ſæpe ab utroque miſſis remiſſisque nunciis, tempus procedere, & ex Metelli voluntate bellum intactum trahi. At Marius, uti ſupra diximus, cupientiſſuma plebe conſul factus, poſtquam ei provinciam Numidiam populus juſſit, antea jam infeſtus nobilitati, tum vero multus, atque ferox inſtare: ſingulos modo, modo univerſos lædere: dictitare, ſeſe conſulatum ex victis illis ſpolia cepiſſe: alia præterea magnifica pro ſe, & illis dolentia: interim, quæ bello opus erant, prima habere; poſtulare legionibus ſupplementum: auxilia à populis, & regibus, ſociisque accerſire: præterea ex Latio fortiſſumum quemque, pleroſque militia, paucos fama cognitos accire, & ambiundo cogere homines emeritis ſtipendiis ſecum proficiſci. Neque illi ſenatus, quamquam advorſus erat, de ullo negotio negare audebat: ceterum ſupplementum etiam lætus decreverat: quia, neque plebi militia volenti putabatur, & Marius aut belli uſum, aut ſtudia vulgi amiſſurus. ſed ea res fruſtra ſperata. Tanta lubido cum Mario eundi pleroſque invaſerat. ſeſe quiſque præda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia hujuſcemodi animis trahebant: & eos non paullum oratione ſua Marius arrexerat.

Nam

Nam poſtquam, omnibus, quæ poſtulaverat, decretis, milites ſcribere vult, hortandi cauſſa, ſimul & nobilitatem, uti conſueverat, exagitandi, concionem populi advocavit. deinde hoc modo diſſeruit:

Scio ego, Quirites, pleroſque non iſdem artibus imperium à vobis petere, &, poſtquam adepti ſunt, gerere: primo induſtrios, ſupplices, modicos eſſe; dein per ignaviam, & ſuperbiam ætatem agere. ſed mihi contra videtur. Nam, quo univerſa reſp. pluris eſt quam conſulatus, aut prætura, eo majore cura illam adminiſtrari, quam hæc peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio veſtro negotii ſuſtineam. Bellum parare, ſimul & ærario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi, foriſque omnia curare; & ea agere inter invidos, occurſantis, factioſos, opinione, Quirites, aſperius eſt. Ad hoc, alii ſi deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum & affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præſidio adſunt: mihi ſpes omnes in memet ſitæ; quas neceſſe eſt & virtute, & innocentia tutari. nam alia infirma ſunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me converſa eſſe, æquos, bonosque favere: quippe benefacta mea reip. procedunt: nobilitatem locum invadendi quærere. Quo mihi acrius adnitendum eſt, uti neque vos capiamini, & illi fruſtra ſint. Ita ad hoc ætatis à pueritia fui, ut omnis labores, pericula conſueta habeam. Quæ ante veſtra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deſeram, non eſt conſilium, Quirites. Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulavere: mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus egi, bene facere jam ex conſuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum

Ingur-

*ıgurtha juſſiſtis: quam rem nobilitas ægerrume
ılit. Quæſo, reputate cum animis veſtris, num
mutari melius ſit, ſi quem ex illo globo nobili-
tis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis,
ominem veteris proſapiæ, ac multarum imagi-
um, & nullius ſtipendii; ſcilicet ut in tanta re
narus omnium trepidet, feſtinet, ſumat aliquem
: populo monitorem officii ſui. Ita plerumque
enit; uti, quem vos imperare juſſiſtis, is ſibi im-
ratorem alium quærat. At ego ſcio, Quirites,
ui, poſtquam conſules facti ſunt, acta majorum,
Græcorum militaria præcepta legere cœperint;
omines præpoſteri. Nam gerere, quam fieri, tem-
ore poſterius, re, atque uſu prius eſt. Comparate
unc, Quirites, cum illorum ſuperbia me homi-
em novum. Quæ illi audire, & legere ſolent, eo-
um partem vidi, alia egomet geſſi. quæ illi litte-
is, ea ego militando didici. nunc vos exiſtumate,
acta, an dicta pluris ſint. Ccntemnunt novitatem
eam, ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis
robra objectantur. Quamquam ego naturam
nam, & communem omnium exiſtumo, ſed for-
iſſumum quemque generoſiſſumum eſſe. Ac ſi
am ex patribus Albini, aut Beſtiæ quæri poſſet,
ne ne, an illos ex ſe gigni maluerint: quid reſpon-
uros creditis, niſi, ſeſe liberos quam optumos vo-
uiſſe? Quod ſi jure deſpiciunt me; faciant idem
majoribus ſuis; quibus, uti mihi, ex virtute nobi-
itas cœpit. Invident honori meo: ergo invideant la-
ori, innocentiæ, periculis etiam meis: quoniam per
æc illum cepi. Verum homines corrupti ſuperbia,
ta ætatem agunt, quaſi honores veſtros conte-
nnant: ita hos petunt, quaſi honeſte vixerint. Næ
lli falſi ſunt, qui diverſiſſumas res pariter exſpe-
ctant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis.*

Atque

*Atque etiam cum apud vos, aut in ſenatu verb
faciunt, pleraque oratione majores ſuos extollun
eorum fortia facta memorando clariores ſeſe pu
tant: quod contra eſt. Nam, quanto vita illorum
præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. E
profecto ita ſe res habet. majorum gloria poſteri
lumen eſt, neque bona, neque mala eorum in oc
culto patitur. Hujuſce rei ego inopiam patior, Qui
rites. Verum id, quod multo præclarius eſt, mea
met facta mihi dicere licet. Nunc videte, quan
iniqui ſint. Quod ex aliena virtute ſibi arrogant
id mihi ex mea non concedunt: ſcilicet quia imagi
nes non habeo, & quia mihi nova nobilitas eſt
quam certe peperiſſe melius eſt, quam acceptan
corrupiſſe. Equidem ego non ignoro, ſi jam mih
reſpondere velint, abunde illis facundam, & com-
poſitam orationem fore. Sed in maxumo veſtro be-
nificio, cum omnibus locis me, voſque maledictis la-
cerent, non placuit reticere: ne quis modeſtiam i
conſcientiam duceret. Nam me quidem, ex anim
ſententia nulla oratio lædere poteſt. Quippe vera,
neceſſe eſt bene prædicet: falſam vita, moresqu
mei ſuperant. Sed quoniam veſtra conſilia accu-
ſantur, qui mihi ſummum honorem, & maxumum
negotium impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate,
num id pœnitendum ſit. Non poſſum, fidei cauſſa,
imagines, neque triumphos, aut conſulatus majo-
rum meorum oſtentare: at, ſi res poſtulet, haſtas,
vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea
cicatrices adverſo corpore. Hæ ſunt meæ imagines,
hæc nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, ſed
quæ ego plurimis meis laboribus, & periculis quæſi-
vi. Non ſunt compoſita verba mea. Parū id facio. Ipſa
ſe virtus ſatis oſtēdit: illis artificio opus eſt, uti turpia
facta oratione tegant. Neque litteras Græcas didici.*

parum

rum placebat eas diſcere, quippe quæ ad virtutem ctoribus nihil profuerunt. At illa multo optuma ip. doctus ſum; hoſtis ferire, præſidia agitare, nihil etuere, niſi turpem famam; hiemem, & æſtatem xta pati, humi requieſcere; eodem tempore inoam, & laborem tolerare. His ego præceptis milites rtabor: neque illos arte colam, me opulenter; neque loriam meam laborem illorum faciam. Hoc eſt tile, hoc civile imperium. Namque, cum tute r mollitiem agas, exercitum ſupplicio cogere, hoc t, dominum, non imperatorem eſſe. Hæc, atque lia majores veſtri faciundo, ſeque, remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipſa diſmilis moribus, nos illorum æmulos contemnit; & mnis honores, non ex merito, ſed quaſi debitos, à obis repetit. Ceterum homines ſuperbiſſumi procul rrant. Majores eorum omnia, quæ licebat, illis eliquere, divitias, imagines, memoriam ſui prælaram. virtutem non reliquere; neque poterant. Ea ſola neque datur dono, neque accipitur. Sordilum me, & incultis moribus ajunt; quia parum cite convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. quæ mihi lubet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & ex aliis ſanctis viris ita accepi. munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum eſſe; arma, non ſupellectilem, decori eſſe. Quin ergo, quod juvat, quod carum æſtumant, id ſemper faciant: ament, potent: ubi adoleſcentiam habuere, ibi ſenectutem agant, in conviviis, dediti ventri, & turpiſſumæ parti corporis: ſudorem, pulverem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora ſunt. Verum non ita eſt. Nam, ubi ſe flagitiis dedecoravere turpiſſumi

piſſumi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita injuſtiſſume luxuria, & ignavia, peſſumæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt, reip. innoxiæ cladi ſunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poſcebant, reſpondi; pauca de rep. loquar. Primum omnium de Numidia bonum habete animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Iugurtham tuta ſunt, omnia removiſtis, avaritiam, imperitiam, ſuperbiam. Dein exercitus ibi eſt locorum ſciens, ſed mehercule magis ſtrenuus, quam felix. Nam magna pars ejus avaritia, aut temeritate ducum attrita eſt. Quamobrem vos, quibus militaris ætas eſt, adnitimini mecum, & capeſſite remp. neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum ſuperbia metus ceperit. Egomet in agmine, in prœlio conſultor idem, & ſocius periculi vobiſcum adero; meque, vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, diis juvantibus, omnia matura ſunt, victoria, præda, laus: quæ ſi dubia, aut procul eſſent, tamen omnis bonos reip. ſubvenire decet. Etenim nemo ignavia immortalis factus: neque quiſquam parens liberis, ut æterni forent, optavit; magis, uti boni, honeſtique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, ſi timidis virtutem verba adderent. nam ſtrenuis abunde dictum puto.

Hujuſcemodi oratione habita, Marius poſtquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, ſtipendio, armis, aliisque utilibus navis onerat. cum his A. Manlium legatum proficiſci jubet. Ipſe interea milites ſcribere non more majorum, neque ex claſſibus, ſed uti cujuſque lubido erat, capite cenſos pleroſque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem conſulis memorabant; quod ab eo genere celebratus, auctusque

ıe erat, & homini potentiam quærenti egentiſ-
mus quiſque opportuniſſumus, cui neque ſua
ıtæ (quippe quæ nulla ſunt) & omnia cum pre-
ɔ honeſta videntur. Igitur Marius cum aliquan-
› majore numero, quam decretum erat, in Afri-
ım profectus, paucis diebus Vticam advehitur.
xercitus ei traditur à P. Rutilio legato. Nam Me-
llus conſpectum Marii fugerat; ne videret ea,
ıæ audita animus tolerare nequiverat. Sed con-
l, expletis legionibus, cohortibusque auxilia-
is; in agrum fertilem, & præda onuſtum profi-
ſcitur. Omnia ibi capta militibus donat: dein
ıſtella, & oppida natura & viris parum munita
ggreditur: prælia multa, ceterum alia levia aliis
›cis facere. Interim novi milites ſine metu pu-
næ adeſſe: videre fugientis capi, aut occîdi; for-
ſſumum quemque tutiſſumum: armis liberta-
:m, patriam parentesque, & alia omnia tegi;
loriam, atque divitias quæri. Sic brevi ſpatio novi
eteresque coaluere, & virtus omnium æqualis
ıcta. At reges ubi de adventu Marii cognoverunt,
iverſi in locos difficiles abeunt. Ita Iugurthæ
lacuerat, ſperanti, mox effuſos hoſtis invadi
oſſe; Romanos, ſicuti pleroſque, remoto metu
ıxius, licentiuſque futuros. Metellus interea Ro-
nam profectus, contra ſpem ſuam lætiſſumis ani-
nis excipitur, plebi, patribusque, poſtquam in-
ridia deceſſerat, juxta carus. Sed Marius impi-
gre, prudenterque ſuorum, & hoſtium res pari-
er attendere; cognoſcere quid boni utriſque, aut
:ontra eſſet: explorare itinera regum; conſilia, &
nſidias eorum antevenire: nihil apud ſe remiſ-
ſum, neque apud illos tutum pati. Itaque & Gæ-
tulos, & Iugurtham, ex ſociis noſtris prædas agen-
:es, ſæpe aggreſſus in itinere fuderat, ipſumque
regem

regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quæ poſtquam glorioſa modo, neque belli patrandi cognovit, ſtatuit urbis, quæ viris, aut loco pro hoſtibus, & advorſum ſe opportuniſſumæ erant, ſingulas circumvenire: ita Iugurtham aut præſidiis nudatum, ſi ea pateretur, aut prœlio certaturum. Nam Bocchus nuncios ſæpe ad eum miſerat, velle populi R. amicitiam, ne quid ab ſe hoſtile timeret. Id ſimulaverit ne, quo improviſus gravior accederet, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare ſolitus, parum exploratum eſt. Sed conſul, uti ſtatuerat, oppida, caſtellaque munita adire: partim vi, alia metu, aut præmia oſtentando, avertere ab hoſtibus. Ac primo mediocria gerebat, exiſtumans Iugurtham ob ſuos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abeſſe, & aliis negotiis intentum accepit; majora, & magis aſpera aggredi tempus viſum eſt. Erat inter ingentis ſolitudines oppidum magnum, atque valens, nomine Capſa: cujus conditor Hercules Libys memorabatur. Ejus cives apud Iugurtham immunes, levi imperio, & ob ea fideliſſumi habebantur: muniti advorſum hoſtes non mœnibus modo, & armis atque viris, verum etiam multo magis locorum aſperitate. Nam præter oppido propinqua, alia omnia vaſta, inculta, egentia aquæ, infeſta ſerpentibus: quarum vis, ſicut omnium ferarum, inopia cibi acrior: ad hoc, natura ſerpentium ipſa pernicioſa, ſiti magis, quam alia re accenditur. Ejus potiundi Marium maxuma cupido invaſerat, cum propter uſum belli, tum quia res aſpera videbatur: & Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud diſſimiliter ſitum, munitumque: niſi quod apud Thalam non longe à mœnibus aliquot fontes

: erant. Capſenſes una modo, atque ea intra op-
lum jugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibi-
e , & in omni Africa , quæ procul à mare in-
ltius agebat, eo facilius tolerabatur,quia Numi-
æ plerumque lacte , & ferina carne veſcebantur,
neque ſalem, neque alia gulæ irritamenta quæ-
bant. Cibus illis advorſum famem , & ſitim ,
n lubidini , neque luxuriæ erat. Igitur conſul ,
nnibus exploratis , credo diis fretus, (nam con-
ı tantas difficultates conſilio ſatis providere non
terat: quippe etiam frumenti inopia tentaba-
r , quod Numidæ pabulo pecoris magis , quam
vo , ſtudent , &, quodcumque natum fuerat ,
ſſu regis in loca munita contulerant: ager au-
m aridus, & frugum vacuus ea tempeſtate: nam
tatis extremum erat) tamen pro rei copia ſatis
ovidenter exornat: pecus omne, quod ſuperio-
bus diebus præda fuerat, equitibus auxiliariis
gendum attribuit: A. Manlium legatum cum co-
rtibus expeditis ad oppidum Laris , ubi ſtipen-
ium, & commeatum locaverat, ire jubet: dicitq;
prædabundum poſt paucos dies eodem ventu-
m. Sic incœpto ſuo occultato , pergit ad flu-
en Tanaim. Ceterum in itinere quotidie pecus
xercitui per centurias , item turmas æqualiter di-
ribuerat; &, ex coriis utres uti fierent, curabat:
mul & inopiam frumenti lenire , & ignaris om-
ibus, parare , quæ mox uſui forent: denique
xto die , cum ad flumen ventum eſt , maxuma
is utrium effecta. Ibi caſtris levi munimento po-
tis , milites cibum capere , atque , uti ſimul cum
ccaſu ſolis egrederentur , paratos eſſe jubet;
mnibus ſarcinis abjectis , aqua modo ſeque , &
menta onerare. Dein, poſtquam tempus viſum,
aſtris egreditur: noctemque totam itinere facto
conſe-

conſedit. idem proxuma facit. Dein tertia mu
ante lucis adventum pervenit in locum tumu
ſum, ab Capſa non amplius duûm millium int
vallo: ibique, quam occultiſſume poteſt, c
omnibus copiis opperitur. Sed, ubi dies cœp
& Numidæ, nihil hoſtile metuentes, multi op
do egreſſi; repente omnem equitatum, & c
his velociſſumos pedites curſu tendere ad Capſa
& portas obſidere jubet: deinde ipſe intentus pr
pere ſequi, neque milites prædari ſinere. quæ po
quam oppidani cognovere; res trepidæ, metus i
gens, malum improviſum, ad hoc pars civium e
tra mœnia in hoſtium poteſtate, coegere, uti de
tionem facerent. Ceterum oppidum incenſu
Numidæ puberes interfecti, alii omnes venu
dati. præda militibus diviſa. Id facinus cont
jus belli non avaritia, neque ſcelere conſulis a
miſſum; ſed quia locus Iugurthæ opportunu
nobis aditu difficilis; genus hominum mobile
infidum, ante neque beneficio, neque metu coe
citum. Poſtquam tantam rem Marius ſine ul
ſuorum incommodo patravit, magnus, & clar
antea, major, atque clarior haberi cœpit. Omn
non bene conſulta in virtutem trahebantur. Mil
tes modeſto imperio habiti, ſimul & locuplete
ad cælum ferre: Numidæ magis, quam mort
lem, timere: poſtremo omnes ſocii, atque hoſt
credere, illi aut mentem divinam eſſe, aut de
rum nutu cuncta portendi. Sed conſul, ubi ea r
bene evenit, ad alia oppida pergit. pauca, repugnar
tibus Numidis, capit. plura, deſerta propter Capſer
ſium miſerias, igni corrumpit. luctu, atque cæd
omnia complentur. Denique multis locis potitu
ac pleriſque exercitu incruento, aliam rem ag
greditur, non eadem aſperitate, qua Capſenſium

cete

ꝯterum haud ſecus difficilem. Namque haud ꝯnge à flumine Mulucha, quod Iugurthæ, Bocꝯhique regnum disjungebat, erat inter ceteram ꝯanitiem mons ſaxeus, mediocri caſtello, ſatis ꝯatens, immenſum editus, uno perangusto aditu ꝯlicto: nam omnia natura, velut opere, atque ꝯonſulto, præceps. Quem locum Marius, quod ꝯi regis theſauri erant, ſumma vi capere intenꝯt: ſed ea res forte, quam conſilio, melius geſta. ꝯam caſtello virorum, atque armorum ſatis maꝯna vis, & frumenti, & fons aquæ: aggeribus, turꝯbusque, & aliis machinationibus locus imporꝯnus. Iter caſtellanorum anguſtum admodum, ꝯrimque præciſum. Vineæ cum ingenti periculo ꝯuſtra agebantur. nam cum eæ paullo proceſſeꝯnt, igni, aut lapidibus corrumpebantur. Milites ꝯeque pro opere conſiſtere, propter iniquitatem ꝯci; neque inter vineas ſine periculo adminiſtraꝯ: optumus quiſque cadere, aut ſauciari; ceteris ꝯetus augeri. At Marius, multis diebus, & laboꝯbus conſumtis, anxius trahere cum animo ſuo, ꝯmitteret ne inceptum, quoniam fruſtra erat, an ꝯrtunam opperiretur, qua ſæpe proſpere uſus ꝯerat. Quæ cum multos dies, noctesque æſtuans ꝯgitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auꝯliariis miles gregarius, caſtris aquatum egreſſus, ꝯaud procul ab latere caſtelli, quod advorſum prœꝯantibus erat, animadvertit inter ſaxa repentes ꝯochleas: quarum cum unam, atque alteram, dein ꝯures peteret, ſtudio legundi paulatim prope ad ꝯmmum montis egreſſus eſt. Vbi poſtquam ſoliꝯdinem intellexit, more humanæ cupidinis ignaꝯ viſundi animum vortit. Et forte in eo loco ꝯandis ilex coaluerat inter ſaxa, paullulum modo ꝯona, dein flexa, atque aucta in altitudinem, quo

cuncta gignentium natura fert: cujus ramis m-
do, modo eminentibus ſaxis niſus Ligus, caſt
planitiem perſcribit; quod cuncti Numidæ i
tenti prœliantibus aderant. Exploratis omnibu
quæ mox uſui fore ducebat, eodem regreditu
non temere, ut aſcenderat, ſed tentans omnia,
circumſpiciens. Itaque Marium propere adi
acta edocet: hortatur, ab ea parte, qua ipſe d
ſcenderat, caſtellum tentet: pollicetur ſeſe itin
ris periculique ducem. Marius cum Ligure pr
miſſa ejus cognitum ex præſentibus miſit: qu
rum, uti cujuſque ingenium erat, ita rem diffic
lem, aut facilem renunciavere. Conſulis animu
tamen paullulum arrectus. Itaque ex copia tub
cinum, & cornicinum, quinque numero qua
velociſſumos delegit, & cum his, præſidio qui fo
rent, quattuor centuriones: omniſque Liguri pa
rere jubet: & ei negotio proxumum diem con
ſtituit. Sed ubi ex præcepto tempus viſum; pa
ratis, compoſitiſque omnibus, ad locum pergi
Ceterum illi, qui centuriis præerant, prædocti a
duce, arma, ornatumque mutaverant, capite, at
que pedibus nudis, uti proſpectus, niſusque pe
ſaxa facilius foret: ſuper terga gladii, & ſcuta; ve
rum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia; ſi
mul & offenſa quo lenius ſtreperent. Igitur præ
grediens Ligus, ſaxa, & ſi quæ vetuſtate radice
eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati mi
lites facilius adſcenderent: interdum timidos in
ſolentia itineris levare manu: ubi paullo aſperio
adſcenſus erat, ſingulos præ ſe inermos mittere
dein ipſe cum illorum armis ſequi: quæ dubia ni
ſui videbantur, potiſſumus tentare: ac ſæpius ea
dem adſcendens, ac deſcendens, dein ſtatim digre-
diens, ceteris audaciam addere. Igitur diu, mul-
tumque

mque fatigati, tandem in caſtellum perveniunt, ſertum ab ea parte: quod omnes, ſicut aliis dieis, advorſum hoſtes aderant. Marius, ubi ex inciis, quæ Ligus egerat, cognovit; quamquam to die intentos prœlio Numidas habuerat, tum ro cohortatus milites, & ipſe extra vineas egreſs, teſtudine acta ſuccedere, & ſimul hoſtem torentis, ſagittariisque, & funditoribus eminus rrere. At Numidæ, ſæpe antea vineis Romanoim ſubverſis, item incenſis, non caſtelli mœniis ſeſe tutabantur; ſed pro muro dies, noctesque ;itare; maledicere Romanis; ac Mario vecoram objectare, militibus noſtris Iugurthæ ſerviim minari; ſecundis rebus feroces eſſe. Interim, omanis omnibus, hoſtibuſque prœlio intentis, agna vi utrimque, pro gloria atque imperio his, is pro ſalute certantibus, repente à tergo ſigna inere: ac primo mulieres, & pueri, qui viſum oceſſerant, fugere, deinde, uti quiſque muro oxumus erat, poſtremo cuncti armati, inermesie. Quod ubi accidit, eo acrius Romani inſta-, fundere, ac pleroſque tantummodo ſauciare, ein ſuper occiſorum corpora vadere, avidi gloæ certantes murum petere; neque quemquam mnium præda morari. Sic forte correcta Marii meritas, gloriam ex culpa invenit. Ceterum, im ea res geritur, L. Sulla quæſtor cum magno uitatu in caſtra venit: quod, ut ex Latio, & à ciis cogeret, Romæ relictus erat. Sed quoniam os tanti viri res admonuit; idoneum viſum eſt, natura, cultuque ejus paucis dicere. Neque enim io loco de Sullæ rebus dicturi ſumus: & L. Sinna optume, & diligentiſſume omnium, qui is res dixere, perſecutus, parum mihi libero ore cutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciæ no-

bilis fuit, familia prope jam exſtincta majorum ignavia, litteris Græcis, atque Latinis juxta, atque doctiſſume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, ſed gloriæ cupidior: otio luxurioſe eſſe; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, niſi quod de uxore potuit honeſtius conſuli: facundus, callidus, & amicitia facilis: ad ſimulanda negotia altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniæ largitor: atque illi feliciſſumo omnium ante civilem victoriam, numquam ſuper induſtriam fortuna fuit; multique dubitavere, fortior, an felicior eſſet. Nam, poſte quæ fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat diſſerere. Igitur Sulla, uti ſupra dictum eſt poſtquam in Africam, atque in caſtra Marii cum equitatu venit, rudis antea & ignarus belli, ſollertiſſumus omnium in paucis tempeſtatibus factu eſt. Ad hoc milites benigne appellare: multis ro gantibus, aliis per ſe ipſe dare, beneficia invitu accipere; ſed ea properantius, quam æs mu tuum, reddere, ipſe ab nullo repetere: magis i laborare, ut illi quam plurimi deberent: joca atqu ſeria cum humilumis agere. In operibus, in agm ne, atque ad vigilias multus adeſſe: neque interin quod ambitio prava ſolet, conſulis, aut cujuſquai boni famam lædere: tantummodo neque conſ lio, neque manu priorem alium pati: pleroſqu antevenire. Quibus rebus, & artibus brevi Mario, militibusque cariſſumus factus. At Iugurth poſtquam oppidum Capſam, alioſque locos mu nitos, & ſibi utilis, ſimul & magnam pecunia amiſerat; ad Bocchum nuncios mittit, quam pr mum in Numidiam copias adduceret: prœlii f ciundi tempus adeſſe. Quem ubi cunctari acc pit, dubium belli atque pacis rationes trahere

rurſu

arſus , ut antea , proxumos ejus donis corrumit : ipſique Mauro pollicetur Numidiæ tertiam artem , ſi aut Romani Africa expulſi , aut , interis ſuis finibus , bellum compoſitum foret. Eo ræmio illectus Bocchus cum magna multitudine ugurtham accedit. Ita, amborum exercitu conuncto , Marium jam in hiberna proficiſcentem , ix decima parte die reliqua invadunt , rati notem, quæ jam aderat, victis ſibi munimento fore, c, ſi viciſſent, nullo impedimento, quia locorum cientes erant : contra Romanis utrumque caſum n tenebris difficiliorem fore. Igitur ſimul conſul x multis de hoſtium adventu cognovit : & ipſi oſtes aderant : & prius quam exercitus aut intrui , aut ſarcinas colligere , denique , ante quam ignum,aut imperium ullum accipere quivit, equies Mauri, atque Gætuli, non acie,neque ullo moe prœlii, ſed catervatim, uti quoſque fors conglobaverat, in noſtros incurrunt. Qui omnes trepidi mproviſo metu, attamen virtutis memores , aut arma capiebant , aut capientis alios ab hoſtibus defenſabant : pars equos eſcendere , obviam hoſtibus ire : pugna latrocinio magis , quam prœlio ſimilis fieri : ſine ſignis , ſine ordinibus , equites pedites permixti , cædere alios, alios obtruncare : multos contra adverſos acerrume pugnantes ab tergo circumvenire : neque virtus , neque arma ſatis tegere ; quod hoſtes numero plures , & undique circumfuſi erant : denique Romani veteres , novique,& ob ea ſcientes belli, ſi quos locus, aut caſus conjunxerat, orbes facere : atque ita ab omnibus partibus ſimul tecti,& inſtructi hoſtium vim ſuſtentabant. Neque in eo tamque aſpero negotio Marius territus, aut magis, quam antea,demiſſo animo fuit ; ſed cum turma ſua , quam ex

fortiſſumis magis, quam familiariſſumis paravi rat, vagari paſſim; ac modo laborantibus ſuis ſuc currere, modo hoſtis, ubi confertiſſumi obſtit rant, invadere manu: conſulere militibus, quo niam imperitare conturbatis omnibus non pote rat. Iamque dies conſumtus erat, cum tamen ba bari nihil remittere; atque, uti reges præceperan noctem pro ſe rati, acrius inſtare. Tum Mariu ex copia rerum conſilium trahit: atque, uti ſu receptui locus eſſet, collis duos propinquos inte ſe occupat. Quorum in uno, caſtris parum am plo, fons aquæ magnus erat: alter uſui opportu nus, quia magna parte editus, & præceps, pauc munimenta egebat. Ceterum apud aquam Sullan cum equitibus noctem agitare jubet. Ipſe milite diſperſos paullatim, neque minus hoſtibus contu batis, in unum contrahit: dein cunctos plen gradu in collem ſubducit. Ita reges, loci difficu tate coacti, prœlio deterrentur; neque tamen ſuo longius abire ſinunt, ſed, utroque colle multitud ne circundato effuſi conſedere. Dein, crebr ignibus factis, plerumque noctis barbari more ſu lætari, exſultare, ſtrepere vocibus: & ipſi duce feroces, quod non fugere, ac pro victoribus agere Sed ea cuncta Romanis ex tenebris, & editioribu locis facilia viſu, magnoque hortamento eran Plurimum vero Marius imperitia hoſtium confi matus, quam maxumum ſilentium haberi jubet ne ſigna quidem, uti per vigilias ſolebant, canere dein, ubi lux adventabat, defeſſis jam hoſtibus, a paullo ante ſomno captis, de improviſo vectigali item cohortium, turmarum, legionum tubicine ſimul omnes ſigna canere, milites clamorem to lere, atque portis erumpere. Mauri, atque Gæ tuli, ignoto atque horribili ſonitu repente excit

nequ

ꝫque ſugere, neque arma capere, neque omnino cere, aut providere quidquam poterant. Ita nctos ſtrepitu, clamore, nullo ſubveniente, nocis inſtantibus tumultu, terrore, formidine, quaſi ꝫcordia ceperat: denique omnes fuſi, fugatique: ma, & ſigna militaria pleraque capta: pluresque prœlio, quam omnibus ſuperioribus, interem. Nam ſomno, & metu inſolito impedita fuga. ein Marius, uti cœperat, in hiberna proficiſcir, quæ propter commeatum in oppidis maritu. is agere decreverat: neque tamen victoria ſoors, aut inſolens factus; ſed pariter, atque in onſpectu hoſtium, quadrato agmine incedere. ulla cum equitatu apud dextimos, in ſiniſtra par- A. Manlius cum funditoribus, & ſagittariis, ræterea cohortes Ligurum curabat: primos, & xtremos cum expeditis manipulis tribunos locaerat. Perfugæ, regionum ſcientiſſumi, hoſtium ter explorabant. Simul conſul, quaſi nullo imoſito, omnia providere: apud omnis adeſſe, laulare, increpare merentis. Ipſe armatus, intenusque item milites cogebat: neque ſecus, atque ter faceret, caſtra munire, excubitum in porta ohortis ex legionibus, pro caſtris equites auxiliaios mittere: præterea alios ſuper vallum in muimentis locare, vigilias ipſe circuire, non tam iffidentia futuri, quæ imperaviſſet, quam uti miitibus exæquatus cum imperatore labos volentius eſſet. Et ſane Marius illoque aliisque temporibus Iugurthini belli, pudore magis, quam malo, xercitum coercebat: quod multi per ambitionem fieri ajebant: pars quod à pueritia conſuetam duritiam, & alia, quæ ceteri miſerias vocant, voluptati habuiſſet. Niſi tamen reſp. pariter, ac ſæviſſumo imperio, bene, atque decore geſta. Igitur

quarto denique die haud longe ab oppido Cirta ſimul undique ſpeculatores citi ſeſe oſtendunt: quare hoſtis adeſſe intelligitur. Sed quia divorſi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem ſignificabant; conſul incertus, quonam modo aciem inſtrueret, nullo ordine commutato, advorſum omnia paratus ibidem opperitur. Igitur Iugurtham ſpes fruſtrata: qui copias in quatuor partis diſtribuerat, ratus ex omnibus æque aliquos ab tergo hoſtibus venturos. Interim Sulla, quem primum hoſtes attigerant, cohortatus ſuos, turmatim, & quam maxume confertis equis, ipſeque aliique Mauros invadunt: ceteri in loco manentes, ab jaculis eminus emiſſis corpora tegere, &, ſi qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites prœliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius ejus adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant, poſtremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, noſtros fruſtra pugnare: paullo ante Marium ſua manu interfectum: ſimul gladium ſanguine oblitum oſtendere, quem in pugna, ſatis impigre occiſo pedite noſtro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii, terrentur: ſimulque barbari animos tollere, & in perculſos Romanos acrius incedere. Iamque paullum à fuga aberat, cum Sulla, profligatis iis, quos advorſum ierat, rediens ab latere Mauros incurrit. Bocchus ſtatim avertitur. At Iugurtha, dum ſuſtentare ſuos & prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equi-

quitibus dextra ſiniſtra, omnibus occiſis, ſolus inter tela hoſtium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, accurrit auxilio ſuis, quos pelli jam acceperat. Denique hoſtes jam undique fuſi. Tum ſpectaculum horribile in campis patentibus; ſequi, fugere; occîdi, capi; equi, atque viri afflicti: ac multi, vulneribus acceptis, neque fugere poſſe, neque quietem pati; niti modo, ac ſtatim concidere: poſtremo omnia, qua viſus erat, conſtrata telis, armis, cadaveribus, & inter ea humus infecta ſanguine. Poſtea loci conſul, haud dubie jam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo poſt diem quinctum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati à Boccho veniunt: qui regis verbis à Mario petivere duos quam fidiſſumos ad eum mitteret; velle de ſuo, & de populi R. commodo cum iis diſſerere. Ille ſtatim L. Sullam, & A. Manlium ire jubet. qui quamquam acciti ibant; tamen placuit verba apud regem facere; ingenium aut avorſum uti flecterent; aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cujus facundiæ, non ætati, à Manlio conceſſum, pauca verba hujuſcemodi locutus.

Rex Bocche, magna lætitia nobis eſt, cum te talem virum dii monuere; ut aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum cum peſſumo omnium Iugurtha miſcendo commaculares; ſimul nobis demeres acerbam neceſſitudinem, pariter te errantem, & illum ſceleratiſſumum perſequi. Ad hoc, populo R. jam à principio inopi, melius viſum, amicos, quam ſervos, quærere: tutiusque rati, volentibus, quam coactis, imperitare. Tibi vero nulla opportunior amicitia noſtra: primum quod procul abſumus; in quo offenſæ minumum, gratia par, ac

 ſi prope

ſi prope adeſſemus: dein, quod parentes abunde ha bemus, amicorum neque nobis, neque cuiqua omnium ſatis fuit. Atque hoc utinam à princip tibi placuiſſet: profecto ex P.R. ad hoc tempus mu to plura bona accepiſſes, quam mala perpeſſus eſſe. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraqu regit; cui ſcilicet placuit & vim, & gratiam no ſtram experiri: nunc, quando per illam licet, feſti na; atque, uti cœpiſti, perge. Multa, atque oppor tuna habes, quo facilius errata officiis ſuperes. Po ſtremo hoc in pectus tuum demitte, numquam po pulum R. beneficiis victum eſſe. Nam, bello quid va leat, tute ſcis.

Ad ea Bocchus placide, & benigne ſimul pauc pro delicto ſuo verba facit; Se non hoſtili animo ſed ob regnum tutandum arma cepiſſe. Nam Nu midiæ partem, unde Iugurtham expulerit, jur belli ſuam factam: eam vaſtari à Mario, pati ne quiviſſe: præterea, miſſis antea Romam legatis repulſum ab amicitia. Ceterum vetera omittere ac tum, ſi per Marium liceret, legatos ad ſenatun miſſurum. Dein, copia facta, animus barbari al amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legation Sullæ, & Manlii, metuens id, quod parabatur donis corruperat. Marius interea, exercitu i hibernaculis compoſito, cum expeditis cohor tibus, & parte equitatus proficiſcitur in loca ſo la, obſeſſum turrim regiam, quo Iugurtha per fugas omnis præſidium impoſuerat. Tum rurſu Bocchus, ſeu reputando, quæ ſibi duobus prælii evenerant, ſeu admonitus ab aliis amicis, quo incorruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copi neceſſariorum quinque delegit, quorum & fide cognita, & ingenia validiſſuma erant. Eos ad Ma rium, ac dein, ſi placeat, Romam legatos ire jubet:

agendarum rerum, & quocumque modo belli componendi licentiam ipſis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiſcuntur. dein à Gætulis latronibus in itinere circumventi, ſpoliatique, pavidi, ſine decore ad Sullam profugiunt; quem conſul, in expeditionem proficiſcens, pro prætore reliquerat. Eos ille non pro vanis hoſtibus, uti meriti erant, ſed accurate & liberaliter habuit. Qua re barbari & famam Romanorum avaritiæ falſam, & Sullam ob munificentiam in ſeſe amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignota erat: munificus nemo putabatur, niſi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur quæſtori mandata Bocchi patefaciunt: ſimul ab eo petunt, uti fautor, conſultorque ſibi adſit: copias, fidem, magnitudinem regis ſui, & alia, quæ aut utilia, aut benevolentia eſſe credebant, oratione extollunt: dein, Sulla omnia pollicito, docti quo modo apud Marium, item apud ſenatum verba facerent, circiter dies XL. ibidem opperiuntur. Marius poſtquam infecto negotio, quo intenderat, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque, & Sullam venire jubet, itemque L. Bellienum prætorem Vtica, præterea omnis undique ſenatorii ordinis: quibus cum mandata Bocchi cognoſcit: in quibus, legatis poteſtas eundi Romam fit: ab conſule interea induciæ poſtulabantur. Ea Sullæ, & plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, ſcilicet ignari humanarum rerum, quæ fluxæ, & mobiles ſemper in advorſa mutant. Ceterum Mauri, impetratis omnibus, tres Romam profecti ſunt cum Cn. Octavio Rufone, qui quæſtor ſtipendium in Africam portaverat: duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxume benignitatem, & ſtu-

& ſtudium Sullæ accepit. Romæque legatis ejus postquam, erraſſe regem, & Iugurthæ ſceler lapſum, deprecati ſunt, amicitiam & fœdus pe tentibus hoc modo reſpondetur:

S. P. Q. R. benificii, & injuriæ memor eſſe ſole. Ceterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiar facit. fœdus & amicitia dabuntur, cum meruerit

Quibus rebus cognitis, Bocchus per littera à Mario petivit, uti Sullam ad ſe mitteret; cuju arbitratu communibus negotiis conſuleretur. I miſſus cum præſidio equitum, atque peditum funditorum Balearium: præterea iere ſagitarii & cohors Pæligna cum velitaribus armis, iti neris properandi cauſſa: neque his ſecus, atqu aliis armis, advorſus tela hoſtium, quod ea le via ſunt, muniti. Sed in itinere, quincto deni que die, Volux, filius Bocchi, repente in campi patentibus cum mille non amplius equitibus ſeſe oſtendit: qui temere & effuſe euntes, Sullæ aliiſque omnibus & numerum ampliorem vero, & hoſtilem metum efficiebant. Igitur ſe quiſque expedire: arma, atque tela tentare, intendere: timor aliquantus, ſed ſpes amplior, quippe victoribus, & advorſum eos, quos ſæpe vicerant. Interim equites, exploratum præmiſſi, rem, ut erat, quietam nunciant. Volux adveniens quæſtorem appellat: ſe à patre Boccho obviam illis ſimul, & præſidio miſſum. Dein eum, & proxumum diem ſine metu conjuncti eunt. Poſt, ubi caſtra locata, & diei veſper erat; repente Maurus, incerto vultu pavens, ad Sullam accurrit; dicitque ſibi ex ſpeculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abeſſe; ſimul, uti noctu clam ſecum profugeret, rogat, atque hortatur. Ille animo feroci negat ſe totiens fuſum Numidam pertimeſcere: virtuti

ſuorum

uorum ſatis credere: etiam ſi certa peſtis adeſſet, nanſurum potius, quam, proditis quos ducebat, urpi fuga incertæ, ac forſitan poſt paullo morbo nteritturæ vitæ parceret. Ceterum ab eodem mo-iitus, uti noctu proficiſcerentur, conſilium ad-robat: ac ſtatim milites cænatos eſſe in caſtris, gniſque quam creberrumos fieri, dein prima vi-ilia ſilentio egredi jubet. Iamque nocturno iti-iere feſſis omnibus, Sulla pariter cum ortu ſolis aſtra metabatur; cum equites Mauri nunciant, ugurtham, circiter duum millium intervallo, an-e eos conſediſſe. Quod poſtquam auditum eſt, um vero ingens metus noſtros invadit: credere e proditos à Voluce, & inſidiis circumventos. Ac fuere qui dicerent manu vindicandum, ne-que apud illum tantum ſcelus inultum relinquen-dum. At Sulla, quamquam eadem exiſtumabat, amen ab injuria Maurum prohibet: ſuos horta-ur, uti fortem animum gererent: ſæpe ante pau-cis ſtrenuis advorſus multitudinem bene pugna-um: quanto ſibi in prœlio minus peperciſſent, anto tutiores fore, nec decere quemquam, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, & in maxumo omnium metu nudum, & cæcum corpus ad hoſtis vortere. Dein Volucem, quoniam hoſtilia faceret, Iovem maxumum ob-teſtatus, uti ſceleris, atque perfidiæ Bocchi teſtis adeſſet, caſtris abire jubet. Ille lacrumans ora-re, ne ea crederet: nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthæ; cui videlicet ſpeculanti iter ſuum cognitum eſſet. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet; & ſpes, opeſque ejus ex patre ſuo penderent; credere illum nihil palam auſurum, cum ipſe filius teſtis adeſſet. Qua-re optumum factum videri, per media ejus caſtra

palam

palam tranſire; ſeſe, vel præmiſſis, vel ibiden relictis Mauris, ſolum cum Sulla iturum. Ea re ut in tali negotio, probata: ac ſtatim profecti quia de improviſo acceſſerant, dubio, atque hæ ſitante Iugurtha, incolumis tranſeunt. Dein pau cis diebus, quo ire intenderant, perventum eſt Ibi cum Boccho Numida quidam Aſpar nomine multum, & familiariter agebat, præmiſſus ab Iu gurtha, poſtquam Sullam accitum audierat, ora tor, & ſubdole ſpeculatum Bocchi conſilia: præ terea Dabar, Maſſugradæ filius, ex gente Maſi niſſæ, ceterum materno genere impar; (nam pa ter ejus ex concubina ortus erat,) Mauro ob inge nii multa bona carus, acceptúsque, quem Boc chus fidum eſſe Romanis multis antea tempeſta tibus expertus, illico ad Sullam nunciatum mit tit, paratum ſeſe facere, quæ populus R. vellet colloquio diem, locum, tempus ipſe deligeret conſulta ſeſe omnia cum illo integra habere: nei Iugurthæ legatum pertimeſceret; quo res com munis licentius gereretur; nam ab inſidiis eju aliter caveri nequiviſſe. Sed ego comperior, Boc chum magis Punica fide, quam ob ea, quæ præ dicabat, ſimul Romanos, & Numidam ſpe paci attinuiſſe: multumque cum animo ſuo volver ſolitum, Iugurtham Romanis, an illi Sullam tra deret? lubidinem advorſum nos, metum pro no bis ſuaſiſſe. Igitur Sulla reſpondit, pauca ſe co ram Aſpare locuturum; cetera occulte, nullo, aut quam pauciſſumis præſentibus: ſimul edocet quæ ſibi reſponderentur. Poſtquam, ſicuti vo luerant, congreſſi; dicit ſe miſſum à conſule ve niſſe quæſitum ab eo, pacem, an bellum agitatu rus foret. Tum rex, uti præceptum fuerat, poſ diem decimum redire jubet; ac nihil etiam nunc

decre-

decreviſſe, ſed illo die reſponſurum. Dein ambo in caſtra ſua digreſſi. Sed ubi plerumque noctis proceſſit, Sulla à Boccho occulte accerſitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur. Præterea Dabar internuncius ſanctus vir, ex ſententia ambobus jurat: ac ſtatim rex ſic incipit:

Numquam ego ratus ſum fore, uti rex maxumus in hac terra, & omnium, quos novi, opulentiſſumus, privato homini gratiam deberem. Et hercule Sulla, ante te cognitum, multis orantibus aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere ſolent, ego lætor. Fuerit mihi pretium, eguiſſe aliquando tuæ amicitiæ; qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, poſtremo quidquid animo lubet, ſume, utere: &, quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam putaveris; ſemper apud me integra erit: denique nihil me ſciente fruſtra voles. Nam, ut ego exiſtumo, regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitioſum. Ceterum de rep. veſtra, cujus curator huc miſſus es, paucis accipe. Bellum ego populo R. neque feci, neque factum umquam volui: finis meos advorſum armatos armis tutus ſum. id omitto: quando vobis ita placet, gerite, uti vultis, cum Iugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me & Micipſam fuit, non egrediar, neque id intrare Iugurtham ſinam. Præterea, ſi quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulſus abibis.

Ad ea Sulla pro ſe breviter, & modice; de pace, & de communibus rebus multis diſſeruit. Denique regi patefecit, quod polliceatur, ſenatum & populum R. quoniam armis amplius valuiſſent,

luiſſent, non in gratia habituros: faciundum al quid, quod illorum magis, quam ſua, retuliſſ videretur; id adeo in promtu eſſe; quoniam cc piam Iugurthæ haberet: quem ſi Romanis tra didiſſet, fore ut illi plurimum deberetur: amici tiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc pete ret, tunc ultro adventuram. Rex primum negi tare: cognationem, affinitatem, præterea fœdu interveniſſe: ad hoc metuere, ne fluxa fide uſu popularium animos averteret: quîs & Iugurth carus, & Romani inviſi eſſent. Denique ſæpiu fatigatus, lenitur, & ex voluntate Sullæ omnia ſ facturum promittit. Ceterum ad ſimulandam pa cem, cujus Numida, defeſſus bello, avidiſſumus quæ utilia viſa, conſtituunt. Ita, compoſito dolo digrediuntur. At rex poſtero die Aſparem, Iugurthæ legatum, appellat: dicitque ſibi per Dabarem ex Sulla cognitum, poſſe conditionibus bellum componi: quamobrem regis ſui ſententiam exquireret. Ille lætus in caſtra Iugurthæ proficiſcitur. Dein ab illo cuncta edoctus, properato itinere, poſt diem octavum redit ad Bocchum; & ei nunciat, Iugurtham cupere omnia, quæ imperarentur, facere; ſed Mario parum fidere: ſæpe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam, fruſtra fuiſſe. Ceterum Bocchus, ſi ambobus conſultum, & ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quaſi de pace, in colloquium, veniretur, ibique ſibi Sullam traderet: cum talem virum in poteſtate habuiſſet, tum fore, uti juſſu S. P. Q. R. fœdus fieret; neque hominem nobilem non ſua ignavia, ſed ob rempub. in hoſtium poteſtate relictum iri. Hæc Maurus ſecum ipſe diu volvens, tandem promiſit. Ceterum dolo, an vere cunctatus, parum comperimus.

us. Sed plerumque regiæ voluntates, uti vehe- entes, ſic mobiles, ſæpe ipſæ ſibi advorſæ. Poſt- , tempore & loco conſtituto, in colloquium i de pace veniretur, Bocchus Sullam modo, mo- › Iugurthæ legatum appellare: benigne habere: em ambobus polliceri. Illi pariter læti, ac ſpei ınæ pleni eſſe. Sed nocte ea, quæ proxuma fuit te diem colloquio decretum, Maurus adhibitis aicis, ac ſtatim immutata voluntate, remotis ce- ris dicitur ſecum ipſe multum agitaviſſe, vultu, lore, ac motu corporis pariter atque animo va- ıs: quæ ſcilicet, tacente ipſo, occulta oris pa- feciſſe. Tamen poſtremo Sullam accerſi jubet; ex illius ſententia Numidæ inſidias tendit. De- nde, ubi dies advenit, & ei nunciatum eſt, Iu- rtham haud procul abeſſe; cum paucis amicis, quæſtore noſtro, quaſi obvius honoris cauſſa ocedit in tumulum facilumum viſu inſidianti- ıs. Eodem Numida cum plerisque neceſſariis iis inermis, uti dictum erat, accedit: ac ſtatim gno dato, undique ſimul ex inſidiis invaditur. ceteri obtruncati: Iugurtha Sullæ vinctus tradi- ır, & ab eo ad Marium deductus. Per idem tem- us advorſum Gallos ab ducibus noſtris Q. Sci- ione, & M. Manlio male pugnatum. Quo metu alia omnis contremuerat. Illiq; & uſque ad no- ram memoriam Romani ſic habuere, alia omnia irtuti ſuæ prona eſſe; cum Gallis pro ſalute, non ro gloria certari. Sed poſtquam bellum in Numi- ia confectum, & Iugurtham Romam vinctũ ad- uci nunciatum eſt; Marius conſul abſens factus ſt; & ei decreta provincia Gallia: isque Kalendis anuar. magna gloria conſul triumphavit. Ex ea mpeſtate ſpes, atque opes civitatis in illo ſitæ rant.

C. SAL-

C. SALLUSTII CRISPI HISTORIARUM FRAGMENTA.

Lib. I.

RES populi R. M. Lepido, Q. Catulc Coſs. ac deinde militiæ & domi ge. ſtas compoſui. *Donatus & Pomp. Meſſalinus.*

Cato Romani generis diſſertiſſumus multa paucis abſolvit. *Servius & Acron.*

Fannius vere. *Victorinus.*

Nos in tanta doctiſſumorum hominum copia *Servius.*

Neque me diverſa pars in civilibus armis movit à vero. *Aruſianus.*

Nobis primæ diſſenſiones vitio humani ingeni evenere: quod inquies, atque indomitum, ſemper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. *Priſcianus.*

Nam à primordio urbis ad bellum Perſi Macedonicum. *Idem.*

Res Romana plurimum imperio valuit, Ser Sulpitio & M. Marcello Coſs. omni Gallia ci Rhenum, atque inter mare noſtrum, atque Oceanum, niſi quæ à paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus, & maxuma concordia egit populus R. inter ſecundum atque poſtremum bellum Carthaginenſe. *Victorinus & Auguſtinus.*

At di

At diſcordia, & avaritiæ, atque ambitio, & cetera ſecundis rebus oriri ſueta mala, poſt Carthaginis exſcidium maxume aucta ſunt. Nam injuriæ validiorum, & ob eas diſceſſio plebis à patribus, aliæque diſſenſiones domi fuere jam inde à principio: neque amplius, quam regibus exactis, dum metus à Tarquinio & bellum grave cum Etruria poſitum eſt, æquo & modeſto jure agitatum: dein, ſervili imperio patres plebem exercere; de vita atque tergo regio more conſulere; agro pellere, &, ceteris expertibus, ſoli in imperio agere. Quibus ſævitiis, & maxume fenoris onere oppreſſa plebes, cum aſſiduis bellis tributum ſimul & militiam toleraret, armata montem ſacrum, atque Aventinum inſedit. Tumque trib. pl. & alia ſibi jura paravit. Diſcordiarum & certaminis utrimque finis fuit ſecundum bellum Punicum. *Auguſtinus.*

Poſtquam, remoto metu Punico, ſimultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, ſeditiones, & ad poſtremum bella civilia orta ſunt: dum pauci potentes, quorum in gratia plerique conceſſerant, ſub honeſto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique & mali cives appellati, non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis, ſed uti quiſque locupletiſſumus, & injuria validior, quia præſentia defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore majorum mores non paullatim, ut antea, ſed torrentis modo præcipitati: adeo juventus luxu atque avaritia corrupta eſt; uti merito dicatur, genitos eſſe, qui neque ipſi habere poſſent res familiares, neque alios pati. *Agellius & Auguſtinus.*

Igitur venditis proſcriptorum bonis, aut dilargitis. *Agellius.*

Id bel-

Id bellum excitabat metus Pompeii victoris Hiempſalem in regnum reſtituentis. *Idem.*

Maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi. *Donatus & Aruſianus.*

Quin lenones & vinarii laniique, quorum præterea vulgus in dies uſum habet, precio compoſiti. *Cariſius.*

Genus armis ferox, & ſervitii inſolitum. *Aruſianus.*

M. Æmilii Lepidi Coſ. ad P. R. oratio contra Sullam.

Clementia & probitas veſtra, Quirites, quibus per ceteras gentis maxumi, & clari eſtis, plurimum timoris mihi faciunt, advorſus tyrannidem L. Sullæ: ne aut ipſi, nefanda quæ æſtumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini: præſertim cum illi ſpes omnis in ſcelere atque perfidia ſit; neque ſe aliter tutum putet, quam ſi pejor atque inteſtabilior metu veſtro fuerit, quo captivis libertatis curam miſeria eximat: aut ſi provideritis, in tutandis periculis magis, quam in ulciſcendo teneamini. Satellites quidem ejus, homines maxumi nominis, non minus optumis majorum exemplis, nequeo ſatis mirari, dominationis in vos, ſervitium ſuum mercedem dant: & utrumque per injuriam malunt, quam optumo jure liberi agere: præclara Brutorum, atque Æmiliorum & Lutatiorum proles, geniti ad ea, quæ majores virtute peperere, ſubvertunda. Nam quid à Pyrrho, Hannibale, Philippoque & Antiocho defenſum eſt aliud, quam libertas, & ſuæ cuique ſedes; neu cui, niſi legibus, pareremus? quæ cuncta ſævus iſte Romulus, quaſi ab externis rapta, tenet, non tot exercituum clade, neque conſulis, & aliorum principum, quos fortuna belli

belli conſumſerat, ſatiatus; ſed tum crudelior, cum pleroſque ſecunda res in miſerationem ex ira vertunt. Quin ſolus omnium, poſt memoriam hominum, ſupplicia in poſt futuros compoſuit: quîs prius injuria quam vita certa eſſe: praviſſumeque per ſceleris immanitatem adhuc tutus fuit; dum vos, metu gravioris ſervitii, à repetunda libertate terremini. Agendum atque obviam eundum eſt, Quirites; ne ſpolia veſtra penes illum ſint: non prolatandum, neque votis paranda auxilia; niſi forte ſperatis, per tædium jam, aut pudorem tyrannidis, eſſe eum per ſcelus occupata, periculoſius dimiſſurum. At ille eo proceſſit, uti nihil glorioſum, niſi tutum, & omnia retinendæ dominationis honeſta exiſtumet. Itaq; illa quies, & otium cum libertate, quæ multi probi potius, quam laborem cum honoribus, capeſſebant, nulla ſunt. Hac tempeſtate ſerviundum, aut imperitandum: habendus metus eſt, aut faciundus, Quirites. Nam, quid ultra? quæve humana ſuperant, aut divina impolluta ſunt? populus Romanus paulo ante gentium moderator, exſutus imperio, gloria, jure, agitandi inops, deſpectusque ne ſervilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum, & Latii magna vis, civitate pro multis, & egregiis factis, à vobis data, per unum prohibentur: & plebis innoxiæ patrias ſedes occupavere pauci ſatellites, mercedem ſcelerum. Leges, judicia, ærarium, provinciæ, reges, penes unum; denique necis civium, & vitæ licentia. Simul humanas hoſtias vidiſtis, & ſepulchra infecta ſanguine civili. Eſt ne viris reliqui aliud, quam ſolvere injuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro ſeptis ſtatuit: neque quiſquam extremam neceſſitatem nihil au-

hil auſus, niſi muliebri ingenio, exſpectat. Verum ego ſeditioſus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror; & bellum cupiens, quia jura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter ſalvi, ſatisque tuti in imperio eritis, niſi Vettius Picens, ſcriba Cornelius, aliena bene parata prodegerint: niſi approbaveritis omnis proſcriptiones innoxiorum, ob divitias; cruciatus virorum illuſtrium; vaſtam urbem fuga, & cædibus; bona civium miſerorum, quaſi Cimbricam prædam, venum, aut dono datam. At objectat mihi poſſeſſiones ex bonis proſcriptorum: quod quidem ſcelerum illius vel maxumum eſt, non me, neque quemquam omnium ſatis tutum fuiſſe, ſi recte faceremus. Atque illa quæ tum formidine mercatus ſum, precio ſoluto, jure, dominis tamen reſtituo: neque pati conſilium eſt, ullam ex civibus prædam eſſe. Satis illa fuerint, quæ, rabie contracta, toleravimus, manus conferentes inter ſe Romanos exercitus, & arma ab externis in noſmet verſa. Scelerum & contumeliarum omnium finis ſit. Quorum adeo Sullam non pœnitet, ut & facta in gloria numeret, &, ſi liceat, avidius fecerit. Neque jam, quid exiſtumetis de illo, ſed quantum vos audeatis vereor: ne, alius alium principem exſpectantes, ante capiamini, non opibus ejus, quæ futiles & corruptæ ſunt, ſed veſtra ſocordia, quam captum iri licet, & quam audeat tam videri felicem. Nam præter ſatellites commaculatos, quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter victoriam? ſcilicet milites: quorum ſanguine, Tarrulæ, Scyrroque, peſſumis ſervorum, divitiæ partæ ſunt. an, quibus prælatus in magiſtratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehoneſtamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam

parit

atit victor exercitus, cui per tot vulnera & labores, nihil præter tyrannum quæſitum eſt. Niſi forte tribuniciam poteſtatem everſum profecti ſunt per arma, conditam à majoribus ſuis; utique jura & judicia ſibimet extorquerent: egregia ſcilicet mercede, cum relegati in paludes & ſilvam, contumeliam atque invidiam ſuam, præmia penes paucos intellegerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? quia ſecundæ res mire ſunt vitiis obtentui: quibus labefactatis, quam formidatus antea eſt, tam contemnetur: niſi forte ſpecie concordiæ & pacis, quæ ſceleri & parricidio ſuo nomina indidit. Neque aliter populo Romano eſſe belli finem ait, niſi maneat expulſa agris plebes, præda civilis acerbiſſuma, jus, judiciumque omnium rerum penes ſe, quod populi Romani fuit. Quæ, ſi vobis pax, & concordia intelleguntur, maxuma turbamenta reip. atque exitia probate: annuite legibus impoſitis: accipite otium cum ſervitio: & tradite exemplum poſteris ad populum Romanum ſuimet ſanguinis cæde circumveniundum. Mihi, quamquam per hoc ſummum imperium ſatis quæſitum erat nomini majorum, dignitati, atque etiam præſidio; tamen non fuit conſilium, privatas opes facere; potiorque viſa eſt periculoſa libertas, quieto ſervitio. Quæ ſi probatis, adeſte Quirites; &, bene juvantibus diis, M. Æmilium Conſulem ducem & authorem ſequimini ad recipiundam libertatem.

Tunc vero & poſci. cum ceteri ejuſdem cauſſa ducem ſenatus rati, maxumo gaudio bellum irritare. *Nonius, irritare, provocare.*

Curionem quæſivit, ut adoleſcentior, & populi ſuffragiis integer, ætati concederet Mamerci. *Priſcianus lib.* x.

Philip-

Philippus, qui ætate & conſilio ceteros ant
ibat. *Servius lib.* IX.

Oratio L. Philippi contra Lepidum.

Maxume vellem, P.C. remp. quietam eſſe, a
in periculis à promtiſſumo quoque defendi: d
nique prava incœpta conſultoribus noxæ eſſe. S
contra, ſeditionibus omnia turbata ſunt, & a
iis, quos prohibere magis decebat. Poſtrem
quæ peſſumi & ſtultiſſumi decrevere, ea bonis
ſapientibus faciunda ſunt. Nam bellum, atque a
ma, quamquam vobis inviſa, tamen, quia Lepic
placent, ſumenda ſunt. Niſi forte cui pacem pr
ſtare, & bellum pati conſilium eſt. Prô, dii bor
qui hanc urbem, omiſſa cura, adhuc regitis; M
Æmilius omnium flagitioſorum poſtremus, q
peior an ignavior ſit, deliberari non poteſt, exe
citum opprimundæ libertatis habet, & ſe è co
temto metuendum effecit: vos muſſantes, & r
tractantes verbis, & vatum carminibus, pace
optatis magis quam defenditis: neque intellegi
mollitia decretorum, vobis dignitatem, illi m
tum detrahi. Atque id jure: quoniam ex rapi
conſulatum, ob ſeditonem provinciam cum exe
citu adeptus eſt. Quid ille ob benefacta cepiſſ
cujus ſceleribus tanta præmia tribuiſtis? At ſci
cet, ii, qui ad poſtremum uſque, legatos, pace
concordiam, & alia hujuſcemodi decreveru
gratiam ab eo peperere. Immo deſpecti & indig
rep. habiti, prædæ loco æſtumantur: quippe m
tu pacem repetentes, quo habitam amiſerant.
quidem à principio, cum Etruriam conjura
proſcriptos accerſiri, largitionibus rempubl.
cerari videbam; maturandum putabam, & Ca
li conſilia cum paucis ſecutus ſum. Cæterum i
qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, & ign
ſcen

endo populi Romani magnitudinem auxiſſe, uſquam etiam tum Lepidum progreſſum videant; cum privata arma opprimundæ libertatis epiſſet, ſibi quisque opes aut patrocinia quærendo; conſilium publicum corruperunt. At tum erat epidus latro cum calonibus, & paucis ſicariis; uorum nemo non diurna mercede vitam mutaverit: nunc eſt proconſul cum imperio, non mto; ſed dato à vobis, cum legatis adhuc jure arentibus: & ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptiſſumi; flagrantes inopia & cupidinibus, ſcelerum conſcientia exagitati: quibus quies, in ſeditionibus; in pace, turbæ ſunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello erunt, Saturnini olim, poſt Sulpicii, dein Marii, Damaſippique, nunc Lepidi ſatellites. Præterea Etruria, atque omnes reliquiæ belli arrectæ: Hiſpaniæ armis ſolicitatæ: Mithridates in latere vectigalium noſtrorum, quibus adhuc ſuſtentamur, diem bello circumſpicit: quin, præter idoneum ducem, nihil abeſt ad ſubvertendum imperium. Quod ego vos oro, atque obſecro P. C. ut animadvortatis; neu patiamini licentiam ſcelerum, quaſi rabiem, ad integros contactu procedere. Nam, ubi malos præmia ſequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus eſt. An exſpectatis dum exercitu rurſus admoto, ferro, atque flamma urbem invadat? quod multo propius eſt ab eo, quo agitat, ſtatu, quam ex pace & concordia ad arma civilia: quæ ille advorſum divina & humana omnia cepit, non pro ſua, aut quorum ſimulat injuria, ſed legum ac libertatis ſubvertundæ. Angitur enim, ac laceratur animi cupidine, & noxarum metu, expers conſilii, inquies; hæc atque illa tentans, metuit otium, odit bellum; luxu atque

 licen-

licentia carendum videt, atque interim abutitu[r] veſtra ſocordia. Neque mihi ſatis conſilii, metum an ignaviam, an dementiam eam appellem: qu[i] videmini intenta mala quaſi fulmen optare ſ[i] quisque ne attingat, ſed prohibere ne conari quidem. Et quæſo conſiderate quam converſa rerun natura ſit. Antea malum publicum, occulte; auxilia palam inſtruebantur, & eo boni malos facil[e] anteibant: nunc pax, & concordia diſturbantu[r] palam; defenduntur occulte. Quibus illa placent in armis ſunt; vos, in metu. Quid exſpectatis? niſi forte pudet, aut piget recte facere. An Lepid[i] mandata animos movent? qui placere ait ſua cuique reddi, & aliena tenet: belli jura reſcindi, cum ipſe armis cogat: civitatem confirmari, qui ad emtam negat: concordiæ gratia plebei tribunitiam poteſtatem reſtitui, ex qua omnes diſcordiæ accenſæ. Peſſume omnium, atque impudentiſſume, tibi ne egeſtas civium, & luctus curæ ſunt cui nihil eſt domi, niſi armis partum, aut per injuriam? alterum conſulatum petis, quaſi primun reddideris: bello concordiam quæris, quo part[a] diſturbatur: noſtri proditor, iſtis invidus, hoſti[s] omnium bonorum, ut te neque hominum, neque deorum, pudet, quos perfidia aut perjuri[o] violaſti! qui, quando talis es, maneas in ſententia, & retineas arma, te hortor: neu prolatandi ſeditionibus inquies ipſe, nos in ſolicitudine retineas. Neque te provinciæ, neque leges, neque dii penates civem patiuntur. Perge, qua cœpiſti ut quam maturrume merita invenias. Vos autem P. C. quouſque cunctando remp. intutam patiemini, & verbis arma tentabitis? Delectus advorſum vos habiti; pecuniæ publice, & privatim extortæ; præſidia deducta atque impoſita; ex lubidin[e]

dine leges imperantur: cum interim vos legatos & decreta paratis. Et quanto, mehercule, avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit; cum intelleget ſe metu magis, quam æquo & bono ſuſtentatum. Nam, qui turbas, & cædem civium odiſſe ait, & ob id armato Lepido vos inermes retinet, quæ victis toleranda ſunt, ea, cum facere poſſitis, patiamini potius cenſet. Ita illi à vobis pacem, vobis ab illo bellum ſuadent. Hæc ſi placent; ſi tanta torpedo animos oppreſſit, ut obliti ſcelerum Cinnæ, cujus in urbem reditu, decus, atque ordines omnes interierunt, nihilo minus vos, atque conjuges, & liberos, Lepido permiſſuri ſitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? quin is & alii boni remp. fruſtra curant. Agite, uti lubet; parata vobis Cethegi, atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas & incendia inſtaurare cupiunt, & rurſum advorſum deos penates manus armare. Sin libertas & bella magis placent; decernite digna nomine, & augete ingenium viris fortibus. Adeſt novus exercitus, &, ad hoc, coloniæ veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi; fortuna meliores ſequitur. Iam illa, quæ collecta ſunt ſocordia noſtra dilabentur. Quare ita cenſeo, quoniam Lepidus exercitum privato conſilio, paratum cum peſſumis, & hoſtibus reip. contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit; ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconſule, & ceteris quibus imperium eſt, urbi præſidio ſint; operamque dent ne quid reſp. detrimenti capiat.

Vti lepidus, & Catulus decretis exercitibus maturrumè proficiſcerentur. *Cariſius lib.* 11.

M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulſo, ſegnior neque minus gravis, ſed multiplex cura pa-

tres exercebat. *Servius. Marius Victorinus in Ciceronem.*

Obviam ire, & commori hoſtibus. *Aruſianus Meſſus.*

Lepidus pœnitens conſilii. *Cariſius lib.* III.

Sic vero quaſi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere. *Nonius, Competere, rei cujuſque meminiſſe, aut conſtanter valere.*

Prudens omnium, quæ ſenatus cenſuerat. *Aruſianus.*

Magnis operibus profectus, oppidum cepit, pei L. Catilinam legatum. *Feſtus.*

Domitium proconſulem ex citeriori Hiſpaniæ cum omnibus copiis, quas paraverat, arceſſivit. *Priſcianus lib.* X. *Arceſſivit, inquit, & laceſſivit.*

Sanctus aliter, & ingenio validus. *Cariſius lib.* I. *aliter pro alias.*

Gens raro egreſſa finis ſuos. *Servius ad lib.* XI. *Æneidos. Aruſianus Meſſus.*

Niſi cum ira belli deſenuiſſet. *Priſcianus lib.* X.

Maturaverunt exercitum Dyrrhachium cogere. *Aruſianus Meſſus.*

Illo profectus, vicos, caſtellaque incendere, &, fuga cultorum deſerta, igni vaſtare: neque elato, aut ſecuro eſſe animo, metu gentis ad furta belli peridoneæ. *Nonius. Servius ad* XI. *Æneidos.*

Liberis ejus avunculus erat. *Donatus ad Phormionem Terentii.*

Nihil ob tantam mercedem ſibi abnuituros. *Aruſianus Meſſus,*

Inſanum aliter ſua ſententia, atque aliarum mulierum. *Cariſius lib.* I. *aliter pro alias.*

Solis viis. *Donatus Phorm. act.* V. *ſcen.* VIII.

Iuſſu Metelli cornicines occanuerunt. *Priſcianus*

cianus lib. X. *Servius* II. *Georg. Virg. Diomed. ib.* I. *cap.* IV.

Nexuit catenæ modo. *Priſcianus lib.* X.

Doctus militiam. *Aruſianus Meſſus.*

Neque ſe recipere aut inſtruere prœlio quivere. *Priſcianus lib.* X.

Equi ſine rectore exterriti, aut ſaucii conſternantur. *Idem lib.* IV.

Occupatusque collis editiſſumus apud Hilerdam: & cum multa opera circumdata. *Priſcianus lib.* V.

At inde nulla munitionis, aut requie mora, proceſſit ad oppidum. *Priſcianus lib.* XVIII. *requie pro requiei.*

Agreſte. *Cariſ. lib.* I.

Ardebat omnis Hiſpania citerior. *M. Fabius Victorinus de invent. Ciceronis lib.* I.

* & ponere validam urbem multos dies reſtantem pugnando vicit. *Nonius.*

Itaque Sertorius, levi præſidio relicto in Mauritania, nactus obſcuram noctem, æſtu ſecundo, furtivaq; celeritate, vitare prœlium in tranſgreſſu conatus eſt. *Agellius lib.* 10. *c.* 26. *Nonius Marcellus.*

Tranſgreſſos omnis, recipit mons Ballera, præceptus à Luſitanis. *Idem ibidem.*

Earum aliæ paullulum progreſſæ, nimio ſimul & incerto onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. *Idem.*

Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit. *Servius* VIII *Æneidos. Aruſianus Meſſus.*

Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, poſtquam tantas aſperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hoſti quam ſuis opportuniora videt. *Nonius.*

Cum Sertorius neque erumperet, tam levi copia navibus fugam maturabat. *Servius Fuldanus. Meſſus.*

Itineris eorum Metellus per litterás gnarus. *Aruſianus.*

Itaque Servilius ægrotum Tarenti collegam prior tranſgreſſus, iter vortit ad Corycum urbem inclutam: paſtusque nemore, in quo crocum gignitur. *Priſcianus. Nonius.*

Ad Olympum atque Phaſelida. *Priſcianus.*

Apud Corycum. *Idem.*

Apud Læte oppidum, cui nomen oblivionis condiderant. *Idem. Servius ad* I. *Æneidos.*

Repulſus à Læte oppido. *Idem. Priſcianus.*

Apud Mutinam. *Idem.*

Apud Præneſte locatus. *Idem.*

Medio diei. *Meſſus.*

Quietam à bellis civitatem. *Idem.*

Militiæ peritus. *Idem.*

Sertorius portis turbam morantibus, & nullo, ut in terrore ſolet, generis aut imperii diſcrimine, per calonum corpora, ad medium quaſi deinſuper adſtantium manibus in murum attollitur. *Nonius. Servius.*

Neque detruſus aliquotiens terretur. *Priſcianus lib.*XV.

Dubitavit acie pars. *Idem.*

Quos inter maxume. *Cariſius.*

Rumore primo. *Cariſius.*

Idem fecere Octavius & Q. Cæpio ſine gravi cujuſquam exſpectatione, neque ſane ambiti publici. *Servius ad lib.*IV. *Æneidos: Ambire ſignificat & rogare. Salluſtius in Iugurtha: Quos ego audio ambire, fatigare vos ſingulos. Dicebatur & ambio illum, pro rogo. Salluſt. in* I. Idem fecere *&c.*

Cum

Cum aræ & alia diis ſacrata, ſupplicum ſanguine fœdarentur. *Idem.*

Poſtremo ipſos colonos per miſerias & incerta humani generis orare. *Idem ad illud* XI. *Æneidos.*

——*per everſæ genitor fumantia Trojæ*
Exſcidia obteſtor.

Ea paucis quibus peritia & verum ingenium eſt abnuentibus. *Idem.*

Perpenna tam paucis profectus vera eſt æſtimanda. *Idem ad* XII. *Æneidos.*

FRAGMENTA
LIB. II.
HISTORIARVM.

SArdinia in Africo mari facie veſtigii humani, in orientem, quam in occidentem latior prominet. *Agellius lib.* XIII. *cap.* XVIII. *Nonius: Faciem totius corporis formam,* πρόσωπον, *id eſt, os, poſuit antiquitas prudens; ut ab aſpectu ſpecies, & à fingendo figura, ita à factura corporis facies. Salluſt. hiſt. lib.* II. *Sardinia, &c. Iſidorus.*

Inde Ichnuſa appellata. *Solinus.*

Dubium an inſula ſit, quod Euri atque Auſtri ſuperjactis fluctibus, circumlavit. *Nonius, lavit pro lavat.*

Nam Sullam conſulem de reditu ejus legem ferentem ex compoſito trib. pl. C. Herennius prohibuerat. *Notat Agellius lib.* X. *cap.* XX. *Salluſtium proprietatis in verbis retinentiſſimum conſuetudini conceſſiſſe, & privilegium, quod de Cn. Pompeii Magni patris reditu ferebatur, legem appellaſſe.*

Nam procul,& diverſis ex regionibus. *Cariſius Aſper, procul, inquit, eſt è loco.*

Obviam fuere. *Cariſius ibidem. Aſper, ait vetuſtè* obviam fuere, *adverbio quam nomine ut maluit.*

Vrbe, patriaque extorres. *Meſſus.*

Genus militum ſuetum à pueritia latrociniis. *Idem.*

Inter læva mœnium, & dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit. *Priſcianus lib.* V. *&* VI. *Turiam dixit, qui accuſativus generis maſculini eſt, non neutri.*

In fiducia, quam argumentis, purgatiores dimittuntur. *Donatus Phorm. act.* I. *ſc.* III. *& Hecyr. act.* IV. *ſc.* IV. *Nonius. Fiducia eſt audacia. Servius.*

Antequam regreſſus Sertorius inſtrueret pugnæ ſuos. *Aruſianus.*

Ipſe animi atrox. *Idem.*

Copiis integra. *Idem.*

Eodem anno in Macedonia C.Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis dictas pecunias coegit. *Nonius, dicere eſt promittere.*

Poſt, ubi fiducia nimius. *Aruſianus.*

Sed ipſi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat Corſa nomine Ligus mulier. *Priſcianus lib.* VI.

Nam quædam Corſa nomine Ligus mulier cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, tranſnatare ſolitum, atque per intervalla corpore aucto remeare videret, cupiens ſcire incognita ſibi pabula, taurum à cæteris degredientem uſque ad inſulam navigio proſecuta eſt. Cujus regreſſu inſulæ fertilitatem cognoſcentes Ligures, ratibus eò

ò profecti ſunt, eamque nomine mulieris aucto-is & ducis appellaverunt. *Iſidorus lib.* 14. *cap.* 6.

Ne illa tauro parata ſint. *Donatus actu* IV. *ſcena* II. *Andriæ.*

Dædalum ex Sicilia profectum, cùm Minois ugeret iram, atque opes. *Priſcianus libro* VI. *Servius.*

Quem ex Mauritania rex Leptaſta proditionis inſimulatum cum cuſtodibus miſerat. *Priſcianus lib,* I.

Quos advorſum multi ex Bithynia volentes occurrere, falſum filium arguituri. *Priſcianus lib.*X.

Vt actione deſiſteret. *Meſſus.*

Veſpera. *Cariſius lib.* II.

Argentum mutuum arceſſivit. *Priſcianus lib.* X.

Eam deditionem ſenatus, per nuncios Oreſtis cognitam, approbat. *Priſcianus lib.*VI.

Niſi qua flumen Lurda Tauro monte defluens. *Idem ibidem.*

Frugum, pabulique lætus ager. *Aruſianus. Servius lib.* I. *Æneidos.*

Neque virgines nuptum à parentibus mittebantur, ſed ipſæ belli promptiſſumos delegebant. *Meſſus.*

Modeſtus ad omnia alia, niſi ad dominationem. *Donatus Phor. act.* I. *Sc.* II.

Noctu, diuque ſtationes, & vigilias tentare. *Cariſius lib.* II.

At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat. Multique commeatus interierant inſidiis latronum. *Priſcianus lib.* VII. *& Nonius.*

Namque primum Iaſonem novo itinere maris Æetæ hoſpitis domum violaſſe. *Priſcianus lib.* VIII.

Tarteſſum Hiſpaniæ civitatem, quam nunc

 Tyrii

Tyrii mutato nomine Gadir habent. *Priſcianus lib.* v.

Neque ſubſidiis, uti ſoluerat, compoſitis. *Priſcianus lib.* x. *Soluerat autem eſt ſolitus fuerat.*

Neque inermos ex prœlio viros quemquam agnoturum. *Idem ibidem.*

Ea continentia vir gravis, & nulla arte cuiquam inferior. *Aruſianus. Nonius in Gravis.*

Omnes qui circum ſunt, præminent altitudine millium paſſuum duorum. *Aruſianus.*

* & Pœni ferunt adverſus A. N. C. M. *Donatus.*

Quia corpore, & lingua percitum, & inquietem, nomine hiſtrionis vix ſani, Barbuleium appellabant. *Priſcianus lib.* VI.

Audaciter. *Idem* XV.

Ibi Fimbriana ſeditione, qui regi per obſequelam orationis, & maxume odium Sullæ, graves carique erant. *Nonius: obſequium neut. genere; obſequela fem.*

Mœnibus deturbat. *Nonius deturbare.*

E muris canes ſportis demittebant. *Idem.*

Ad hoc rumoribus, advorſa in pravitatem; ſecunda in caſum; fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant. *Idem.*

At Metellus in ulteriorem Hiſpaniam poſt annum regreſſus; magna gloria concurrentium undique virile & muliebre ſecus, per vias ac tecta omnium viſebatur: cum quæſtor C. Vrbinus, aliique, cognita voluntate, eum ad cenam invitaverant; ultra Romanorum, & mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aulæa & inſignia, ſcenisque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis; ſimul croco ſparſa humus, & alia, in modum templi celeberrumi. Præterea cum ſedent

denti tranſenna demiſſum Victoriæ ſimulacrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam capiti imponebat: tum venienti ture quaſi deo ſupplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti: epulæ quæſitiſſumæ; neque per omnem modo provinciam, ſed trans maria, ex Mauritania volucrum, & ferarum incognita antea plura genera. quibus rebus, aliquantam partem gloriæ demſerat, maxume apud veteres & ſanctos viros, ſuperba illa, gravia, indigna R. imperio exiſtumantes. *Macrob. Saturnal. lib.* III. *cap.*XIII. *Nonius. Soſipater lib.* I.

Ruuntque pars magna ſuiſmet, aut proxumorum telis, ceteri vice pecorum obtruncabantur. *Nonius.*

Occurrere duci, & prœlium accendere, adeo uti Metello in ſagum, Hirtuleio in brachium tela venirent. *Idem.*

Avidiſque ita, promtiſque ducibus, uti Metellus ictu tragulæ ſauciaretur. *Idem.*

Sed Metellus in vulnere. *Donatus actu* V. *ſcena* II. *And.*

Primo incidit forte per noctem in renunculo piſcantis. *Nonius.*

Ad hoc pauca piraticæ adjungit actuaria navigia. *Idem in, Piratica navicula.*

Omnia ſacrata corpora in ratem impoſuiſſe. *Aruſianus.*

Suos equites hortatus vado tranſmittit. *Idem.*

Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. *Donatus Adelph. act.* III. *ſc.* II.

Circumventi dextra, unde ferrum erat, ſaxa, aut quid tale capiti affligebant. *Aruſianus.*

Sed Metellus in ulteriore provincia. *Donatus ad Pherm. act.* I. *ſc.* IV.

Imma-

Immane quantum animi exarſere. *Nonius*, *Nomen poſitum pro Adverbio.*

At illi quibus res incognita erat, ivere cuncti ad portas incognita tendere. *Servius F.Vrſini.*

Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit. *Servius Fuldanus.*

FRAGMENTA
LIB. III.
HISTORIARVM.

EXauditique ſonus Bacchanaliorum. *Macrob. lib.*I. *cap.* IV. *Saturnal. Nonius.*

Diverſa, uti ſolet rebus perditis, capeſſunt. namque alii fiducia gnaritatis locorum in occultam fugam ſparſi; alii, globis eruptionem tentavere. *Priſcianus lib.*X. *Nonius.*

Vnus conſtitit in agro Lucano, gnarus loci, nomine Publipor. *Idem lib.*VI. *Probus Catholicis.*

Male jam aſſuetum ad omnis vis controverſiarum. *Priſcianus lib.* VI.

Conjuratione claudit. *Idem lib.*X.

Quaſi par in oppido feſtinatio, & ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur: nam mœnia oppidi ſtagnabant, redundantibus cloacis adverſo æſtu maris. *Nonius in Mador.*

Equis, & armis decoribus cultus. *Priſcianus lib.*VI.

Dedecores, inultique terga ab hoſtibus cædebantur. *Idem.*

Contra ille calui ratus quærebat num ſomnio theſau-

eſaurus portenderetur. *Idem lib. VIII. Nonius Caluitur.*

Parte conſumta, reliqua cadaverum ad diutur-tatem uſus fallerent. *Priſcianus lib.X.*

Epiſtola Cn. Pompei ad ſenatum.

Si advorſus vos, patriamque, & deos penates, ›tiens labores & pericula ſuſcepiſſem, quotiens à :ima adoleſcentia ductu meo ſceleſtiſſumi ho-es fuſi, & vobis ſalus quæſita eſt: nihil amplius ı abſentem me ſtatuiſſetis, quam adhuc agitis . C. quem contra ætatem projectum ad bellum :viſſumum, cum exercitu optume merito, quan-ım eſt in vobis, fame, miſerruma omnium mor-:, confeciſtis. Hac in ſpe populus R. liberos ſuos ı bellum miſit? Hæc ſunt præmia pro vulneribus; c totiens ob remp. fuſo ſanguine? feſſus ſcribun-o, mittundoque legatos, omnis opes & ſpes pri-atas meas conſumſi: cum interim à vobis per :iennium vix annuus ſumtus datus eſt. Per eos immortalis, utrum cenſetis me vicem ærarii ræſtare, an exercitum ſine frumento & ſtipen-lio habere poſſe? equidem fateor me ad hoc bel-um majore ſtudio, quam conſilio, profectum: juippe qui nomine modo imperii à vobis acce-›to, diebus quadraginta exercitum paravi; hoſtiſ-jue in cervicibus jam Italiæ agentis ab Alpibus in Hiſpaniam ſummovi. Per eas, iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius patefeci. Recepi Galliam, Pyrenæum, Lacetaniam, Ilergetum: & ›rimum impetum Sertorii victoris novis quidem nilitibus, & multo paucioribus ſuſtinui: hiememque in caſtris inter ſæviſſumos hoſtis, non per oppida, neque ex ambitione mea, egi. Quid dein prœlia, aut expeditiones hibernas, oppida exciſa, aut recepta enumerem? quando res plus valent quam

quam verba. Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, & prœlium apud flumen Durium, & dux hoſtium C. Herennius cum urbe Valentia, & exercitu deleti, ſatis clara vobis ſunt pro quîs, ô grati patres, egeſtatem, & famam redditis. Itaque meo & hoſtium exercitui par conditio eſt. Namque ſtipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire poteſt. Quod ego vos moneo, quæſoque ut animadvortatis; neu cogatis neceſſitatibus privatim mihi conſulere. Hiſpaniam citeriorem, quæ non ab hoſtibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vaſtavimus; præter maritumas civitates, quæ ultro nobis ſumtui, onerique. Gallia ſuperiore anno Metelli exercitum ſtipendio frumentoque aluit: & nunc malis fructibus, ipſa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem conſumſi. Reliqui vos eſtis: qui niſi ſubvenitis, invito & prædicente me, exercitus hinc, & cum eo omne bellum Hiſpaniæ in Italiam transgreditur.

Namque his, præter ſolita vitioſis magiſtratibus, cum per omnem provinciam infecunditate biennii proxumi grave pretium fructibus eſſet. *Nonius, Grave eſt multum.*

Hi ſaltibus occupatis tum externorum agros invaſere: frumentique ex inopia gravi ſatias facta. *Idem, Satias pro ſatietas.*

Neque jam ſuſtineri poterat immenſum aucto mari, & vento gliſcenti. *Idem, gliſcit eſt congelaſcit, colligitur, igneſcit, creſcit.*

Ac tum maxume, uti ſolet extremis in rebus, ſibi quiſque cariſſumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia ſequi. *Idem, Munia officia.*

Et forte in navigando cohors una, grandi faſelo ve-

o vecta, à ceteris deerravit, marique placido à duobus prædonum myoparonibus circumventa. *Idem in voce Faſelus, & Myoparo.*

Eum, atque Metrophanem ſenatus magna induſtria perquirebat, cum per tot ſcaphas, quas ad oſtia cum paucis fidis percunctatum miſerant. *Idem, & Cariſius lib.* 1.

Duos quam maxumos utres levi tabulæ ſubjecit: qua ſuper omni corpore quietus invicem tractu pedis quaſi gubernator exiſteret: ea inter molem, atque inſulam mari vitabundus claſſem hoſtium, ad oppidum pervenit. *Idem.*

Nam qui enare conati fuerant, icti ſæpe ferramentis navium, aut vulnerati à ſuis, aut afflicti alveos undarum vi, multato fœde corpore, poſtremo tamen periere. *Idem, & Aruſianus Meſſus.*

Nam tertia tunc erat, & ſublima nebula cælum obſcurabat. *Nonius.*

Illum nautis forum. *Idem.*

Oratio M. Lepidi tribuni plebis ad plebem.

Si, Quirites, parum exiſtumaretis, quid inter jus à majoribus relictum vobis, & hoc à Sulla paratum, ſervitium intereſſet, multis mihi diſſerendum fuiſſet, docendumque, quas ob injurias, & quotiens à patribus armata plebes ſeceſſiſſet; utique vindices paraviſſet omnis juris ſui tribunos pleb. Nunc hortari modo reliquum eſt, & ire primum via, qua capeſſundam arbitror libertatem. Neque me præterit quantas opes nobilitatis ſolus, impotens, inani ſpecie magiſtratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam ſoli innocentes. Sed præter ſpem bonam ex vobis, quæ metum vicit, ſtatui certaminis advorſa, pro libertate potiora eſſe forti viro, quam omnino non certaviſſe. Quamquam

omnes

omnes alii creati pro jure veſtro vim cunctam, & imperia ſua gratia, aut ſpe, aut præmiis in vos convortere; meliusque habent, mercede delinquere, quam gratis recte facere. Itaque omnes conceſſere jam in paucorum dominationem, qui per militare nomen, ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, & arcem habent ex ſpoliis veſtris: cum interim more pecorum vos multitudo ſingulis habendos, fruendosque præbetis, exſuti omnibus, quæ majores reliquere: niſi quia voſmet ipſi per ſuffragia, uti præſides olim, nunc dominos deſtinatis. Itaque conceſſere illuc omnes: & mox ſi veſtra receperitis, ad vos redibunt plerique. Rarus enim animus eſt ad ea, quæ placent defendenda. Cetera validiorum ſunt. An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus poſſit, quos languidos ſocordesque pertimuere? niſi forte C. Cotta ex factione media conſul, aliter quam metu jura quædam tribunis pleb. reſtituit, & quamquam L. Sicinius primus de poteſtate trib. loqui auſus, muſſantibus vobis circumventus erat: tamen prius illi invidiam metuere, quam vos injuriæ pertæſum eſt. Quod ego nequeo ſatis mirari, Quirites. Nam ſpem fruſtra fuiſſe intellexiſtis. Sulla mortuo, qui ſceleſtum impoſuerat ſervitium, finem mali credebatis. Ortus eſt longe ſævior Catulus. Tumultus interceſſit Bruto, & Æmilio Mamerco Coſs. dein C. Curio ad exitium uſque inſontis tribuni dominatus eſt. Lucullus ſuperiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidiſtis: quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur! quæ profecto incaſſum agerentur, ſi, prius quam vos ſerviundi finem, illi dominationis facturi erant: præſertim cum his civilibus armis dicta alia, ſed certatum

tatum utrimque de dominatione in vobis ſit. Itaque cetera ex licentia, aut odio, aut avaritia in tempus arſere. Permanſit una res modo, quæ utrimque quæſita eſt: & erepta in poſterum vis tribunicia, telum à majoribus libertati paratum. quod ego vos moneo, quæſoque, ut animadvertatis: neu nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium pro ſervitio appelletis. quo jam ipſo frui, ſi vera & honeſta flagitium ſuperaverit, non eſt conditio: fuiſſet; ſi omnino quieſſetis. Nunc animum advortite: &, niſi viceritis, quoniam omnis injuria gravitate tutior eſt, artius habebunt. Quid cenſes igitur? aliquis veſtrum ſubjecerit. Primum omnium, omittendum morem hunc quem agitis, impigræ linguæ, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. Dein ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunis plebei mandando patricium magiſtratum, libera ab auctoribus patriciis ſuffragia majores veſtri paravere: quamvis, Quirites, in vobis ſit, uti, quæ juſſa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe poſſitis. Iovem aut alium quem deum conſultorem exſpectatis? magna illa conſulum imperia & patrum decreta, vos exſequendo rata efficitis, Quirites: ultroque licentiam in vos auctum, atque adjutum properatis. Neq; ego vos ultum injurias hortor; magis uti requiem capiatis: neque diſcordias, ut illi criminantur, ſed earum finem volens jure gentium res repeto: &, ſi pertinaciter retinebunt, non arma, neque ſeceſſionem, tantummodo ne amplius ſanguinem veſtrum præbeatis cenſeo. Gerant, habeantque ſuo modo imperia; quærant triumphos: Mithridatem, Sertorium & reliquias exſulum perſequantur cum imaginibus ſuis. Abſit periculum & labos, quibus nulla pars

fructus

fructus eſt; niſi forte repentina iſta frumentari lege munia veſtra penſantur. Qua tamen quin modiis libertatem omnium æſtumavere, qui prc fecto non amplius poſſunt alimentis carceri Namque ut illis exiguitate mors prohibetur; ſe neſcunt vires: ſic neque abſolvit cura familia tam parva res; & ignaviſſumi quique tenuiſſum ſpe fruſtrantur: quæ tamen quamvis ampla, quc niam ſervitii pretium oſtentaretur, cujus torpe dinis erat decipi & veſtrarum rerum ultro inju ria gratiam debere? Namque alio modo, nequ valent in univerſos, neque conabuntur. Caver dus tamen dolus eſt. Itaque ſimul comparant de lenimenta, & differunt vos in adventum Cr Pompeii: quem ipſum ubi pertimuere, ſublatur in cervices ſuas, mox demto metu lacerant. Ne que eos pudet vindices, uti ſe ferunt, libertatis tot viros ſine uno, aut remittere injuriam no audere, aut jus non poſſe defendere. Mihi quider ſatis ſpectatum eſt, Pompeium tantæ gloriæ ado leſcentem malle principem volentibus vobis eſſe quam illis dominationis ſocium, auctoremque i primis fore tribuniciæ poteſtatis. Verum, Quiri tes, antea ſinguli cives in pluribus, non in uno cuncti præſidia habebatis: neque mortalium quis quam dare, aut eripere, talia unus poterat. Itaqu verborum ſatis dictum eſt. Neque enim ignoran tia res claudit. Verum occupavit vos neſcio qu: torpedo, quia neque gloria movemini, neque fla gitio; cunctaque præſenti ignavia mutaſtis: ab unde libertatem rati, quia tergis abſtinetur, & huc ire licet atque illuc, munere ditium domino rum. Atque hæc eadem non ſunt agreſtibus; ſe cæduntur inter potentium inimicitias, donoqu dantur in provincias magiſtratibus. Ita pugnatur

& vin

c vincitur à paucis: plebes, quodcumque accidit, pro victa eſt: & in dies magis erit: ſi quidem majore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

Poſtquam egreſſus anguſtiás. *Meſſus.*

Ad Cyzicum perrexit firmatus animi. *Ex eodem.*

Vt ſuſtinere corpora plerique nequeuntes, feſſi, arma ſua quisque ſtantes incumberent. *Idem, &* *Servius.*

Ac ſtatim fugitivi, contra præceptum ducis, rapere ad ſtuprum virgines, matronasque. *Nonius.*

Quibus à Sertorio triplices inſidiæ per idoneos ſaltus poſitæ erant: prima, quæ fonte venientes exciperet. *Servius.*

Ingens ipſe virium, atque animi. *Aruſianus.*

Locum nullum niſi in quo armati inſtitiſſent. *Idem.*

At Oppius poſtquam orans nihil proficiebat, timide veſte tectum pugionem expedire conatus, à Cotta, Vulſcioque impeditur. *Nonius, Pugio eſt brevis gladius.*

Caſtrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. *Idem.*

Sed Pompeius à prima adoleſcentia, ſermone fautorum, ſimilem fore ſe credens Alexandro regi, facta, conſultaque ejus quidem æmulus erat. *Nonius.*

Dubius conſilii. *Aruſianus.*

Poſt reditum eorum, quibus ſenatus belli Lepidani gratiam fecerat. *Idem.*

Quod ubi fruſtra tentatum eſt, ſocordius ire milites occœpere, non aptis armis, ut in principio, & laxiore agmine. *Nonius.*

Atque eum Curio laudatum, accenſumque præ-

præmiorum ſpe, quibus cum optaviſſet, ire ju bet. *Idem.*

Eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo ſanguine ſuorum defenſus, poſ quam ex ſarcinis paludamenta adſtari, & delect cohortes intelligi cœpere. *Idem.*

Si nihil ante adventum ſuum inter plebem & patres conveniſſet, coram ſe daturum operam *Priſcianus lib.* XIV.

Fine inguinum ingrediuntur mare. *Aruſianu.*

M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, va cuusque curis, niſi inſtantibus. *Idem.*

Muros ſucceſſerant. *Idem.*

Saxaque ingentia, & axe vinctæ trabes pe pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris veruta binum pedum *Nonius. Servius.*

Octavium mitem, & captum pedibus. *Aru ſianus.*

Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio ſuper eum L. Fabius Hiſpanienſis ſenator ex pro. ſcriptis, in ſummo Antonius, & infra, ſcriba Ser. torii Verſius: & alter ſcriba Mæcenas in imo medius inter Tarquitium, & dominum Perper. nam. *Nonius. Servius.*

Quarum unam epiſtolam forte cum ſervo nacti prædatores Valeriani ſcorpione in caſtra miſe. re. *Nonius.*

FRAG-

RAGMENTA
LIB. IV.
HISTORIARVM.

AT Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum ſtolidior, an vanior, legem e pecunia, quam Sulla emtoribus bonorum remiſerat, exigunda, promulgavit. *Agellius lib.* VIII. *cap.* IV.

Omnes, quibus ætas ſeneƈto corpore, animus militaris erat. *Priſcianus lib.* IX. & X.

Dein lenita jam ira, poſtero die liberalibus verbis permulƈti ſunt. *Idem lib.* IX.

Implicitæ rates miniſteria prohibebant. *Idem ibidem.*

Igitur legiones pridie in monte poſitas arceſſivit. *Idem lib.* X.

Anxius animi, atque incertus. *Aruſianus.*

Magnam exorſus orationem. *Idem.*

Impotens, & nimius animi eſt. *Idem.*

Amiſumq; aſſideri ſine prœliis audiebat. *Priſcianus lib.* VIII. *Obſideo & aſſideo activa ſunt; faciunt enim aſſideor & obſideor.*

Qui quidem mos, uti tabes, in urbem conjeƈtus. *Feſtus.*

Caſtella cuſtodias theſaurorum in deditionem acciperentur. *Servius. Cariſius lib.* I.

Reliqua cadavera ſalita. *Diomedes lib.* I. *cap.* IIII.

Epiſtola Regis Mithridatis ſcripta ad Regem Arſacem.

REX MITHRIDATES REGI ARSACI S. Omnes, qui ſecundis rebus ſuis ad belli ſocieta-

cietatem orantur, conſiderare debent, liceatr tum pacem agere. Dein quod quæritur, ſatis n pium, tutum, glorioſum, an indecorum ſit. T bi, perpetua pace frui liceret, niſi hoſtes opportu ni, & ſceleſtiſſumi. Egregia fama, ſi Romanc oppreſſeris, futura eſt. Neque petere audeam ſc cietatem: & fruſtra mala mea cum tuis bon miſceri ſperem. Atqui ea, quæ te morari poſſe v dentur, ira in Tigranem recentis belli, & meæ r parum proſperæ, ſi vera æſtumare voles, maxi me hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualer tu voles, ſocietatem accipiet: mihi fortuna, mu tis rebus ereptis, uſum dedit bene ſuadendi: & quod florentibus optabile eſt, ego non validiſſi mus præbeo exemplum, quo rectius tua compc nas. Namque Romanis, cum nationibus, popu lis, regibus cunctis, una & ea vetus cauſſa bellar di eſt, cupido profunda imperii, & divitiarum qua primum cum rege Macedonum Philippo be lum ſumſere. Dum à Carthaginienſibus prem bantur, amicitiam ſimulantes, ei ſubvenientei Antiochum conceſſione Aſiæ per dolum avert re: ac mox à Philippo Antiochus, omni cis Tau rum agro, & decem millibus talentorum ſpoliatu eſt. Perſen deinde Philippi filium, poſt multa & varia certamina, apud Samothracas deos acc ptum in fidem, callidi, & repertores perfidia quia pacto vitam dederant, inſomniis occider Eumenem, cujus amicitiam glorioſe oſtentan initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; po Attalũ cuſtodem agri captivi ſumtibus & conti meliis ex rege miſerrumum ſervorum effecere: ſ mulatoq; impio teſtamento, filium ejus Ariſton cum, quia patriũ regnum petiverat, hoſtium mor per triumphum duxere: Aſia ab ipſis obſeſſa eſt

poſtre

poſtremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, cum filius Nuſæ, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie eſſet. Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique regnis, & tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque ſerviturum eſſe, per Nicomedem bello laceſſiverunt; ſceleris eorum haud ignarum, & ea, quæ accidere, teſtatum antea, Cretenſes ſolos omnium liberos ea tempeſtate, & regem Ptolemæum. Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli; Aſiamque ſpolium regis Antiochi recepi, & Græciæ demſi grave ſervitium. Incœpta mea poſtremus ſervorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit, acerbiſſumas pœnas ſolvunt. Ptolemæus precio diem belli prolatat. Cretenſes impugnati ſemel jam, neque finem niſi excidio habituri. Equidem cum mihi ob ipſorum interna mala dilata prœlia magis, quam pacem datam intellegerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta ſero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rurſus tamen bellum cœpi: Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi: mari exſui claſſe pulcerruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu, in obſidione moranti frumentum defuit, nullo circumadnitente: ſimul hiems mari prohibebat. Ita, ſine vi hoſtium regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Param, & Heracleam, militum optumos cum claſſibus amiſi. Reſtituto deinde apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullum prœliis, inopia rurſus ambos inceſſit. Illi ſuberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego vaſtatis circum omnibus locis,

cis, in Armeniam conceſſi: ſecutique Rom
non me, ſed morem ſuum omnia regna ſubv
tendi, quia multitudinem artis locis pugna pro
buere, imprudentiam Tigranis pro victoria
ſtentant. Nunc quæſo conſidera, nobis oppre
utrum firmiorem te ad reſiſtendum, an fine
belli futurum putes? ſcio equidem tibi magr
opes, virorum, armorum, & auri eſſe: &, ea
à nobis ad ſocietatem, ab illis ad prædam peter
Ceterum conſilium eſt Tigranis, regno integr
meis militibus belli prudentibus, procul ab d
mo, parvo labore, per noſtra corpora bellum co
ficere: quando neque vincere, neque vinci ſi
tuo periculo poſſumus. An ignoras Romano
poſtquam ad occidentem pergentibus finem
ceanus fecit, arma huc convertiſſe? neque qui
quam à principio niſi raptum habere, domun
conjuges, agros, imperium? convenas, olim
ne patria, ſine parentibus, peſte conditos orb
terrarum: quibus non humana ulla, neque div
na obſtant, quin ſocios, amicos, procul juxtaq
ſitos, inopes potentisque trahant, excidantque
omniaque non ſerva & maxume regna hoſtil
ducant. Namque pauci libertatem, pars magn
juſtos dominos volunt: nos ſuſpecti ſumus a
muli, & in tempore vindices affuturi. Tu verc
cui Seleucia maxuma urbium, regnumque Perſ
dis inclitis divitiis eſt, quid ab illis, niſi dolum i
præſens, & poſtea bellum exſpectas? Romani i
omnis arma habent, acerruma in eos quibus vi
ctis ſpolia maxuma ſunt; audendo & fallendo
& bella ex bellis ſerendo, magni facti. Per hun
morem exſtinguent omnia, aut occident: quo
difficile non eſt, ſi tu Meſopotamia, nos Armeni
circumgredimur exercitum ſine frumento, ſin
auxi-

uxiliis : fortuna autem noſtris vitiis adhuc inco-
ımis. Teque illa fama ſequetur auxilio profectum
ıagnis regibus, latrones gentium oppreſſiſſe.
Quod uti facias moneo, hortorque; neu malis per-
icie noſtra unum imperium prolatare, quàm ſo-
ietate victor fieri.

Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus. *Nonius de mutata declinatione. Cariſius lib.* 1.

Scalas pares mœnium altitudine. *Aruſianus.*

Diffidere inter ſe cœpere, neque in medium onſultare. *Idem.*

Multisque ſuſpicionibus volentia plebi factu-us videbatur. *Nonius, Volentia quæ plebs vellet.*

Suſpectusque fuit, incertum vero an per ne-legentiam, ſocietatem prædarum cum latroni-us compoſuiſſe. *Idem, Componere conjungere.*

Collegam minorem, & ſui cultorem exſpe-tans. *Aruſianus.*

Quam maxumis itineribus per regnum Ario-arzanis contendit, ad flumen Euphratem; qua n parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. Et uamquam ad id naves codicariæ occulto per iemen fabricatæ aderant. *Nonius, Codicariæ na-ves, quæ in flumine uſui eſſe poſſunt.*

Qui prætergrediebantur equites cataphracti, errea omni ſpecie. *Idem.*

Cum interim, lumine etiam tum incerto, duæ Galliæ mulieres conventum vitantes ad menſtrua olvenda montem aſcendunt. *Idem.*

Pluteosq; reſcindit, ac munitiones demolitur; ocoq; ſummo potitur. *Idem, demoliri eſt diruere.*

Exercitum dimiſit ut primum Alpes degreſſus ſt. *Aruſianus.*

Tetrarchas, regesque territos animi firmavit. *dem.*

Simul eos, & cunctos jam inclinatos laxita loci, plures cohortes, atque omnes, ut in ſecunc re, pariter acre invadunt. *Nonius.*

Hi locorum perignari, & ſoliti nectere ex v minibus vaſa agreſtia, ibi tum, quòd inopia ſc torum fuerat, ad eam artem ſe quiſque in forma parmæ equeſtris armabat. *Nonius, Parma eſt ſc tum breve.*

De pecore coria recens detracta, quaſi glutii adoleſcebant. *Cariſius lib. 1. Servius.*

Avidior modo properandi factus. *Aruſiant*

Conſilii æger. *Idem.*

Reverſi poſtero die, multa, quæ properant deſeruerant in caſtris, nacti, cum ſe ibi cibo, v noque læti invitarent. *Nonius, Invitare eſt r pleri.*

Atque hiavit humus multa, vaſta & profunc *Idem, Hiare aperire.*

Rurſus jumenta nacti ad oppidum ire conte dunt. *Nonius.*

Vbi ſe laniata navigia fundo emergunt. *Ar ſianus.*

Tum vero Bithyni propinquantes jam amne Tartanium. *Idem.*

Eos qui hoc malum publicum clandeſtinis co ſiliis comparaverunt. *Nonius.*

In quîs notiſſumus quiſque, aut malo depe dens verberabatur, aut immutilato corpore i probi patibulo eminens affigebatur. *Idem, Pa bulum eſt crux.*

Ad Siciliam vergens faucibus, non amplius p tet millibus v. & xxx. *Meſſus.*

Clauſi lateribus pedem. *Idem.*

Naphthas. *Probus Catholicis.*

FRAGME-

FRAGMENTA
LIB. V.
HISTORIARVM.

AT Lucullus, audito Q. Marcium Regem pro conſule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere. *Priſcianus lib.* XVIII.

Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam, & Pontum conſuli datam: miſſos eſſe. *Idem ibidem.*

Regem averſabatur. *Aruſianus.*

Ceteri negotia ſequebantur familiaria legatorum, aut tribunorum; & pars ſua commeatibus mercatis. *Nonius.*

Et uxori ejus frater erat. *Aruſianus.*

Sæpe celebritatem nominis intellego timentem. *Priſcianus. lib.* XVIII.

Video ingentia dona quæſitum ire properantem. *Idem ibidem.*

Nam ſi Pompeio quid humani eveniſſet. *Aruſianus.*

Quibus de cauſſis Sullam in victoria dictatorem, equo deſcendere, ſibi uni aſſurgere de ſella, caput aperire ſolitum. *Nonius. Aruſianus. Servius.*

C. SALLVSTII CRISPI FRAGMENTA

Incertorum librorum.

NE inrumiendi po...... ſublicibus cavata........ ſent. *Feſtus.*

Cujus duas inſulas propinquas inter ſe, & decem ſtadium procul à Gadibus ſitas, conſtabat ſuopte ingenio alimenta mortalibus gignere. *Nonius.*

Serum bellum in anguſtiis futurum. *Iunius Philarg. ad Georg. Virgilii.*

Illi tertio menſe pervenere in Pontum multo celerius ſpe Mithridatis. *Aruſianus.*

Ergo ſenati decreto ſerviundum ne ſit. *Donatus act.* II. *ſc.* II.

Pompeius oris improbi, animoque inverecundo. *Suetonius de claris gram.cap.* XIV.

Simulans ſibi alvum purgari. *Iſidorus lib.* XI. *in voce Alvus. Serv. ad lib.* III. *Æneid.*

Fecit ut nunciis confeſtim lugubribus. *Chariſius lib.* II.

Communem habitum tranſgreſſus. *Priſcianus lib.* XIV.

Inter arma civilia æqui boni famam petit. *Seneca lib.* XX. *epiſt.* CXV.

Haud impigre, neque inultus occiditur. *Donatus ad And. Terentii act.* I. *ſc.* II.

Feſtinantibus in ſumma inopia patribus. *Idem ad Eunuch. act.* IV. *ſc.* III.

Hoſte

Hoſtes oppreſſi, aut delapſi forent. *Iſidorus lib.* XVIII.

Exercitum argento fecit. *Seneca lib.* XX. *epiſtol.* CXV.

Togam paludamento mutavit. *Iſidorus lib.* XIX. *Servius.*

Hiero rex Syracuſanorum bellum fecit. *Seneca.*

Ibi triennio fruſtra trito. *Servius ad* IV. *Æneidos.*

Oratio C. Cottæ Conſulis ad Populum.

Quirites, multa mihi pericula domi, militiæ multa advorſa fuere; quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis, & virtute mea: in quîs omnibus, neque animus negotio defuit; neque decretis labos. Malæ, ſecundæque res, opes non ingenium mihi mutabant. At contra in his miſeriis cuncta me cum fortuna deſeruere. Præterea ſenectus, per ſe gravis, curam duplicat: cui miſero, ſenecta jam ætate, ne mortem quidem honeſtam ſperare licet. Nam, ſi parricida veſtri ſum, & bis genitus hîc deos Penates meos, patriamque, & ſummum imperium vilia habeo: quis mihi vivo cruciatus ſatis eſt, aut quæ pœna mortuo? cum omnia memorata apud inferos ſupplicia ſcelere meo vici. A prima adoleſcentia in ore veſtro, privatus, & in magiſtratibus egi: qui lingua, qui conſilio meo, qui pecunia voluere, uſi ſunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciendum exercui: avidiſſumus privatæ gratiæ maxumas inimicitias pro republica ſuſcepi; qui victus cum illa ſimul, cùm egens alienæ opis, plura mala exſpectarem; vos, Quirites, rurſus mihi patriam, deos Penates, cum ingenti dignitate dediſtis. Pro quibus beneficiis, vix ſatis gratus videar, ſi ſingulis animam, quam

nequeo, conceſſerim. Nam vita & mors jura naturæ ſunt: uti ſine dedecore cum civibus, fama & fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Conſules nos feciſtis, Quirites, domi, bellique impeditiſſuma rep. Namque Imperatores Hiſpaniæ ſtipendium, milites, arma, frumentum poſcunt: & id res cogit: quoniam poſt defectionem ſociorum, & Sertorii per montis fugam, nec manu certare poſſunt, neque utilia parare. Exercitus in Aſia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hoſtium eſt: nec minus Italiæ marituma, & provinciarum: cùm interim vectigalia parva, & bellis incerta, vix partem ſumtuum ſuſtinent: ita claſſe, qua commeatus vehebatur, minore quam antea navigamus. Hæc ſi dolo aut ſocordia noſtra contracta ſunt, agite & uti lubet ita ſupplicium ſumite: ſin communis fortuna aſperior eſt, quare indigna vobis, nobisque, & rep. incipitis? Atque ego, cujus ætati mors propior eſt, non deprecor, ſi quid vobis incommodi demitur: neque mox ingenuo corpori honeſtius, quam pro veſtra ſalute finem vitæ fecerit. Ac... im en C. Cotta conſul, facio quod ſæpe majores aſperis bellis fecere; voveo, dedoque me pro rep. quam deinde cui mandetis circumſpicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, cum fortunæ, & pacis, & belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum ſit. Tantummodo in animis habetote, non me ob ſcelus aut avaritiam cæſum, ſed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dediſſe. Per vos igitur Quirites, & gloriam majorum, tolerate advorſa & conſulite reip. Multa cura ſummo imperio ineſt, multi ingentes labores: quos nequicquam abnuitis, & pacis opulentiam quæritis: cum om-

r

nes provinciæ, regna, maria, terræque aſpera, aut feſſa bellis ſint.

Germani intectum renonibus corpus tegunt. *Iſidorus.*

Vnde pons in oppidum pertinens explicatur. *Aruſianus.*

Et ei voce magna vehementer gratulabantur. *Donatus.*

Et Marius victus duplicaverat bellum. *Servius.*

Atque eos à tergo incurrerunt. *Rufinianus.*

In hunc modum diſſeruit. *Priſcianus.*

Inde ortus ſermo percunctantibus utrimque, Satin ſalvæ, quàm grati ducibus ſuis, quantis familiaribus copiis augerentur. *Donatus.*

Fugam noſtris fecere. *Seneca.*

Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. *Idem.*

Quo cupidius in ore ducis ſeſe quiſque bonum, & ſtrenuum oſtentantes. *Iſidorus. Servius* x.

Ventis per cava terræ citatis, rupti aliquot montes, tumulique ſedere. *Iſidorus. Servius.*

Vbi multa nefande caſu ſuper auſi, atque paſſi. *Priſcianus.*

Saguntium. *Cariſius.*

Tota autem inſula modica, & cultoribus inanis eſt. *Martianus.*

Immodicus animi. *Aruſianus.*

Pugnam illâ pro omine belli futuram. *Servius.*

Tantum antiquitatis, curæque majoribus pro Italica gente fuit. *Idem.*

Opprobrii gratia. *Agrætius.*

Maxumis ducibus, fortibus ſtrenuiſque miniſtris. *Diomedes lib.* I I.

Non repugnantibus modo, ſed ne deditis quidem. A.B.C.M. *Donatus.*

In ſilva Sila fuerunt. *Servius.*

In nuda injecta corpora. *Diomedes.*

Apollinis filia & Cyrenes. *Probus.*

Ne ſimplici quidem morte moriebantur. *Servius.*

Cum prædixero poſitum inſulæ. *Donatus.*

Cujus adverſa voluntate, colloquio militibus permiſſo corruptio facta paucorum, & exercitus Sullæ datus eſt. *Idem.*

A Gracco ſeditiones graves ortæ. *Auguſtinus.*

M. Atilius Palicanus humili loco, Picens, loquax magis, quam facundus. *Quintilianus lib.* IV. *cap.* II.

Inſolens vera accipiundi. *Donatus.*

Quæ pecunia ad Hiſpanienſe bellum Metello facta erat. *Idem.*

Curubis. *Probis.*

Tharros. *Idem.*

Camiſos. *Idem.*

Luces. *Sergius.*

Primam modo Iapydiam ingreſſus. *Servius.*

Carbo turpi formidine Italiam, atque exercitum deſeruit. *Idem.*

Quæ pacta in conventione non præſtitiſſent. *Donatus.*

Crebritate fluctuum ut Aquilo ſolet. *Servius.*

Mithridates corpore ingenti perinde armatus. *Quintilianus lib.* VIII. *cap.* III.

Tyrannumque, & Cinnam appellantes. *Victorinus. Servius.*

Nomenque Danubium habet. *Acron.*

Cui niſi pariter obviam iretur. *Donatus.*

Septimium, neque animo, neque lingua ſatis compotem. *Idem.*

Vulgus amat fieri. *Quintilianus.*

Non

Non pæniturum. *Quintilianus.*

Pompeius cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuiſſet par eſſe Sertorio, niſi ſe, & milites frequentibus exercitiis præparaviſſet ad prœlia. *Vegetius lib.* 1. *cap.* IX. *Iohan. Saresb.*

Cicero caninam facundiam, ut Appius inquit, exercuit. *Lactantius.*

Primus Græcorum Achilles. *Servius.*

Cupientiſſumus legis. *Diomedes.*

Magna gloria tribunus militum in Hiſpania T. Didio imperante, magno uſu bello Marſico, paratu militum, & armorum fuit. Multaque tum ductu ejus curata, primo per ignobilitatem, deinde per invidiam ſcriptorum celebrata ſunt. Cominus faciem ſuam oſtentabat, aliquot advorſis cicatricibus, & effoſſo oculo. Quo ille dehoneſtamento corporis maxume lætabatur: neque illis anxius, quia reliqua glorioſius retinebat. *Agellius.*

Curetes quia principes intellegendi divina fuerunt, vetuſtatem uti cetera in majus componentem altores Iovis celebraviſſe: inde Rhegium nominatum. *Lactantius & Iſidorus.*

Italiam conjunctam Siciliæ conſtat fuiſſe: ſed medium ſpatium aut per humilitatem obrutum eſt aquis, aut propter anguſtiam ſciſſum. *Iſidorus.*

Pompeius devictis Hiſpanis trophæa in Pyrenæis jugis conſtituit. *Servius.*

Atque edita undique tribus tamen cum muris, & magnis turribus. *Donatus.*

Et in prœliis actu promtus. *Idem.*

Pactione amiſſo Publio legato. *Idem.*

Ipſum Mare Ponticum dulcius quàm cetera. *Servius. Priſcianus. Macrobius.*

Equis paria operimenta erant: quæ lintea fer-

 reis

reis laminis in modum plumæ adnexuerant. *Se vius.*

Rebus ſupra votum fluentibus. *Idem.*

Ænum, & Maroneam, & viam militarer *Idem.*

Impediebant juſſa nautarum. *Idem.*

Nihil ſocordia claudebat. *Donatus.*

Vt tanta repente mutatio non ſine deo videatur. *Idem.*

In ore gentibus agens, populo, civitati. *Idem*

Preſſi undique multitudine. *Idem.*

Hunc igitur redarguit Tarquitius. *Idem.*

Dein campi Themyſcirii; quos habuere Amazones à Thanai flumine incertum quamobrei digreſſæ. *Servius.*

Vbi eum tota concione ab exercitu cogit diſcedere, dicit ſe ejus opera non uſurum; eumque a armis dimittit. *Idem.*

Et Metello procul agente longa ſpes auxiliorum. *Idem.*

More equeſtris prælii ſumtis tergis atque redditis & egreſſi ad faciliores ictus loco cedebant *Idem.*

Caſtra ſine vulnere introitum. *Idem.*

Multos tamen ab adoleſcentia bonos inſultavit *Idem, & Donatus.*

Coſa. *Servius.*

Equis, atque armis inſignibus. *Idem.*

Feſſus in Pamphyliam ſe receperat. *Idem.*

Profectus quidam Ligus ad requiſita naturæ. *Quintilianus.*

Apud latera certos collocaverat. *Servius.*

Apertæ portæ, repleta arva cultoribus. *Idem.*

Hiſpaniam ſibi antiquam patriam eſſe. *Idem.*

Lyciæ, Piſidiæque agros deſpectantem. *Idem.*

Sorte

Sorte ductos fuſti necat. *Idem.*

Omnis Italia coacta in anguſtias ſcinditur in ſuo promontoria, Bruttium, & Salentinum. *Idem.*

Italia plana ac mollis. *Idem.*

Qua tempeſtate ex Ponto vis piſcium erupit. *Idem, & Scholiaſtes Iuvenalis.*

Introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt, multis antea nominibus appellata. Ipſa enim eſt & major Phrygia. *Servius.*

Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingreſſus, matre veneno interfecta. *Idem.*

Exercitum vertere. *Idem.*

Creta altior eſt qua parte ſpectat Orientem, *Idem.*

Se regibus devovent, & poſt eos vitam refutant: adeo illis ingenita eſt ſanctitas regii nominis. *Idem, & Philargyrius.*

Dum inferior omni via graſſaretur. *Iohannes Grammat.*

Narbone concilia Gallorum. *Pompeius in artem Donati.*

Poſt defectionem ſociorum & Latii. *Donatus.*

Ad Iovis mandem noſtra. *Idem.*

Morbi graves ob inediam inſolita veſcentibus. *Idem.*

Atque ea cogentes non coactos ſceleſtos magis quàm miſeros diſtringi. *Idem.*

Graviori bello, quo prohibituri venerant ſocii, frigere. *Idem.*

Nam quidem Pyrrho, Hannibali, æquor & terra. *Idem.*

Nam Sullæ dominationem audebat. *Idem.*

Neque eſt defenſus dominationum Sullæ. *Idem.*

Neu quis miles neve pro milite. *Servius.*

Ex inſolentia avidus malefaciendi. *Idem.*

Tergis

Tergis vinciebant. *Idem.*

Charybdis quæ forte illata naufragia ſorbens gurgitibus occultis millia ſexaginta Tauromenitana ad litora trahit. *Idem.*

Saguntini fide atque ærumnis incluti per mortalium ſtudium majores quam opibus, quippe quîs etiam tum ſemiruta mænia, domus intectæ, parieteſque templorum ambuſti manus Punicas oſtentabant. *Hieronymus in Habacuc.*

Apud Corduennos amomum & alii leves odores gignuntur. *Philargyrius in* IV. *Georg. Virgil.*

Quem trans ſtagnum omnis uſque ad flumen. *Idem.*

Repentè incautos agros invaſit. *Idem.*

Belli ſane ſciens. *Acron.*

Namque omnium ferociſſumi ad hoc tempus Achæi atque Tauri ſunt, quod, quantum conjicio, locorum egeſtate rapto vivere coacti. *Gloſſæ Juvenalis.*

Atque ipſe cultus rei. *Acron.*

Triplici fluctu. *Servius Fuldanus.*

Charybdi mare vorticoſum. *Idem.*

Sed ubi tempore anni mare claſſibus patefactum eſt. *Idem.*

Sane bonus ea tempeſtate contra pericula & ambitionem. *Idem.*

Simul immanis hominum vis ex locis invaſere patentes, cum & pacis modo effuſas. *Idem.*

Genua patrum advolvuntur. *Idem.*

Perrexere in Hiſpaniam an Sardiniam. *Idem.*

Quæ mapalia ſunt circumjecta civitati, ſuburbana ædificia. *Idem.*

Et onere turrium incertis navibus. *Idem.*

Traditur fugam in longinqua Oceani agitaviſſe. *Idem.*

Ad

Ad mutandum modo in melius ſervitium. *Servius ad primum Æneidos.*

Magna vis hominum convenerat agris pulſa ut civitate ejecta. *Idem ibidem.*

Cum murum hoſtium ſucceſſiſſet pœnas deſerat. *Idem ad Eclogam quintam.*

Quippe vaſta Italia rapinis, fuga, cædibus. *Idem.*

Hi ſunt qui ſecundum pocula & alias res aureas diis ſacrata inſtrumenta convivo mereantur. * *Idem ad* VIII. *Æneidos.*

In ſecunda feſtinas cohortes compoſuerat. *Idem ad* IX.

Iam repente viſus ſævire Taguns. *Idem ad* X.

Exuant armis equisque. *Idem.*

Solas feſtinate. *Idem.*

Luſitaniæ gravem civitatem. *Idem.*

Ex parte cohortium præcipere inſtructa, & ſtationes locatæ pro caſtris. *Idem.*

Bellum quibus poſſet conditionibus deſineret. *Idem.*

In quis longiſſimo ævo plura de bonis falſa in deterius compoſuit. *Idem.*

Cultu corporis ornata egregio. *Idem.*

At Sertorius vacuus hieme augere copias. *Acro in Horatium.*

Sin vis obſiſtat, ferro quam fame æquius perituros. *Servius.*

Conſedit in valle virgulta nemoroſaque. *Idem.*

Paululum requietis militibus. *Idem.*

Qui nullo certo exilio vagabantur. *Idem.*

Nubes fœdavere lumen. *Idem.*

Sanctus alia. *Idem.*

Geronis. *Idem.*

Quæ cauſa fuerat novandis rebus. *Idem.*

Radi-

Radicem montis exceſſit. *Statii interpres.*

Vt res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris locaverant. *Idem.*

Incerta eſt fortitudo dum pendet. *Idem.*

In quibus plauſtra ſedes ſunt. *Acro ad Horatium.*

Luxo pede. *Probus.*

Maurique vanum genus, ut alia Africæ, contendebant Antipodas ultra Æthiopiam cultu Perſarum juſtos & egregios agere. *Priſcianus.*

Et Perpennam forte cognoſcit mulio redemtoris. *Acro in Horatium.*

Omnium fluminum quæ in maria qua imperium Romanum eſt fluunt, quam Græci τὴν εἴσω θάλασσαν appellant, maxumum eſſe Nilum conſentitur; proxuma magnitudine eſſe Hiſtrum ſcripſit Salluſtius. *Agell. lib.* 10. *cap.* VII.

Ex omnibus quæ tractavimus, Æbuti Liberalis, poteſt videri nihil tam neceſſarium, aut magis, ut ait Salluſtius, cum cura dicendum, quam quod in manibus eſt. *Seneca.*

Turbinum motus vagus eſt, & disjectus, & uti Salluſtii verbis utar, vorticoſus; cometarum autem, compoſitus, & certum iter carpens. *Idem.*

Salluſtius, auctor certiſſumus, aſſerit Tigrim, & Eufratem uno fonte manare in Armenia, qui per diverſa euntes longius dividantur, ſpatio medio relicto multorum millium; quæ tamen terra, quæ ab ipſis ambitur, Meſopotamia dicitur. *Idem.*

Pelorum promontorium Siciliæ reſpiciens aquilonem juxta Salluſtium dictum à gubernatore Hannibalis illic ſepulto, qui fuerat occiſus per ignorantiam regis, cùm ſe ejus dolo crederet eſſe deceptum. *Servius & Iſidorus.*

Ariſtæus,

Ariſtæus, uti Salluſtius docet, poſt laniatum à canibus Actæonem filium, matris inſtinctu Thebas reliquit, & Ceam inſulam tenuit, primo adhuc hominibus vacuam: poſtea, ea relicta, cum Dædalo in Sardiniam tranſivit, poſt delatus eſt Cumas. *Servius.*

Salluſtius duces laudat, qui victoriam incruento exercitu deportarunt. *Idem.*

Cares inſulani populi fuerunt, piraticam exercentes, famoſi, victi à Minoe, uti Salluſtius, & Thucydides tradunt. *Idem.*

A Troja Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alii Sardiniam, ſecundum Salluſtium, tenuerunt. *Idem.*

Dardania à Dardano Iovis & Electræ filio, aut ſecundum Salluſtium, à Mida Dardanorum rege, qui Phrygiam tenuit. *Idem.*

Salluſtius Scyllam ſaxum eſſe dicit ſimile formæ celebratæ procul viſentibus. *Idem.*

In Sicilia eſt Enceladus, Othus in Creta, ſecundum Salluſtium. *Idem.*

Salluſtius ait Hiſpanorum morem fuiſſe ut in bella euntibus juvenibus parentum facta memorentur à matribus. *Idem.*

Orion, juxta Salluſtium, oritur juxta ſolis æſtivi pulſum. *Idem.*

In Flaminia eſt civitas quæ Cale dicitur, & in Gallia hoc nomine, quam Salluſtius à Perpenna captam commemorat. *Idem.*

Getæ ſunt Myſii, quos Salluſtius à Lucullo dicit eſſe ſuperatos. *Idem.*

Trojanorum tempore invadendarum terrarum cauſſa fuerat navigatio, uti Salluſtius meminit. *Idē.*

Curribus falcatis uſos eſſe antiquos, Livius & Salluſtius docent. *Idem.*

Vices

Vices ſignificant pugnam, quia per viciſſitudinem pugnabatur, ut inquit Salluſtius. *Idem.*

Creta medio jacet inſula ponto, id eſt, ſecundum Salluſtium, procul à continenti. *Idem.*

Primo menſe veris dicitur novum ver, ſecundo ver adultum, tertio præceps: ſicut etiam Salluſtius dicit vbique, nova, æſtas, adulta, præceps. *Idem.*

Salluſtius in Hiſtoriis tradit Sertorium victum voluiſſe fugere ad inſulas fortunatas. *Acron.*

Inſulas furtunatas Salluſtius inclutas eſſe ait Homeri carminibus. *Servius.*

Proximum dicebant veteres, non ſolum adhærens, & adjunctum, verum etiam longe remotum, ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium exſtitiſſet. Virg. Æn. lib. v.

> *Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,*
> *Inſequitur Salius.* --

Ita & Salluſtius in SituPonti, de promontoriis Paphlagonium, & quod κρίου μέτωπον appellavit, poſuit. *Nonius.*

> *Interrogaſti ſi tenes, Mæotici*
> *Situs quis eſſet æquoris. Salluſtium*
> *Noram id dediſſe, dicta & ejus omnibus*
> *Præjudicata auctoritatis ducier,*
> *Non abnuebam.* Feſtus Avienus.

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum. In arcus ſimilitudinem. Sic de Ponto Salluſtius, unde hic tulit colorem, nam ſpeciem efficit Scythici arcus. *Servius ad* III. *Æneidos.*

> ——— *Freta lata relucent.*

Lata autem ideo, quia ſe anguſtiæ Pontici oris illic dilatant, uti dicit Salluſtius. *Servius.*

Teïa autem dicta eſt à Teïo Anacreontis Poetæ Ly-

Lyrici oppido, quod in Paphlagonia eſſe Salſtius indicat, cum de ſitu Pontico loquitur. *mment. in Horatium.*

Porro Salluſtius auctor certiſſimus aſſerit tam ygris, quam Euphratis in Armenia fontes deonſtrari. *Hieronym. de locis Heb.*

Cum multi evaſerint Trojanum periculum, ti Capys, qui Campaniam tenuit; ut Helenus, ui ut alii Sardiniam, ſecundum Salluſtium. *Serius.*

Salluſtianus Calpurnius. *Hieronym. adverſ. Ruf.*

Calpurniani diſcipuli. *Idem ibidem.*

Tamen vulgata jam res eſt gentilium proprieatum. Comici Phrygas timidos illudunt. Sallutius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulſat. *Tertull. de anima.*

Sarcaſmus Chlevaſmo proxima eſt, & ſimilis igura, qua adverſariorum facta, cum exacerbaione admiſſi eorum laceſſimus. Vt apud Sallutium de Syllæ crudelitate. Vt in M. Mario cum fracta prius crura per artus expiraret. *Iul. Rufinianus de ſchematis lexeos.*

Meſopotameni homines effrenatæ libidinis ſunt, ut Salluſtius meminit in utroque ſexu. *Gloſſa in Iuvenalem.*

Antonius ille trium Antoniorum corruptor, ille Salluſtius qui oræ maritumæ qua Romanum eſſet imperium contrarius piratis. Si omnes ſocios & maxime Græcos Aſiaticos ac Siculos fortunis omnibus ſpoliaverunt. *Eadem gloſſa.*

Σαλλουστίου δὲ θαυμάζω, τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους, λέγοντος. εἰ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκιπίωνος νικήσαντας Ἀντίοχον ᾤετο, μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομενῷ, καὶ περὶ Χαιρώνειαν

ρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένους, ἐγνωκέναι κάμηλον. Id eſt: Salluſtium demiror, qui autumat tum primum viſos Romanis Camelos, quod neque olim illos qui duce Scipione Antiochum devicerunt, neque hos qui ad Orchomenum & Chæroneiam certaverunt cum Archelao, noſſe putaverit Camelum. *Plutarchus.*

Σαλλούστιος μὲν οὖν φησι, χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου, πρὸς Κυζίκῳ, καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάραξι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας. Id eſt: Ac Salluſtius quidem fuiſſe milites jam inde à principio male ait in eum (Lucullum) animatos, quod ad Cyzicum, & iterum ad Amiſum duas hiemes eos in caſtris continuiſſet. *Idem.*

LECTORI.

HActenus Fragmenta florentiſſimi Rerum Romanarum ſcriptoris, quæ extare putamus. Cetera quæ ſequuntur, in MS. Servio legi auctor eſt V. Cl. Andreas Schottus: in optima tamen illa Honorati Editione à Petro Daniele IC. procurata non comparent: corruptiſſima ſunt; & medicinam contulit V. N. Ianus Douſa. Quem vide in Fragmenta Salluſtii.

* m or Trequii præter s r ciem neceſſariam haud multo ſecus quam ferro noceri poterat. At Varinius dum hæc aguntur à fugitivis ægra parte mili-

militum autumni gravitate, neque ex poſtrema fuga, cum ſevero edicto juberentur ullis ad ſigna redeuntibus, & qui reliqui erant per ſumma flagitia detrectantibus militiam Quæſtorem ſuum C. Thoranium ex quo præſente vera facilime noſcerent. * * * commiſerant, & tamen interim quum volentibus numero quatuor.

* ingre, tante ſetui debactlttur, nefandum in modum perverſo vulnere & interdum lacerum corpus ſemianimum omittentes, alii in tecta jaciebant ignes, multique ex loco ſervi quos ingenium ſocios dabat, abdita à dominis aut ipſos trahebant ex occulto, neque ſanctum aut nefandum quicquam fuit iræ barbarorum, & ſervili ingenio: quæ Spartacus nequiens prohibere multis precibus cum oraret, celeritate * * * * nuntios.

Aliquot dies contra morem fiducia augeri noſtris cæpit, & promi lingua. Qua Varinius contra ſpectatam rem incaute motus novos incognitosque & aliorum caſibus perculſos milites, ducit tamen ad caſtra fugitivorum. Preſſo gradu ſilentes jam, neque tam magnifice ſumentes prælium quam poſtulaverant. Atque illi certamini conſcii inter ſe juxta ſeditionem erant. Crixo & gentis ejuſdem Gallis atque Germanis obviam ire & ultro offerre pugnam cupientibus contra Spartacum.

ORA-

ORATIONES DVÆ AD C. CÆSAREM, SALLVSTIO ADSCRIPTAE.

ORATIO I.

AD C. CÆSAREM DE REPVBLICA ORDINANDA.

POPVLVS R. antea obtinebat, regna, atq; imperia, fortunam dono dare, item alia, quæ per mortalis avide cupiuntur: quia & apud indignos ſæpe erant, quaſi per lubidinem data; neque cuiquam incorrupta permanſerant. Sed res docuit id verum eſſe, quod in carminibus Appius ait, Fabrum eſſe ſuæ quemque fortunæ: atque in te maxume, qui tantum alios prætergreſſus es, uti prius defeſſi ſint homines laudando facta tua, quàm tu laude digna faciundo. Ceterum uti fabricata, ſic virtute parta, quam magna iuduſtria haberi decet: ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit: & quamvis bonus atque clemens ſit, qui plus poteſt; tamen, quia malo eſſe licet, formidatur. Id evenit, quia plerique rerum potentes perverſe conſulunt: & eo ſe munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet; cum ipſe bonus, atque ſtrenuus ſis, uti quamoptumis imperites. Nam peſſumus quiſque aſperrime rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius eſt, quàm ante te omnibus, armis parta

parta componere. Bellum aliorum pace mollius geſſiſti: ad hoc victores prædam petunt, victi cives ſunt. Inter has difficultates evadendum eſt tibi; atque in poſterum firmanda reſp. non armis modo, neque adverſum hoſtes, ſed, quod multo majus, multoque aſperius eſt, bonis pacis artibus. Ergo omnes magna mediocrique ſapientia res huc vocat: quæ quiſque optima poteſt, uti dicat. Ac mihi ſic videtur; qualicumque modo tu victoriam compoſueris, ita alia omnia futura. Sed jam, quo melius, faciliuſque conſtituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, Imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiæ, majore fortuna, quàm ſapientia: quem ſecuti ſunt pauci, per ſuam injuriam tibi inimici: item quos affinitas, aut alia neceſſitudo, traxit. Nam particeps dominationis neq; fuit quiſquam; neque, ſi pati potuiſſet, orbis terrarum bello concuſſus foret. Cetera multitudo vulgi, more magis quàm judicio, poſt alius alium, quaſi prudentiorem, ſecuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupandæ reip. in ſpem adducti homines, quibus omnia probro, ac luxuria polluta erant, concurrere in caſtra tua: & aperte quietis mortem, rapinas, poſtremo omnia, quæ corruptus animus jubebat, minitari. Ex quîs magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus, ſicuti hoſtibus, uti vident; defluxere: pauci reſtitere, quibus majus otium in caſtris, quàm Romæ, futurum erat: tanta vis creditorum impendebat. Sed ob eaſdem cauſſas, immane dictu eſt, quanti, & quam multi mortales poſtea ad Pompeium diſceſſerint: eoque per omne tempus belli quaſi ſacro, atque inſpoliato fano debitores uſi. Igitur, quoniam tibi victori de bello, atque pace,

agitan-

agitandum eſt; hoc uti civiliter deponas, illa u quamjuſtiſſima, & diuturna ſit: de te ipſo pri mum, quia compoſiturus es, quod optimum ſa ctu eſt, exiſtima. Equidem ego cuncta imperi crudelia, magis acerba, quàm diuturna, arbitror neque quemquam à multis metuendum eſſe, qui ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bel lum æternum atque anceps gerere: quoniam ne que adverſus, neque ab tergo, aut lateribus tutu ſis, ſemper in periculo, aut metu agites. Contr qui benignitate, & clementia, imperium tempe ravere, his læta & candida omnia viſa; etiam ho ſtes æquiores, quam aliis cives. An qui me hi dictis corruptorem victoriæ tuæ, nimiſque in vi ctos bona voluntate prædicent? ſcilicet quod ea quæ externis nationibus, natura hoſtibus, noſqu majoreſque noſtri ſæpe tribuere, ea civibus dand arbitror; neque barbaro ritu cæde cædem, & ſan guine ſanguinem expiandum. An illa, quæ paull ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamqu Syllanam increpabantur, oblivio abſtulit? interfe cit Domitium, Carbonem, Brutum, alios iten non armatos, neque in prœlio belli jure, ſed poſ ea ſupplices per ſummum ſcelus interfectos: ple bem Romanam in villa publica pecoris modo con ſciſſam. Heu quam illa occulta civium funera, & repentinæ cædes in parentum, aut liberorum ſi num, fuga mulierum, & puerorum, vaſtatio do morum: ante partam à te victoriam omnia ſæva atque crudelia erant. Ad quæ te illi iidem hor tantur: & ſcilicet id certatum eſſe utriuſque ve ſtrum arbitrio, injuriæ uti fierent: neque rece ptam, ſed captam, à te remp. & ea cauſſa exerci tus ſtipendiis confectis, optimos, & veterrimo omnium, adverſum fratres, parenteſque, alii li bero

beros armis contendere; ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri, atque profundæ libidini ſumtus quærerent; atque eſſent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quiſque eorum more, aut modeſtia, etiam tum dubia victoria, ſeſe geſſerit; quoque modo in belli adminiſtratione ſcorta, aut convivia, exercuerint nonnulli; quorum ætas ne per otium quidem tales voluptates ſine dedecore attigerit. De bello ſatis dictum. De pace firmanda quoniam tuque, & omnes tui agitatis: primum id, quæſo, conſidera, quale id ſit, de quo conſultas: ita, bonis, maliſque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego ſic exiſtumo; quoniam orta omnia intereunt, qua tempeſtate urbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conſerturos: ita defeſſos, & exſangues regi, aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere, aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur ſunt concordiæ bona, & diſcordiæ mala expellenda. Id ita eveniet, ſi ſumtuum, & rapinarum licentiam demſeris; non ad vetera inſtituta revocans, quæ, jam pridem corruptis moribus, ludibrio ſunt; ſed ſi ſuam cuique rem familiarem, & finem ſumtuum ſtatueris: quoniam is inceſſit mos, ut homines adoleſcentuli, ſua, atque aliena conſumere, nihil lubidini, atque aliis rogantibus denegare, pulcherrumum putent; eam virtutem, & magnitudinem animi, pudorem, atque modeſtiam pro ſocordia æſtiment. Ergo animus ferox, prava via ingreſſus, ubi conſueta non ſuppetunt, fertur accenſus in ſocios modò, modò in cives: movet compoſita, & res novas veteribus acquirit.

rit. Quare tollendus fenerator in poſterum; ui ſuas quiſque res curemus: ea vera, atque ſimple via eſt, magiſtratum populo, non creditori, gere re; & magnitudinem animi in addendo, non de mendo reip. oſtendere. Atque ego ſcio, quàn aſpera hæc res in principio futura ſit, præſertin iis, qui ſe in victoria licentius liberiuſque, quàn artius, futuros credebant; quorum ſi ſaluti potius quàm lubidini, conſules; illoſque noſque & ſocio in pace firma conſtitues. Si eadem ſtudia, arteſ que juventuti erunt: næ iſta egregia tua fama ſi mul cum urbe Roma brevi concidet. Poſtrem ſapientes pacis cauſſâ bellum gerunt, laborem ſp otii ſuſtentant. Niſi illam firmam efficis, vinci, a viciſſe, quid retulit? Quare capeſſe per deos remp & omnia aſpera, uti ſoles, pervade. Namque au tu mederi potes; aut omittenda eſt cura omni bus. Neque quiſquam te ad crudeles pœnas, au acerba judicia, invocat, quibus civitas vaſtatu magis, quàm corrigitur; ſed uti pravas artes, ma laſque lubidines, ab juventute prohibeas. Ea ver clementia erit, conſuluiſſe, ne immerito cives pa tria expellerentur; retinuiſſe ab ſtultitia, & falſi voluptatibus; pacem concordiamque ſtabiliviſſe non, ſi, flagitiis obſecutus, delicta perpeſſus, præ ſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maxu me erectus eſt, negotii magnitudine: & quia tib terræ, & maria ſimul omnia componenda ſunt (quippe res parvas tantum ingenium attingere ne quit) magnæ curæ magna merces eſt. Igitur pro videas oportet, uti plebes, largitionibus, & pu blico frumento, corrupta, habeat negotia ſua quibus ab malo publico detineatur: juventus pro bitati, & induſtriæ, non ſumtibus, neque divitiis, ſtudeat.

ſtudeat. Id ita eveniet, ſi pecuniæ, quæ maxuma omnium pernicies eſt, uſum, atque decus demſeris. Nam ſæpe ego cum animo meo reputans, quibus quiſque rebus clariſſumi viri magnitudinem inveniſſent; quæ res populos, nationesve magnis auctoribus auxiſſent; ac deinde quibus cauſſis ampliſſuma regna, & imperia, corruiſſent: eadem ſemper bona, atq; mala reperiebam, omneſque victores divitias contemſiſſe, & victos cupiviſſe. Neque aliter quiſquam extollere ſeſe, & divina mortalis attingere poteſt, niſi, omiſſis pecuniæ, & corporis gaudiis, animo indulgens, non aſſentando, neque concupita præbendo, perverſam gratiam gratificans; ſed in labore, patientia, boniſque præceptis, & factis fortibus exercitando. Nam domum, aut villam exſtruere, eamque ſignis, aulæis, aliiſque operibus exornare, & omnia potius, quàm ſemet, viſendum efficere; id eſt non divitias decori habere, ſed ipſum illis flagitio eſſe. Porrò ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt; ubi animum, quem dominari decebat, ſervitio oppreſſere, nequaquam eo poſtea hebeti, atque claudo pro exercitio uti volunt. Nam imprudentia pleraque, & ſe præcipitant. Verum hæc, & omnia mala pariter cum honore pecuniæ deſinent, ſi neque magiſtratibus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc providendum eſt, quonam modo Italia, atque provinciæ tutiores ſint: id quod factu haud obſcurum eſt. Nam iidem omnia vaſtant, ſuas deſerendo domos, & per injuriam alienas occupando. Item ne, ut adhuc, militia injuſta, aut inæqualis ſit: cum alii triginta, pars nullum ſtipendium faciet: & frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuit, per municipia,

cipia, & colonias illis dare conveniet, cùm ſtipendiis emeritis domos reverterint. Quæ reipublicæ neceſſaria, tibique glorioſa ratus ſum, quam pauciſſumis abſolvi. Non pejus videtur pauca nunc de facto meo diſſerere. Plerique mortales ad judicandum ſatis ingenii habent, aut ſimulant: veruntamen ad reprehendenda aliena facta, aut dicta ardet omnibus animus; vix ſatis apertum os, aut lingua promta videtur, quæ meditata pectore evolvat: quibus me ſubjectum haud pænitet, magis reticuiſſe pigeret. Nam ſive hac, ſeu meliore alia via perges; à me quidem pro virili parte dictum, & adjutum fuerit. Reliquum eſt, optare, uti, quæ tibi placuerint, ea dii immortales approbent, beneque evenire ſinant.

AD C. CÆSAREM
DE REPVBL. ORDINANDA,
ORATIO II.

SCIO ego, quam difficile, atque aſperum factu ſit, conſilium dare regi, aut imperatori; poſtremo cuiquam mortali, cujus opes in excelſo ſunt: quippe cum & illis conſultorum copiæ adſint; neq; de futuro quiſquã ſatis callidus, ſatiſq; prudens ſit. Quinetiam ſæpe prava magis, quam bona conſilia proſperè eveniunt: quia pleraſque res fortuna ex lubidine ſua agitat. Sed mihi ſtudium fuit adoleſcentulo rempublicam capeſſere: atque in ea cognoſcenda multam, magnamque curam habui: non ita, uti magiſtratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant. ſed etiam

etiam uti rempublicam domi, militiæque, quantumque armis, viris, opulentia poſſet, cognitum haberem. Itaque mihi multa cum animo agitanti conſilium fuit, famam, modeſtiamque meam poſt tuam dignitatem habere, & cujus rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriæ accederet. Idque non temere, aut ex fortuna tua, decrevi; ſed quia in te, præter ceteras, artem unam egregiè mirabilem comperi, ſemper tibi majorem in adverſis, quàm in ſecundis, rebus animum eſſe. Sed per ceteros mortales illa res clarior eſt, quòd & prius defeſſi ſint homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quàm tu faciendo, quæ gloria digna eſſent. Equidem mihi decretum eſt, nihil tam ex alto reperiri poſſe, quod non cogitanti tibi in promtu ſit. Neque ego, quæ viſa ſunt, de rep. tibi ſcripſi, quia mihi conſilium, atque ingenium meum amplius æquo probaretur: ſed inter labores militiæ, interque prœlia, victorias, imperium, ſtatui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi ſi id modo in pectore conſilii eſt, uti te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra adverſum conſulem beneficia populi retineas: indigna virtute tua cogites. ſin in te ille animus eſt, qui jam à principio nobilitatis factionem diſturbavit; plebem Rom. ex gravi ſervitute in libertatem reſtituit; in prætura inimicorum arma inermis disjecit; domi militiæque tanta, & tam præclara facinora fecit, uti ne inimici quidem queri quidquam audeant, niſi de magnitudine tua: quin accipe tu ea, quæ dicam de ſumma reipub. quæ profectò aut tu vera invenies, aut certe haud procul à vero. Sed quoniam Cn. Pompeius aut animi pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod tibi obeſſet, ita lapſus eſt, ut hoſtibus

tela in manus jaceret: quibus ille rebus remp. cor
turbavit, eiſdem ſibi reſtituenda eſt. Primur
omnium, ſummam poteſtatem moderandi, d
vectigalibus, ſumtibus, judiciis, ſenatoribus pau
cis tradidit; plebem Romanam, cujus antea ſum
ma poteſtas erat, noſque his quidem legibus i
ſervitute reliquit. Iudicia, tametſi, ſicut antea, tr
bus ordinibus tradita ſunt; tamen iidem illi fa
ctioſi regunt, dant, adimunt, quæ lubet: innocer
tes circumveniunt: ſuos ad honorem extollun
Non facinus, non probrum, aut flagitium obſta
quo minus magiſtratus capiant: quod commodu
eſt, trahunt, rapiunt: poſtremo, tamquam urb
capta, lubidine, ac licentia ſua, pro legibus utuntu
Ac me quidem mediocris dolor angeret, ſi virtu
te partâ victoriam more ſuo per ſervitium exe
cerent. Sed homines inertiſſumi, quorum omn
vis, virtuſque in lingua ſita eſt, forte, atque alteri
ſocordia dominationem oblatam inſolentes ag
tant. Nam, quæ ſeditio, ac diſſenſio civilis to
tamque illuſtres familias ab ſtirpe evertit? aut quo
rum umquam victoria animus tam præceps, tam
que immoderatus fuit? L. Sulla, cui omnia in v
ctoria lege belli licuerunt, tametſi à Sulpicio ho
ſtium partes muniri intellegebat; tamen, pauc
interfectis, ceteros beneficio, quàm metu, ret
nere maluit. At hercule nunc cum Catone, L. Do
mitio, ceteriſque eiſdem factionis, quadraginta ſe
natores, multi præterea cum ſpe bona adoleſcer
tes, ſicuti hoſtiæ, mactati ſunt: cum interea op
portuniſſuma genera hominum tot miſeroru
civium ſanguine ſatiari nequiverunt: non orbi l
beri, non parentes exacta ætate, non gemitus v
rorum, luctus mulierum immanem eorum an
mum inflexit: quin, acerbius in dies male facien
do, a

do, ac dicundo, dignitate alios, alios civitate everſum irent. Nam, quid ego de te dicam, cujus contumeliam homines ignaviſſumi vita ſua commutare volunt? ſcilicet neque illis tantæ voluptati eſt (tametſi inſperantibus accidit) dominatio, quanto mærori tua dignitas: qui optatius habent, ex tua calamitate periculum libertatis facere, quàm per te populi R. imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo proſpiciendum eſt, quonam modo rem ſtabilias, communiaſque. Mihi quidem quæ mens ſuppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tui erit ingenii probare, quæ vera, atque utilia factu putes. In duas partes ego civitatem diviſam arbitror, ſicut à majoribus accepi, in patres, & plebem. Antea in patribus ſumma auctoritas erat, vis multo maxuma in plebe. Itaq; ſæpius in civitate ſeceſſio fuit: ſemperque nobilitatis opes deminutæ ſunt, & jus populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat; quia nullius potentia ſuper leges erat; neque divitiis, aut ſuperbia, ſed bona fama, factiſque fortibus nobilis ignobilem anteibat: humilimus quiſque in armis, aut militia, nullius honeſtæ rei egens, ſatis ſibi, ſatiſque patriæ, erat. Sed, ubi eos paullatim expulſos agris, inertia, atque inopia incertas domos habere ſubegit: cœpere alienas opes petere, libertatem ſuam cum republica venalem habere. Ita paullatim populus, qui dominus erat, & cunctis gentibus imperitabat, dilapſus eſt: & pro communi imperio, privatim ſibi quiſque ſervitutem peperit. Hæc igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artes, vitaſque varias diſpalata, nullo modo inter ſe congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capeſſendam rempub. Ceterum, additis novis ciuibus, magna

me ſpes tenet, fore, ut omnes expergiſcantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his ſervitutis amittendæ cura orietur. Hos ego cenſeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis conſtituas: ita & res militaris opulentior erit, & plebes bonis negotiis impedita malum publicum facere deſinet. Sed non inſcius, neque imprudens ſum, cum ea res agetur; quæ ſævitia, quæve tempeſtates hominum nobilium futuræ ſint, cum indignabuntur omnia funditus miſceri, antiquis civibus hanc ſervitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo, malum facinus in ſe committere, qui incommodo reip. gratiam ſibi conciliet. Vbi bonum publicum etiam privatim uſui eſt: id vero dubitare aggredi, ſocordiæ, atque ignaviæ duco. M. Livio Druſo ſemper conſilium fuit, in tribunatu ſumma ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, niſi illi auctores fierent homines factioſi, quibus dolus, atque malitia, fide cariora erant. Vbi intellexerunt, per unum hominem maxumum beneficium multis mortalibus dari: videlicet & ſibi quiſque conſcius, malo atque infido animo eſſe, de M. Livio Druſo juxta, ac de ſe, exiſtimaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam ſolus rerum potiretur, contra eam nixi, ſua ipſius conſilia diſturbaverunt. Quo tibi imperator majore cura fideque amici, & multa præſidia paranda ſunt. Hoſtem adverſum opprimere, ſtrenuo homini haud difficile eſt; occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promtu eſt. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris; quo-

niam quidem revocata plebes erit, in ea re maxume animum exercitato, uti colantur boni mores; concordia inter veteres, & novos coaleſcat. Sed multo maxumum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, poſtremo humanæ genti, pepereris, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris, aut, quoad res feret, minueris. Aliter neque privata res, neque publica, neque domi, neque militiæ, regi poteſt. Nam ubi cupido divitiarum invaſit; neque diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum ſatis pollet: quin animus magis, aut minus mature, poſtremo tamen ſuccumbit. Sæpe jam audivi, qui reges, quæ civitates, & nationes, per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutem inopes ceperant, id adeo haud mirandum eſt. Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum; magisque acceptum videt; primo æſtuat, multaque in pectore volvit: ſed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit; animus ad voluptatem à vero deficit. Quippe gloria induſtria alitur: ubi eam demſeris, ipſa per ſe virtus amara, atque aſpera eſt. Poſtremo ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem una, & ardua via eſt: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur: & malis, & bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniæ demito: neque de capite, neq; de honore ex copiis quiſquam magis, aut minus judicaverit; ſi neq; prætor neq; conſul, ex opulentia, verum ex dignitate, creetur. Sed de magiſtratu facile populi judicium ſit. Iudices à paucis probari, regnum eſt; ex pecunia legi, inhoneſtum. Quare omnes primæ claſſis judicare placet, ſed numero plures, quam judicant. Neque Rhodios, neque alias civitates umquam ſuorum

 judi-

judiciorum pænituit: ubi promiſcue dives, & pauper, uti cuique fors tulit, de maxumis rebus juxta, ac de minumis diſceptat. Sed de magiſtratibus creandis haud mihi quidem abſurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat; ut ex confuſis quinque claſſibus forte centuriæ vocarentur. Ita coæquati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit. nec ego magna remedia contra divitias ſtatuo. Nam perinde omnes res laudantur, atque appetuntur, ut earum rerum uſus eſt: malitia præmiis exercetur. Vbi ea demſeris, nemo omnium gratuito malus eſt. Ceterum avaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt: quo intendit, oppida, agros, fana, atque domos, vaſtat: divina cum humanis permiſcet: neque exercitus, neque mœnia obſtant, quo minus vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales ſpoliat. Verum, ſi pecuniæ decus ademeris; magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita ſeſe habere tametſi omnes æqui, atque iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum eſt: cujus ſi dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam hi, ſi virtute ſatis valerent, magis æmuli bonorum, quàm invidi, eſſent. Quia deſidia, & inertia, & ſtupor eos, atque torpedo, invaſit; ſtrepunt, obtrectant, alienam famam ſuum dedecus exiſtumant. Sed, quid ego plura, quaſi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo, atque animi vis, in conſulatum erupit: hebes lingua, magis malus, quam callidus ingenio. Quid ille audeat, cui conſulatus maxumum imperium maxumo dedecori fuit? An L. Domitii magna vis eſt, cujus nullum membrum à flagitio aut facinore vacat?

vacat? lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces; quæ honeſte nominari nequeant, inhoneſtiſſuma. Vnius tamen M. Catonis ingenium verſutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc diſciplina Græcorum. Sed virtus, vigilantia, labos, apud Græcos nulla ſunt. Quippe, cum domi libertatem ſuam per inertiam amiſerint; cenſesne eorum præceptis imperium haberi poſſe? Reliqui de factione ſunt inertiſſumi nobiles: in quibus, ſicut in ſtatua, præter nomen, nihil eſt additamenti. L. Poſtumius, & M. Favonius, mihi videntur quaſi magnæ navis ſupervacua onera eſſe, ubi ſalvi pervenire viſi ſunt: ſi quid adverſi coortum eſt, de illis potiſſumum jactura fit; quia pretii minumi ſunt. Quoniam nunc, uti mihi videor, de plebe renovanda, corrigendaque diſſerui: de ſenatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Poſtquam mihi ætas ingeniumque adolevit, haud ferme armis, atque equis, corpus exercui, ſed animum in litteris, quod natura firmus erat in laboribus, habui. Atque ego in ea vita multa legendo, atque audiendo ita comperi, omnia regna, civitates, nationes uſque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt: ubicumque gratia, timor, voluptas, ea corrupere; poſt paullo imminutæ opes, deinde ademtum imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo; cuicumque in ſua civitate amplior, illuſtriorque locus, quam aliis eſt, ei magnam curam eſſe reip. Nam ceteris, ſalva urbe, tantummodo libertas tuta eſt: qui per virtutem ſibi divitias, decus, honorem, pepererunt; ubi paullum inclinata reſp. agitari cœpit, multipliciter animus curis, atque laboribus fatigatur; aut gloriam, aut libertatem, aut rem fami-

liarem, defenſat: omnibus locis adeſt, feſtinat
quanto in ſecundis rebus florentior fuit, tanto i
adverſis aſperius, magisque anxiè agitat. Igitu
ubi plebes ſenatui, ſicuti corpus animo, obedi
ejusque conſilia conſequitur: patres conſilio va
lere decet, populo ſupervacanea eſt calliditas. Ita
que majores noſtri, cum bellis aſperrimis preme
rentur, equis, viris, pecunia amiſſa, nunquam de
feſſi ſunt armati de imperio certare. Non inopi
ærarii, non vis hoſtium, non adverſa res, ingen
tem eorum animum ſubegit, quin, quæ virtut
ceperant, ſimul cum anima retinerent. Atque e
magis fortibus conſiliis, quam bonis prœliis, pa
rata ſunt. Quippe apud illos una reſp. erat, ei con
ſulebant; factio contra hoſtes parabatur: corpu
atque ingenium, patriæ, non ſuæ quiſque poten
tiæ, exercitabat. At hoc tempore contra homine
nobiles, quorum animos ſocordia, atque ignavia
invaſit, ignari laboris, hoſtium, militiæ, dom
factione inſtructi, per ſuperbiam cunctis gentibu
moderantur. Itaque patres, quorum conſilio an-
tea dubia reſp. ſtabiliebatur, oppreſſi, ex alien
libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: in-
terdum alia, deinde alia, decernunt: ut eorum,
qui dominantur, ſimultas, ac arrogantia fert, ita
bonum, malumque publicum exiſtimant. Quod
ſi aut libertas æqua omnium, aut ſententia obſcu-
rior eſſet; majoribus opibus reſp. & minus po-
tens nobilitas eſſet. Sed quoniam coæquari gra-
tiam omnium difficile eſt; quippe cum illis majo-
rum virtus partam reliquerit gloriam, dignita-
tem, clientelas: cetera multitudo pleraque inſcia,
ſit ſententia eorum à metu libera. Ita occulto ſibi
quisque alterius potentia carior erit. Libertas jux-
ta bonis, & malis, ſtrenuis, & ignavis optabilis
eſt.

eſt. Verum eam plerique metu deſerunt, ſtultiſſimi mortales, quod in certamine dubium eſt, quorſum accidat, id per inertiam in ſe, quaſi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari poſſe ſenatum puto: ſi numero auctus per tabellam ſententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, & præſidii plus, & uſus amplior eſt. Nam fere, his tempeſtatibus, alii judiciis publicis, alii privatis ſuis atque amicorum negotiis implicati, haud ſane reip. conſiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio, quam ſuperba imperia diſtinuere. Homines nobiles cum paucis ſenatoriis, quos additamenta factionis habent, quæcumque libuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti libido tulit, fecere. Verum ubi, numero ſenatorum aucto, per tabellam ſententiæ dicentur; illi ſuperbiam ſuam dimittent, ubi iis obediendum erit, quibus antea crudeliſſime imperitabant. Forſitan, imperator, perlectis litteris decernes, quem numerum ſenatorum fieri placeat; quoque modo in multa, & varia officia diſtribuatur; & quonam judicia primæ claſſis mittenda putem, quæ deſcriptio, qui numerus in quoque genere futurus ſit. Ea mihi omnia generatim deſcribere haud difficile factu fuit: ſed prius laborandum viſum eſt de ſumma conſilii, idque tibi probandum verum eſſe. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in promtu erunt. Volo ego conſilium meum prudens, maximeque uſui eſſe. Nam ubicumque tibi res proſpere cedet, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocumque modo, & quamprimum reſp. adjuvetur. Libertatem gloria cariorem habeo; atque ego te oro, hortorque, ne clariſſumus imperator, Gallica

gente

gente ſubacta, populi R. ſummum atque invictum imperium tabeſcere vetuſtate, ac per ſummam diſcordiam dilabi, patiaris. Profecto, ſi id accidat, neque tibi nox, neque dies curam animi ſedaverit; quin inſomniis exercitus, furibundus, atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vitam divino numine inviſi: neque bonum, neque malum facinus cujuſquam pro nihilo haberi: ſed ex natura diverſa præmia bonos, maloſque ſequi. Interea forte ea tardius procedunt: ſuus cuique animus ex conſcientia ſpem præbet. Quod ſi tecum patria, atque parentes poſſent loqui, ſcilicet hæc tibi dicerent: O Cæſar, nos te genuimus fortiſſumi viri, in optuma urbe, decus, præſidiumque nobis, hoſtibus terrorem. Quæ multis laboribus, & periculis ceperamus, ea tibi naſcenti cum anima ſimul tradidimus, patriam maximam in terris; domum, familiamque in patria clariſſumam; præterea bonas artes, honeſtas divitias; poſtremo omnia honeſtamenta pacis, & præmia belli. Pro his ampliſſumis benificiis non flagitium à te, neque malum facinus, petimus; ſed uti libertatem everſam reſtituas. Qua re patrata, profecto per gentes omnes fama virtutis tuæ volitabit. Namque hac tempeſtate, tametſi domi, militiæque præclara facinora egiſti; tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis eſt: ſi vero urbem ampliſſumo nomine, & maxumo imperio, prope jam ab occaſu reſtitueris; quis te clarior, quis major, in terris fuerit? Quippe ſi morbo jam, aut fato huic imperio ſecus accidat: cui dubium eſt, quin per orbem terrarum vaſtitas, bella, cædes, oriantur? quod ſi tibi bona lubido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi; poſtero tempore,

rep.

rep. reſtituta, ſuper omnis mortalis gloria agnita, tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum fortuna, ſæpe invidia, fatigat: ubi anima naturæ ceſſit, demtis obtrectationibus ipſa te virtus magis magiſque extollit. Quæ mihi utilia factu viſa ſunt, quæque tibi uſui fore credidi, quam pauciſſumis potui, perſcripſi. Ceterum deos immortales obteſtor, uti, quocumque modo ages, ea res tibi, reique publicæ proſperè eveniat.

C. SALLVSTII CRISPI IN M. TVLLIVM CICERONEM DECLAMATIO.

GRAVITER, & iniquo animo, maledicta tua paterer, M. Tulli, ſi te ſcirem judicio magis, quàm morbo animi, petulantia iſta uti. Sed, quoniam in te neque modum, neque modeſtiam ullam animadverto, reſpondebo tibi: uti, ſi quam maledicendo voluptatem cepiſti, eam male audiendo amittas. Vbi querar? quos implorem, P.C. diripi remp. atque audaciſſumo cuique eſſe perfidiæ? an apud populum R. qui ita largitionibus corruptus eſt, uti ſeſe, ac fortunas ſuas, venales habeat? an apud vos, P.C. quorum auctoritas turpiſſumo cuique, & ſceleratiſſumo, ludibrio eſt? ubi M. Tullius leges, judicia populi R. defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quaſi unus reliquus ex familia viri clariſſumi, Scipionis Africani, ac non reptitius, accitus, ac paullo ante inſitus huic urbi civis. An vero,

M. Tulli,

M. Tulli, facta, ac dicta tua obſcura ſunt? an non ita à pueritia vixiſti, uti nihil flagitioſum corpori tuo putares, quod alteri collibuiſſet? Scilicet, iſtam immoderatam eloquentiam apud M. Piſonem non pudicitiæ jactura perdidiciſti? Itaque minime mirandum eſt, ſi eam flagitioſe venditas, quam turpiſſime paraſti. Verum, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos attollit; uxor ſacrilega, ac perjuriis delibuta; filia matris pellex, tibi jucundior, atque obſequentior, quàm parenti par eſt. Domum ipſam tuam vi, & rapinis, funeſtam tibi ac tuis, comparaſti: videlicet uti nos commonefacias, quàm converſa ſit reſp. cum in ea domo habitas, homo flagitioſiſſume, quæ P. Craſſi, viri conſularis, fuit. Atque hæc cum ita ſint; tamen Cicero ſe dicit in conſilio deorum immortalium fuiſſe; inde miſſum huic urbi: civibuſque cuſtodem, abſque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam ſuam ponit: quaſi vero non illius conjurationis cauſſa fuerit conſulatus tuus, & iccirco reſp. disjecta eo tempore, quo te cuſtodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ poſt conſulatum cum Terentia uxore de rep. conſuluiſti: cum legis Plautiæ judicia domi faciebas: ex conjuratis alios morte, alios pecunia condemnabas: cum tibi alius Tuſculanum, alius Pompejanam villam ædificabat, alius domum emebat: qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proximus, is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut inſidias ſenatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat. Quæ ſi tibi falſa objicio; redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tuſculanum, & Pompejanum infinito ſumtu ædificaveris. Aut, ſi retices; cui dubium

dubium poteſt eſſe, quin opulentiam iſtam ex ſanguine, & viſceribus civium paraveris? Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex C. Marii familia, ejus virtutem imitatur; contemnit ſimultatem hominum nobilium; populi R. curam habet; neque terrore, neque gratia commovetur. Illud vero amicitiæ tantum, ac virtutis eſt animi? Immo vero homo leviſſimus, ſupplex inimicis, amicis contumelioſus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, leviſſimus ſenator, mercenarius patronus, cujus nulla pars corporis à turpitudine vacat: lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces; quæ honeſte nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima. Atque is, cum ejuſmodi ſit, tamen audet dicere: *O fortunatam natam me conſule Romam!* Te conſule fortunatam, Cicero? immo vero infelicem, & miſeram, quæ crudeliſſimam proſcriptionem civium perpeſſa eſt; cum tu, perturbata rep. metu perculſos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas; cum omnia judicia, omnes leges, in tua lubidine erant; cum tu, ſublata lege Porcia, erepta libertate, omnium noſtrum vitæ, neciſque poteſtatem ad te unum revocaveras. Atque parum eſt, quod impune feciſti: verum etiam commemorando exprobras; neque licet oblivíſci ſervitutis ſuæ. Egeris, oro te Cicero, perfeceris quod libet: ſatis eſt perpeſſos eſſe: etiamne aures noſtras odio tuo onerabis? etiamne moleſtiſſimis verbis inſectabere? *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Quaſi vero togatus, & non armatus, ea, quæ gloriaris, confeceris; atque inter te, Syllamque dictatorem, præter nomen imperii, quidquam interfuerit. Sed quid ego plura de tua inſolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit,

Jupiter

Iupiter optumus maxumus in conſilio deorum admiſit, Italia exſulem humeris ſuis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones, ſuperaſti; quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes reip. placent? quem amicum, quem inimicum, habes? cui in civitate feciſti inſidias, ancillaris. Quo jure, cum de exſilio tuo Dyrrhachio rediſti, eum ſequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faves? qui tibi antè optimates videbantur, eoſdem nunc dementes, ac furioſos vocas? Vatinii cauſſam agis: de Sextio male exiſtumas; Bibulum petulantiſſumis verbis lædis: laudas Cæſarem: quem maxume odiſti, ei maxume obſequeris: aliud ſtans, aliud ſedens, de rep. ſentis: his maledicis, illos odiſti: leviſſume transfuga! neque in hac, neque in illa parte fidem habes.

IN SALLVSTIVM DECLAMATIO;

QVÆ CICERONI FALSO TRIBVITVR.

EA demum magna voluptas eſt, Criſpe Salluſti, æqualem, & parem verbis vitam agere; neque quidquam tam obſcenum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua reſpondeat, ut omnis oratio moribus conſonet. Neque enim, qui ita vivit, uti tu, aliter, ac tu, loqui poteſt: neque, qui tam illoto ſermone utitur, vita honeſtior eſt. Quo me vertam, P. C.?

.C.? unde initium ſumam? majus enim mihi di-
:ndi onus imponitur,quo notior eſt uterque no-
rum. Quod ſi aut de mea vita,atque actibus no-
ris, huic cōviciatori reſpondero,invidia gloriam
onſequetur: aut, ſi hujus facta, mores, omnem
tatem nudavero; in idem vitium incidam pro-
icitatis, quod huic objicio. Id vos, ſi forte offen-
imini, juſtius huic,quàm mihi, ſuccenſere debe-
s, qui initium introduxit. Ego dabo operam,ut
: pro me minimo cum faſtidio reſpondeam, &
a hunc minime mentitus eſſe videar. Scio me,
'. C. in reſpondendo non habere magnam exſpe-
:ationem, quod nullum vos ſciatis novum cri-
ıen in Salluſtium audituros, ſed omnia vetera re-
ognituros, quîs & meæ, & veſtræ jam, & ipſius
ures calent. Verum eo magis odiſſe debetis ho-
ninem,qui ne incipiens quidem peccare minimis
ebus poſuit rudimentum; ſed ita ingreſſus eſt, uti
ıeque ab alio vinci poſſit, neque ipſe ſe omnino
eliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud ſtudet,
iiſi,uti lutulentus ſus, cum quovis velitari. Longe
'ero fallitur opinione. Non enim procacitate lin-
guæ vitæ ſordes eluuntur: ſed eſt quædam calu-
nnia,quam unuſquiſque noſtrum teſtante animo
uo fert, de eo, qui falſum crimen bonis objectat.
Quod ſi vita iſtius memoriam vicerit; aliam,P.C.
non ex oratione ejus, ſed ex moribus ſpectare de-
betis. Iam dabo operam, quam maxime potero,
uti breve id faciam. Neque hæc altercatio noſtra
vobis inutilis erit, P.C.Plerumque enim reſp.pri-
vatis creſcit inimicitiis; ubi nemo civis, qualis ſit
vir, poteſt latere. Primum igitur, quoniam om-
nium majores Criſpus Salluſtius ad unum exem-
plum, & regulam quærit, velim mihi reſpondeat,
numquid ii, quos protulit, Scipiones, & Metelli,
antè

antè fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quam eo res geſtæ ſuæ, & vita innocentiſſimè acta, com mendavit? quod ſi hoc fuit illis initium nominis & dignitatis; cur non æquè de nobis exiſtimetur cujus & res geſtæ illuſtres ſunt, & vita integerri mè acta. Quaſi vero tu ſis ab illis viris, Salluſti ortus: quod ſi eſſes; nonnullos jam tuæ turpitu dinis pigeret. Ego meis majoribus virtute me præluxi: uti, ſi prius noti non fuerint, à me acci piant initium memoriæ ſuæ: tu tuis vita, quan turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras; ut etiam ſi fuerint egregii cives, certe venerint in oblivio nem. Quare noli mihi antiquos viros objectare Satius eſt enim, me meis rebus geſtis florere quàm majorum opinione niti; & ita vivere, u ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & vi tutis exemplum. Neque me cum iis conferri de cet, P.C. qui jam deceſſerunt, omnique odio ca rent, & invidia; ſed cum iis, qui mecum unà i republica verſati ſunt. Sed ſi fuerim aut in ho noribus petendis nimis ambitioſus; (non han dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, ſed illam pernicioſam contra leges, cu jus primos ordines Salluſtius duxit;) aut in geren dis magiſtratibus, aut in judicandis maleficiis tan ſeverus; aut in tuenda republica tam vigilans quam tu proſcriptionem vocas: credo quod no omnes tui ſimiles incolumes in hac urbe vixi ſent. At quanto meliore loco reſpublica tuenc ſtaret, ſi tu, par ac ſimilis ſceleſtorum civium, ur cum illis adnumeratus eſſes! An ego tunc fal ſcripſi, *Cedant arma togæ*; qui togatus armatos, & pace bellum oppreſſi? An illud mentitus ſum, *For tunatam me conſule Romam*; qui tantum inteſt num bellum, & domeſticum urbis incendium, ex

ſtinxi

ſtinxi? Neque te tui piget, homo leviſſime, cum ea culpas, quæ in hiſtoriis mihi gloriæ ducis? An turpius eſt, P.C. ſcribentem mentiri, quàm illum palam hoc ordine dicentem? Nam, quod meam ætatem increpuiſti: tantum me abeſſe puto ab impudicitia, quantum tu abes à pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? Quid enim mentiri turpe duces, qui mihi auſus ſis eloquentiam uti vitium objicere? cujus ſemper nocens eguiſti patrocinio. An ullum exiſtimas poſſe fieri civem egregium, qui non his artibus & diſciplinis ſit eruditus? An ulla alia putas eſſe rudimenta, & incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? Sed minime mirum eſt, P.C. ſi homo, qui deſidiæ, ac luxuriæ, plenus ſit, hæc uti nova, atque inuſitata, miratur. Nam quod iſta inuſitata rabie petulanter in uxorem, & in filiam meam invaſiſti, quæ facilius mulieres ſe à viris abſtinuerunt, quàm tu vir à viris; ſatis doctè, ac peritè feciſti. Non enim me ſperaſti mutuam tibi gratiam relaturum, & viciſſim tuas compellaturum. Vnus enim ſatis es materiæ habens: neque quidquam turpius eſt domi tuæ, quàm tu. Multum te vero opinio fallit, qui mihi putaſti parare invidiam ex mea re familiari; quæ multo mihi minor eſt, quàm habere dignus ſim. Atque utinam ne tanta quidem eſſet, quanta eſt; uti potius amici mei viverent, quàm ego teſtamentis eorum locupletior eſſem! Ego fugax, Criſpe Salluſti? Furori tribuni pl. ceſſi: utilius duxi, quamvis fortunam unus experiri, quàm univerſo populo R. civilis eſſem diſſenſionis cauſſà: qui, poſtea quam ille ſuum annum in rep. perbacchatus eſt; omniaque quæ commoverat, pace, & otio, reſederunt: hoc ordine revocante, atque ipſa rep. manu retrahente

hente me, reverti. Qui mihi dies, ſi cum omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo ſuperet, cum univerſi vos, populuſque R. frequens adventu meo gratulatus eſt. Tanti me fugacem, mercenarium patronum hi æſtimaverunt. Neque hercule mirum eſt, ſi ego ſemper juſtas omnium amicitias æſtimavi. Non enim uni privatim ancillatus ſum, neque me addixi: ſed, quantum quiſque reip. ſtuduit, tantum mihi fuit aut amicus, aut inimicus. Ego nihil plus volui valere, quàm pacem; multi privatorum audacias nutriverunt. Ego nihil timui, niſi leges: multi arma ſua timeri voluerunt. Ego nunquam volui quidquam poſſe, niſi pro vobis: multi ex vobis, potentia freti, in vos ſuis viribus abuſi ſunt. Itaque non eſt mirum, ſi nullius amicitia uſus ſum, qui non perpetuo reip. amicus fuit: neque me pænitet, ſi aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus ſum, aut Sextii inſolentiam repreſſi, aut Bibuli patientiam culpavi, aut virtutibus Cæſaris favi. Hæ laudes enim egregii civis, & unicæ ſunt. Quæ ſi tu mihi ut vitia objicis, temeritas tua reprehenditur, non mea vitia culpabuntur. Plura dicerem, ſi apud alios mihi eſſet dicendum, P.C. non apud vos, quos habui omnium actionum mearum monitores. Sed, ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? Nunc, ad te uti revertar, Salluſti, patremque tuum prætercam: qui ſi nunquam in vita ſua peccavit, tamen majorem injuriam reip. facere non potuit, quàm quòd te talem filium genuit. Neque, tu ſi qua in pueritia peccaſti, exſequar, ne parentem tuum videar accuſare, qui eo tempore ſummam tui poteſtatem habuit; ſed qualem adoleſcentiam egeris. Hac enim demonſtrata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia tam impudicus,

cus, & procax, adoleveris. Poſtea quam immenſæ gulæ impudiciſſimi corporis quæſtus ſufficere non potuit; & ætas tua jam ad ea patienda, quæ alteri facere collibuiſſet, exoleverat; cupiditatibus infinitis efferebaris, uti, quæ ipſe corpori tuo turpia non duxiſſes, in aliis experireris. Ita non eſt facile reputare, P.C. utrum inhoneſtioribus corporis partibus rem quæſierit, an amiſerit. Domum paternam vivo patre turpiſſimè venalem habuit, vendidit. Et cui dubium poteſt eſſe, quin mori coegerit eum, quo hic nondum mortuo pro herede geſſerit omnia? Neque pudet à me eum quærere, quis in P. Craſſi domo habitet; cum ipſe reſpondere non queat, quis in ipſius habitet paterna domo. At hercule lapſus ætatis tirocinio, poſtea ſe correxit. Non ita eſt: ſed abiit in ſolatium ſacrilegii Nigidiani: bis judicis ad ſubſellia attractus, extrema fortuna ſtetit: & ita diſceſſit, uti non hic innocens eſſe, ſed judices pejeraſſe exiſtimarentur. Primum honorem in quæſtura adeptus, hunc locum, & ordinem, deſpectum reddidit, cujus aditus ſibi quoque, ſordidiſſimo homini, patuiſſet. Itaque timens, ne facinora ejus clam vos eſſent, cùm omnibus matribus familias opprobrio eſſet, confeſſus eſt, vobis audientibus, adulterium; neque erubuit ora veſtra. Vixeris, uti libet, Salluſti; egeris, quæ volueris: ſatis ſit, unum te tuorum ſcelerum conſcium eſſe: noli nobis languorem, & ſoporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum noſtrarum: ſed ita experrecti non ſumus, ut à te cavere poſſimus. Audacia tua vincit ſtudia noſtra. Ecquod hunc movere poſſit, P.C. factum ac dictum turpe, quem non puduit palam, vobis audientibus, adulterium confiteri? Quod ſi nihil pro me tibi reſpondere

dere voluiſſem; ſed illud cenſorium elogium Ap. Claudii, & L. Piſonis, integerrimorum virorum, quo uſus eſt quisque eorum, pro lege palam univerſis recitarem: nonne tibi videret æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non poſſit? Neque poſt illum delectum ſenatus te umquam vidimus. Niſi forte in ea te caſtra conjeciſti, quo omnis ſentina reip. confluxerat. At idem Salluſtius, qui in pace ne ſenator quidem manſerat, poſtea quam reſp. armis oppreſſa eſt, & idem victores, qui exſules reduxit, in ſenatum poſt quæſturam reductus eſt. Quem honorem ita geſſit, uti nihil non venale in eo habuerit, cujus aliquis emtor fuerit. Ita igitur egit, uti nihil non æquum, ac verum, duxerit, quod ipſi facere collibuiſſet: neque aliter vexavit, ac debuit, ſi quis prædæ loco accepiſſet magiſtratum. Peracta quæſtura; poſtea quam magna pignora eis dederat, cum quibus ſimilitudine vitæ ſe conjunxerat, unus jam ex illo grege videbatur. Ejus enim partis exemplar erat Salluſtius, quo tanquam in imam voraginem cœtus omnium vitiorum exceſſerat: quidquid impudicorum cilonum, parricidarum, ſacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota, ſicut in fretis, ſubſederant, nominis perditi, ac notiſſimi, nulla in parte caſtris apti, niſi licentia vitiorum, & cupiditate rerum novarum. At poſtea quam prætor factus eſt, modeſte ſe geſſit, & abſtinenter. Nonne ita provinciam vaſtavit, uti nihil neque paſſi ſint, neque exſpectarint gravius ſocii noſtri in bello, quàm experti ſunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhauſit, quãtum potuit aut fide nominum transjici, aut in naves contrudi. Tantum, inquam, P.C. ex-

xhauſit, quantum voluit: ne cauſſam dice-
et, ſeſtertio duodecies cum Cæſare paciſcitur.
Quod ſi quippiam eorum falſum eſt; hic palam
efelle, unde tu, qui modo ne paternam quidem
lomum redimere potueris, repente tamquam
omnio beatus, hortos pretioſiſſimos, villam Ti-
urti C. Cæſaris, reliquas poſſeſſiones paraveris.
Neque piguit quærere, cur ego P. Craſſi domum
miſſem: cum tu veteris villæ dominus ſis, cu-
us paulo ante fuerat Cæſar? modo, inquam, pa-
rimonio non comeſo, ſed devorato, quibus ra-
ionibus repente factus es tam affluens, & tam
eatus? Nam quis te faceret heredem, quem ne
umicum quidem ſuum ſatis honeſtum quisquam
ibi ducit, niſi ſimilis, ac par tui? At hercule egre-
gia facta majorum tuorum te extollunt: quorum
ſive tu ſimilis es, ſive illi tui, nihil ad omnium
ſcelus, ac nequitiam, addi poteſt. Verum, ut opi-
nor, honores tui te faciunt inſolentem. Tu, Cri-
ſpe Salluſti, tantidem putas eſſe bis ſenatorem, &
bis quæſtorem fieri, quanti bis conſularem, &
bis triumphalem? carere debet omni vitio, qui
in alterum paratus eſt dicere. Is demum maledi-
cit, qui non poteſt verum ab altero audire. Sed tu
omnium menſarum aſſecla, omnium cubiculo-
rum in ætate pellex, & idem poſtea adulter, om-
nis ordinis turpitudo es, & civilis belli memoria.
Quid enim gravius pati potuimus, quam quod te
incolumem in hoc ordine videamus? Deſine bo-
nos petulantiſſima conſectari lingua: deſine mor-
bo procacitatis iſto uti: deſine unumquemque
moribus tuis æſtimare: his moribus amicum tibi
facere non potes, videris velle inimicum habere.
Finem dicendi faciam P. C. Sæpe enim vidi gra-
vius offendere animos auditorum eos, qui aliena
flagitia

flagitia apertè dixerunt, quam eos qui commiſ runt. Mihi quidem ratio habenda eſt, non qu Salluſtius merito debeat audire; ſed ut ea dican ſi qua ego honeſte effari poſſum.

C. SALLVSTIVS CRISPVS

EXPLICIT.

FRAGMENTA
VETERVM
HISTORICORVM.

K AMI-

AMICE LECTOR.

SAlluſtio, uti Principi Hiſtoricorum, ſic & antiquiſſimo non minus quam antiquitatis, etiam in verbis, ſtudioſo, viſum fuit veterum Hiſtoricorum, quæ ſuperſunt hactenus, Fragmenta, collectore Popma, hic addi. Quibus, cum autorum cauſa, qui Hiſtorias ſcripſerunt, aliis ex libris, quod in Fabio Pictore, Maximoque, ac aliis hic factum, quædam alia, quæ ad Hiſtoriam non ſpectant, inſeri videbis, ſcito ipſos, quamquam forte non eorum omnia, quæ tamen pauca ſunt, eodem ſpectare. Quod facile à te impetrabis, ſi ex iis quæ à Robortello aliiſque collecta ſunt, plura fuiſſe reſecanda cogitabis.

FRAG-

FRAGMENTA HISTORICORVM VETERVM.

Quinctus Fabius Pictor, ſcriptorum antiquiſſimus, ut ait Livius, vixit anno urbis Iↄ XXXVIII. *Quæ ex Fabii annalibus veteres referunt ea partim ſunt de antiquitatibus Italiæ, & urbis initiis, partim de geſtis populi Romani. Quæ autem patrum memoria de aureo ſæculo, & origine urbis ab Annio Viterbienſi, Pictoris nomine edita ſunt, pro ſuppoſititiis habenda.*

QVINCTI FABII PICTORIS ANNALIVM LIB. I.

SOLITO inſtitutoque egreſſam virginem, in uſum ſacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis, ſubito imbribus tonitrubuſq; quæ cum illa erant, disjectis, à Marte compreſſam, conturbatamque, mox recreatam conſolatione Dei, nomen ſuum indicantis, affirmantiſque ex ea natos dignos patre evaſuros. *Autor de origine gentis Romanæ,*

LIB. IV.

Quapropter tum primum ex plebe alter conſul factus eſt, duo & viceſimo anno poſtquam Romam Galli ceperunt. *A. Gellius.* 5. 4.

Ex Libris Incertis.

Mortuus eſt anno duo & viceſimo: Rex fuit annos viginti & unum. *Ibidem.*

Lupus femina. *Quintilianus*. I.X.

Æneæ ſomnium ejuſmodi eſt, ut omnia quæ ab Ænea geſta ſunt, quæque illi acciderunt ea fuerint quæ ei ſecundum quietem viſa ſunt. *Cicero de divinatione* I.

Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente eſt excitata. Itaque ludis intermiſſis Inſtaurativi conſtituti ſunt. *Ibidem.*

Iolus cujus filius fuerit, cujus gentis & nationis. *Arnobius adverſus gentes* VI.

Literas Cadmum ex Phœnice in Græciam, inde in Italiam Evandrum attuliſſe. *Victorinus de Orthographia.*

Amulii juſſu miniſtri quidam, infantes in alveo collocatos acceperunt, & aſportarunt, ut eos in fluvium circiter CXX. ſtadia ab urbe diſtantem, projicerent, &c. *Dionyſius* I.

Remus in hoſtium poteſtatem redactus, poſtea vinctus Albam eſt deductus. *Ibidem.*

Diviſit etiam Romulus totum agrum in partes viginti ſex, quas ipſe tribus appellat: ita ut quatuor urbanis ad illos additis, omnes efficiant numerum triginta Tribuum. *Idem* IV.

Aruntem Tarquinii filium fuiſſe: illum defunctum à matre Tanaquile ſepultum fuiſſe. *Ibidem.*

Illos pueros quia Tarquinio relicti fuerant, ejus filios fuiſſe. *Ibidem.*

Tarpeam cupido cepit armillarum, quas in ſiniſtris brachiis illi geſtabant, & annulorum quos ferebant. *Idem* II.

Tunc demum Romanos ſenſiſſe divitias, cum Sabinorum gentem ſibi ſubjeciſſent. *Strabo Geograph.* V.

Belli quod cum Annibale duce inter Carthagi-
nienſes

ſienſes atque Romanos exarſit, cauſam fuiſſe ſæ-
vitiam atque crudelitatem Annibalis in Saguntinos, & Aſdrubalis ambitionem ac immanem regni cupiditatem, &c. *Polybius* 1.

Anno primo octavæ Olympiadis Romam conditam fuiſſe. *Solinus Polyhiſt. cap.*2.

Millia LXXX. primo luſtro civium cenſa: eorum qui ferre arma poſſent, eum numerum fuiſſe. *Livius* 1.

Quadraginta ea ſola talenta fuiſſe (ſepoſita in ædificationem Capitolii.) *Ibidem.*

Coriolanum uſque ad ſenectutem vixiſſe. hanc ſæpe eum exacta ætate uſurpaſſe vocem, MVLTO miſerius ſeni exilium eſſe. *Idem* 11.

Ambos Coss. in Samnio & ad Luceriam res geſſiſſe, traductumque in Etruriam exercitum: ad Luceriam utrimque multos occiſos, in eaque pugna Iovis Statoris ædem votam ut Romulus ante voverat. *Idem* 10.

Ad Thraſymenum pugna XV. millia Romanorum in acie cæſa ſunt, X. millia ſparſa fuga per omnem Etruriam diverſis itineribus Romam petiere. Mille & quingenti hoſtium in acie, multi poſtea utrimque ex vulneribus periere. *Idem* 31.

Cum obſideretur præſidium Romanum à Liguſtinis, hirundinem à pullis ad ſe allatam ut lino ad pedem ejus alligato nodis ſignificaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet. *Plinius* 10.24.

Matronam, quòd loculos, in quibus erant claves cellæ vinariæ, reſignaviſſet, à ſuis inedia mori coactam. *Idem* 14.13.

Puilia ſaxa eſſe ad portum, qui ſit ſecundum Tiberim. *Feſtus Puilia.*

Amata inedia ſe interemit. *Servius in* XII.

FABII PICTORIS RERUM GESTARUM

LIB. I.

Et ſimul videbant Picum Martium. *Noniu. Picumnus.*

PONTIFICII IURIS

LIB. I.

Quæ verba Pontificem Max. dicere oporteat cum Virginem capit, ea ejuſmodi ſunt, Sacerdotem Veſtalem quæ ſacra faciat, quæ jous ſiet, Sacerdotem Veſtalem facere pro populo Rom. Qui ritibus, uti quod optima lege fuat, ita te Amata capio. *A.Gellius* 1.12.

Equo Dialem Flaminem vehi religio eſt, claſſem procinctã extra pomerium, id eſt, exercitum ornatum videre. Iurare Dialem fas nunquam eſt. Annulo uti niſi pervio caſſoque fas non eſt. Ignem è Flaminia, id eſt, Flaminis Dialis domo, niſi ſacrum efferri jous non eſt. Vinctum ſi ædes ejus introierit ſolvi neceſſum eſt, &c. *Idem* 10.15.

Exta porriciunto, diis danto in altaria, aramve, focumve, eove quo exta dari debebant. *Macrobius Saturnal.* 3.2.

Vitulari. *Ibidem.*

LIB. III.

Pilumno & Picumno. *Nonius Picumnus.*

LIB. XVI.

Aquam manibus pedibusque dato, polubrum ſiniſtra manu teneto, dextera vaſum cum aqua. *Idem Polubrum.*

Ex Incertis Libris.

Muries fit ex ſale, quod ſal ſordidũ tunſum eſt, & in ollam rudem fictilem adjectum eſt, & poſtea id ſal virgines Veſtales ſerra ferrea ſecant. *Idem Sal neutro genere.*

Hos Deos enumerat quos invocat Flamen ſacrum cereale faciens Telluri & Cereri, Vervactorem, Reparatorem, Imporcitorem, Inſitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarcitorem, Subruminatorem, Meſſorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem. *Servius Georg.* I.

Q. Fabius Servilianus.

Annales ſcripſit, & libros juris Pontificii. Conſul fuit & floruit anno V. C. DCXL.

Q. FABII MAXVMI SERVILIANI Pontificis Annalium

LIB. I.

Tum Æneas ægre patiebatur in eum deveniſſe agrum, macerrimum, littorioſiſſimumque. *Idem Æneid.* I.

Pontifici Iuris

LIB. XII.

Negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iovemque præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet. *Macrobius* I. 16.

Ex Incerto Libro.

Amitti magis quam apiſci. *Priſcian.* 8.

LVCIVS CINCIVS ALIMENTVS

Diligens veterum monimentorum auctor, ut ait Livius, Fabii Pictoris æqualis fuit. Græcè ſcripſit Hiſtoriam Annibalicam, Latine ab Gorgia Leontino redditam.

L. CINCII ALIMENTI ANNALIVM GRAECORVM

LIB. I.

Poſt eum regnavit Tiberinus Silvius, Silvii filius, qui cum adverſus finitimos bellum inferentes copias eduxiſſet, inter prœliantes depulſus in Albulam flumen deperiit, mutandique nominis exſtitit cauſſa. *Autor de origine gentis Rom.*

LIB. II.

Aſcanius completis in Lavinio triginta annis recordatus novæ urbis condendæ tempus adveniſſe ex numero porcorum, quos pepererat ſus alba; circumſpectis diligenter finitimis regionibus, ſpeculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe quæ in eo condita eſt Albanus nuncupatur, civitatem communit, eamque ex forma quod ita in longum porrecta eſt, Longam, ex colore ſuis Albam cognominavit. *Ibidem.*

EX INCERTIS LIBRIS.

Romam duodecima Olympiade conditam. *Solinus cap.* 11.

Romæ natalem in quartum duodecimæ Olympiadis annum incidere. *Dionyſius* 1.

Tarpeiam cupido cepit armillarum, quas in ſiniſtris brachiis illi geſtabant. *Ibidem.*

Volſiniis quoque clavos indices numeri an-

norum

-orum fixos in templo Nortiæ Etruſcæ deæ comparere. *Livius* VII.

Captum ſe ab Annibale. *Idem*. XXX.

Gallis Liguribusque additis, cum his LXXX. millia peditum, decem equitum adducta in Italiam: ex ipſo autem audiſſe Annibale, poſtquam Rhodanum tranſierit, XXXVI. millia hominum, ingentemque numerum equorum & aliorum jumentorum amiſiſſe in Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digreſſo. *Ibidem*.

HISTORIA DE GORGIA LEONTINO.

Qui dum jam ſilicernius finem ſui temporis exſpectaret, etſi morti non potuit, tamen infirmitatibus inſultavit. *Fulgentius in expoſitione ſermonum antiquorum ſilicernios ſenes jam incurvos.*

C. ACILIVS

Græce ſcripſit annales Romanos, quos Claudius Latinos fecit; quem eſſe Q. Claudium Quadriganium, qui vixit anno urbis IↃCLXVI, *multi exiſtimant.*

C. ACILII ANNALES GRÆCI.

Ante conditam urbem Romuli & Remi pecus amiſſum fuiſſe, quos Fauno voto facto nudos, ne moleſtus iis ſudor foret, ad exquirendum id excurriſſe. Hinc nudos diſcurrere Lupercos. *Plutarchus in Romulo.*

CLAVDII ANNALES ACILIANI LATINI.

Ita nocte ac die bina caſtra hoſtium expugnata ductu L. Martii. Ad triginta ſeptem millia ho-

ſtium cæſa, captos ad mille octingentos triginta prædam ingentem partam, & in ea fuiſſe clypeum argenteum pondo CXXXVIII. cum imagine Barchinii Aſdrubatis. *Livius* 35.

P. Africanum in ea fuiſſe legatione, eumque Epheſi collocutum cum Annibale, & ſermonem etiam unum refert, quo quærenti Africano quem fuiſſe maxumum imperatorem Annibal crederet, reſpondiſſe, Alexandrum Magnum, &c. *Idem* 45.

C. FANNIVS

Floruit anno V.C. IↃ C XXXI. *Annales ſcripſit, quos à veritate Salluſtius commendat.*

C. FANNII ANNALIVM

LIB. I.

Cum in vita agenda didicimus multa, quæ impræſentiarum bona videntur, poſt inventa & multo amplius, aliuſmodi atque ante viſa eſſent. *Priſcianus* 13.

LIB. VIII.

Domina ejus, ubi villam venerat, jubebat biber dari. *Cariſius* 1. *Biber.*

Ex Incertis.

Hæc adipiſcuntur. *Priſcianus* 8.

Brevi etiam omnem juventutem parendo & ſtrenue agendo ſuperavit, ac vero murum hoſtium primus aſcendit, ut autor eſt Fannius, qui prædicat una cum Tiberio ſe in murum aſcendiſſe, conſortemque fuiſſe illius decoris. *Plutarch. in Gracchis.*

Q. Metelli Oratio contra Tiberium Graccum expoſita eſt in C. Fanni Annalibus. *Cicero in Bruto.*

Eiſque

Ἰρωνα me, ne ſi Africanus quidem fuit, ut ait in Hiſtoria Fannius, exiſtimari velim. *Ibidem.*

VENNONIVS

Fide dignus ſcriptor, ut Dionyſius Halicarnaſſæus teſtatur, Hiſtoriarum libros condidit. Ætas incerta.

VENNONII HISTORIARVM LIBRI.

Solito inſtitutoque egreſſam virginem in uſum ſacrorum aquam petitum, &c. *Autor de orig. gentis Roman.*

Romulus diviſit agrum in Tribus triginta & unum. *Dionyſius* 4.

L. SCRIBONIVS LIBO

Floruit Catone jam admodum ſene, circa annum Vrbis IↃCIII. *Annales reliquit.*

LIBONIS ANNALES.

Quatuordecim annis poſt Prætor eſt factus Tuditanus quàm Conſul Mummius. *Cicero ad Atticum* 13, *ep.* 31.

Tum Prætorem P. Popillio, P. Rupilio Coſs. *Ibidem ep.* 32.

MARCVS PORCIVS CATO

Optimus, ut tradit Plinius, orator, optimus imperator, optimus Senator, florere cœpit temporibus Belli Punici ſecundi. præter alia Originum libros dedit.

M. PORCII CATONIS ORIGINVM LIB. I.

Clarorum virorum atque magnorum non minus

nus otii quàm negotii rationem exſtare oportere. *Cicero pro Plancio.*

P. Scipionem eum qui primus Africanus appellatus ſit dicere ſolitum, nunquam ſe minus otioſum eſſe quam cùm otioſus, nec minus ſolum quàm cùm ſolus. *Idem officior.* III.

Agrum quem Volſci habuerunt campeſtris, plerus Aboriginum fuit. *Priſcian.* V.

Antemna veterior eſt quàm Roma. *Idem* VI.

Mezentium Rutulis imperaſſe ut ſibi offerrent quas Diis primitias offerebant, & Latinos omnes ſimilis imperii metu ita voviſſe, IVPITER ſi tibi magis cordi eſt nos ea tibi dare potius quam Mezentio, uti nos victores facias. *Macrobius* I. V.

Sed lucus Capenatis. *Priſc.* IV.

Inde eſt ferme mille paſſuum. *Gell. I.* XVI.

Veteres proſopias & multa alia apud multos. *Nonius Proſapies.*

Propter id bellum cœpit. Cœlius Prætor Albanus oratores miſit Romam, eum. *Feſtus, Oratores pro legatis.*

Igitur tertio pedato bellum nobis fecere. *Nonius, Pedato pro repetitu.*

Fana in eo loco compluria fuerunt. Ea exauguravit, præquam quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari. *Feſtus, Nequitur.*

Nam de omni civitate Tuſculana ſoli L. Manulei beneficium gratum fuit. *Priſc.* VI.

Vehes ligni. *Cariſius.* I.

LIB. II.

Lucum Dianium in nemore Aricino Ægerius Leſbius Tuſculanus dedicavit, Dictator Latinus. Hi populi communiter Tuſculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Cocanus, Tiburtinus,

nus, Pomerinus, Ardeatis, Rutilus. *Priſc.* 14.

Marſus hoſtem occidit priuſquam Pelignus: propterea Marrucini vocantur, de Marſo detorſum nomen. *Idem* 19.

Si quis mortuus eſt Arpinatis ejus hæredem ſacra non ſequuntur. *Idem.* 14.

In campo Tiburti ubi hordeum demeſſuit idem in montibus ſeruit: ibi hordeum idem iterum meſſuit. *Idem* 10.

Queſcunque Romæ regnaviſſent. *Cariſ.* 1.

In maximumque decus atque in excelſiſſimam claritudinem ſublimavit. *Feſtus ſublimavit.*

Ex ſali qui apud Carthaginienſes fit. *Priſc.* 5.

Si indu naves putidas atque ſentinoſas commeatum ponere volebant. *Nonius putidum.*

Itaque res uber fuit antequam vaſtaſſent legiones. *Priſc.* 6.

Qui aquatum ut lignatum videntur ire, ſecurim atque ſolum ferunt, gelum craſſum excidunt, eum loco colligatum auferunt. *Nonius Gelus.*

Ligures omnes fallaces ſunt: ſed ipſi unde oriundi ſunt exacta memoria, illiterati, mendaces: quæ ſunt & vera, minus meminere. *Servius* 11.

Pleraque Gallia duas res induſtrioſiſſime perſequitur, rem militarem & argute loqui. *Cariſius* 2.

Papaver Gallicanus. *Idem.* 1.

Neque ſatis habuit quod eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam proſtitueret. *Gellius* 17. 13.

In his duobus bellis alteras ſtipendio agrique parte multati, alteras oppidum vi captum, alteras primo pedato & ſecundo. *Cariſius* 2.

Qui tantiſper nullæ rei ſies dum nil agas. *Priſcian.* 6.

LIB.

LIB. III.

Haud eos eo poſtremum ſcribo quin populi & boni & ſtrenui ſint. *Gellius* 17.13.

Laſerpitium pro pulmentario ſuo habet. *Cariſius* 1.

Multo pulmento uſi. *Ibidem.*

Equos reſpondit, Oreas mihi inde, tibi cape flagellum. *Feſtus, Oreæ freni.*

Rhegini Taurocini vocantur de fluvio qui præterfluit. Id oppidum Auranci primo poſſederunt: inde Achæi Troja domum redeuntes. In eorum agro fluvii ſunt ſex, ſeptimus fines Rheginorum atque Taurinorum diſpeſcens. Fluvio nomen eſt Taccolico. Oreſtem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum veniſſe, & non longinqua memoria eſt cum in arbore enſem viderint, quem Oreſtes abiens reliquiſſe dicitur. *Probus in Bucolica Virgilii.*

LIB. IV.

Non lubet ſcribere quod in tabula apud Pont. Max. eſt, quotiens annona cara, quotiens Lunæ aut Solis lumini caligo, aut quid obſtiterit. *Gellius* 2. 28.

Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione vindicta proximus cognatus ulciſcitur. *Priſc.* 6.

Mapalia vocantur ubi habitant. Ea quaſi cortes rotundæ ſunt. *Feſtus, Mapalia.*

Deinde duodeviceſimo anno poſt dimiſſum bellum quod quatuor & viginti annos fuit, Carthaginienſes ſextum de fœdere decedere. *Nonius duodeviceſimo, ita ut duodecimo.*

Cumpluriens eorum milites mercenarii inter ſeſe multi alteri alteros in caſtris occidêre, compluriens

riens multi ſimul ad hoſtes transfugêre, compluriens in imperatorem impetum fecêre. *Gellius* 5.21.

Igitur dictatorem Carthaginenſium magiſter equitum monuit, Mitte mecum Romam equitatum, diequinti in Capitolio tibi cæna cocta erit. Deinde Dictator jubet poſtridie Magiſtrum equitum arceſſi, Mittam te ſi vis, inquit, cum equitibus. Sero eſt, inquit, Magiſter equitum: jam reſcivere. *Idem* 10.24.

Imperator noſter ſi quis extra ordinem depugnatum ivit, ei multam facit. *Idem* 11.1.

Prœlium factum, depugnatumque pro caſtris. *Idem* 11.3.

Exules duo lege publica execrati. *Priſc.*19.

LIB. V.

Scio ſolere pleriſque hominibus rebus ſecundis, atque prolixis, atque proſperis animum excellere, atque ſuperbiam atque ferocitatem augeſcere, atque creſcere: quod nunc mihi magnæ curæ eſt, quod hæc res tam ſecunde proceſſerit, ne quid in conſulendo adverſi eveniat, quod noſtras ſecundas res confricet, neve hæc licentia nimis luxurioſe eveniat. Advorſæ res ſe domant, & docent quid opus ſit facto: ſecundæ res lætitia transvorſum trudere ſolent à recte conſulendo atque intelligendo. Quo majore opere dico ſuadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in poteſtatem noſtram redeamus. *Gellius* 7.3.

Atque ego quidem arbitror Rhodienſes noluiſſe nos ita depugnare uti depugnatum eſt, neque regem Perſen viciſſe. Non Rhodienſes id modo noluere, ſed multos populos ac multas nationes idem

idem noluiſſe arbitror. Atque haud ſcio an partim eorum fuerint, qui non noſtræ contumeliæ cauſſa id noluerint evenire: ſed enim metuere, ſi nemo eſſet homo quem vereremur, & quicquid luberet faceremus, ne ſub ſolo imperio noſtro in ſervitute noſtra eſſent, libertatis ſuæ cauſſa in ea ſententia fuiſſe arbitror. Atque Rhodienſes tamen Perſen publicè nunquam adjuvere. Cogitate quanto nos privatim cautius facimus. Nam unuſquiſque noſtrum, ſi quis adverſus rem ſuam quid fieri arbitratur, ſumma vi contra nititur ne adverſus eam fiat, quod illi tamen perpeſſi.

Ea nunc derepente tanta nos beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquimus? Quod illos dicimus voluiſſe facere, id nos priores facere occupabimus?

Qui acerrume advorſus eos dicit, ita dicit, hoſtes voluiſse fieri. Et quis eſt tandem noſtrorum, qui quod ad ſeſe attineat, æquum cenſeat quemquam pœnas dare ob eam rem quod arguatur malefacere voluiſse? nemo opinor. Nam ego quod ad me attinet, nolim.

Quid nunc? & quæ tandem lex eſt tam acerba quæ dicat, Si quis illud facere voluerit mille nummi dimidium familiæ multa eſto, Si quis plus, quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna eſto, Si quis majorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. Atqui nos omnia plura habere volumus, & id nobis impune eſt.

Sed ſi honorem non æquum eſt haberi ob eam rem quod benefacere voluiſse quis dicit, neque facit, tamen Rhodienſibus tale erit, non quod malefecerunt, ſed quod voluiſse dicuntur facere.

Rhodienſes ſuperbos eſse ajunt, id objectantes quod mihi à liberis meis minime dici velim. Sint

ſane

ſane ſuperbi, quid id ad nos attinet? idne iraſcimini, ſi quis eſt ſuperbior quam nos? *Ibidem.*

Vrbes inſulaſque omnes pro agro Illurico eſſe. *Idem* 11. 3.

Poſtridie ſignis collatis æquo fronte, peditatu, equitibus, atque aliis, cum hoſtium legionibus pugnavit. *Idem* 15. 9.

Recto fronte. *Ibidem.*

Exercitum ſuum pranſum paratum, cohortatum eduxit foras, atque inſtruxit. *Idem* 13.

Illi polliciti ſeſe facturum omnia. *Priſc.* 9.

Quod eorum nemo quiſquam quidquam mihi ignoturus eſt. *Idem* 10.

Origine fluvium Naronem magnum, pulcrum, piſculentum. *Nonius Piſculentum.*

Sed protelo trini boves unum aratrum ducent. *Idem Protelare eſt adjugare.*

Lapis candidior quam pilates. *Feſtus, pilates lapidis genus.*

LIB. VI.

Itaque ego cognobiliorem cognitionem eſſe arbitror. *Gellius* 20. 5.

LIB. VII.

Qui magiſtratum curulem cepiſſet calceos mulleos, allucinatos, ceteri perones. *Feſtus Mulleos genus calceorum.*

Mulieres opertæ auro, purpuraque, ars inhæret diadema, coronas aureas, ruſſea facie, galbeas, lineas pallas, redimicula. *Idem Ruſſium.*

Fluvium Iberum. Is oritur ex Cantabris magnus atque pulcer, piſculentus. *Nonius Piſculentum.*

Sunt in his regionibus ferratiæ argentifodinæ pulcer-

pulcerrumæ: mons ex ſale mero magnus, quantum demas tantum adereſcit. Ventus Cercius cum loquare buccam implet, armatum hominem, plauſtrum oneratum percellit. *Gellius* 2.22. *Apulejus de mundo.*

Iurum legumque cultores. *Cariſ.*1.

Multa me dehortata ſunt huc prodice, anni, ætas, vox, vires, ſenectus: verumenimvero cum tantam rempubl. agier arbitrarer. *Gellius* 13.23.

Eum dicit jus pontificium diſcere noluiſſe. Ego me nunc volo jus pontificium optume ſcire. Iam ne ea cauſſa Pontifex capiar? Ius volo augurium optume tenere. Ecquis ob eam rem Augurem capiat? *Idem* 1.12.

De frumento utrobi, bona utrobi mala gratia capiatur, utrinde iram, utrinde factiones tibi paces. *Cariſius* 1.

Ser. quidem Galbam miſeratione ſola, qua non ſuos modo liberos parvulos in concionem deduxerat, ſed Galli etiam Sulpitii filium ſuis ipſe manibus circumtulerat, elapſum eſſe, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione teſtatum aſt. *Quintilian* 2.15.

Secordia. *Feſtus, Secordia pro ſtultitia.*

INCERTA EX QVIBVS LIBRIS ORIGINVM.

Qui urbem novam condit, tauro & vacca aret, ubi araverit moerum faciat, ubi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portam vocet. *Servius Æn.* 5. *Iſidorus* 15.

Eodem nomine complures ex agro acceſſitavere. Eo res eorum auxit. *Gellius* 23.12.

Si ques ſunt populi. Quium. *Serv. Æneid.* 1.

Mulieres noſtræ capillum flavo cinere ungitabant,

bant, ut rutilus eſſet crinis. *Idem* 4. *Cariſ.* 1.

Oratores am terminnm. *Macrob.* 1. 16.

Dotes filiabus ſuis non dant. *Triſc.* 7.

Ne prædia in lubricum dirigerentur, cum tributus exigeretur. *Nonius, Tributus.*

Ager Gallicus Romanus vocatur qui viritim cis Ariminum datus eſt ultra agrum Picentium. in eo agro aliquotfariam in ſingula jugera dena cullea vini fiunt. *Varro de re ruſt.* 1. *Columella* 2. 2.

In Saurecte, Fiſcello, capræ feræ ſunt quæ ſaliunt è ſaxo pedes plus ſexagenos. *Ibidem.*

Alæ ex lupino. *Servius Georg.* 1.

Q. Cæditius Tribunus ad conſulem venit, oſtendit exitium de loci oportunitate & hoſtium conſtantia. Maturum cenſeo, inquit, ſi rem ſervare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire jubeas, eamque uti occupent, imperes. *Gellius* 3. 7.

Dii immortales Tribuno militum fortunam ex virtute ejus dedere. Nam ita evenit, cum ſaucius multifariam ibi factus eſſet, tum vulnus capiti nullum evenit: eumque inter mortuos defatigatum vulneribus atque ſpirantem, quod ſanguen defluxerat cognovere. Eum ſuſtulere, isque convaluit, ſæpeque poſtilla operam reip. fortem atque ſtrenuam perhibuit: illoque facto, quod illos milites ſubduxit, exercitum ceterum ſervavit. Sed idem benefactum loco in quo ponas nimium intereſt. Leonidas Lacedæmonius laudatur, qui ſimile apud Thermopylas fecit. Propter ejus virtutes omnis Græcia gloriam atque gratiam præcipuæ claritudinis inclutiſſumæ decoravere monumentis, ſignis, ſtatuis, elogiis, hiſtoriis, aliisque rebus gratiſſimum id ejus factum habuere. At Tribuno militum parva laus pro factis reddita,

qui

qui idem fecerat atque rem ſervaverat. *Ibidem*

Biber. Glis. *Cariſius* 1.

Suem triginta porculos peperiſſe in eo loco ubi nunc eſt Lavinium, cumque Æneas ibi urbem condere conſtituiſſet, propterque agri ſterilitatem metueret, per quietem ei viſa Deorum Penatium ſimulacra adhortantium, ut perſeveraret in condenda urbe quam cœperat. Nam poſt annos totidem, quot fetus illius ſuis eſſent, Trojanos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, & urbem clariſſimi nominis in Italia condituros. Igitur Latinum Aboriginum regem cum ei nuntiatum eſſet, multitudinem advenarū claſſe advectam occupaviſſe agrum Laurentem, adverſum ſubitos inopinatosque hoſtes incunctanter ſuas copias eduxiſſe. Ac prius quam ſignum dimicandi daret, animadvertiſſe Trojanos militariter inſtructos, cum ſui lapidibus ac ſudibus armati, tum etiam veſte aut pellibus, quæ eis integumento erant, ſiniſtris manibus involutis, proceſſiſſent. Itaque ſuſpenſo certamine per colloquium inquiſito qui eſſent quidve peterent, utpote qui in hoc conſilium autoritate numinum cogebatur. Namque extis & ſomniis ſæpe admonitus erat, tutiorem ſe adverſus hoſtes fore, ſi copias ſuas cum advenis conjunxiſſet. Cumque agnoviſſet Æneam & Anchiſen bello patria pulſos cum ſimulacris deorum errantes ſedem quærere, amicitiam fœdere iniſſe, dato invicem jurejurando, ut communes quoque hoſtes amicosve haberent. Itaque cœptum à Trojanis muniri locum, quem Æneas ex nomine uxoris ſuæ Latini regis filiæ, quæ jam ante deſponſata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At verò Amatum Latini regis uxorem cum indigne

digne ferret Lavinium, repudiato Turno conſobrino ſuo, Trojano advenæ collocatam, Turnum ad arma concitaviſſe, eamque mox coacto Rutulorum exercitu tetendiſſe in agrum Laurentem, & adverſus eum Latinum pariter cum Ænea progreſſum, inter prœliantes circumventum occiſumque. *Autor de origine gent. Rom.*

Turnum poſtea ad Mezentium confugiſſe ejuſque fretum auxilio bella renovaſſe, quibus Æneas Turnusque pariter rapti ſunt. Migraſſe poſtea in Aſcanium & Mezentium bella: ſed eos ſingulari certamine dimicaſſe, & occiſo Mezentio Aſcanium Iulum cœptum vocari à prima barbæ lanugine, quæ ei tempore victoriæ naſcebatur. *Serv. ad Æn.* 1. & 4.

Trojanos à Latino accepiſſe agrum qui eſt inter Laurentium & caſtra Trojana & habuiſſe jugera DCC. *Idem.* 11.

Politem ad Italiam veniſſe, & ſegregatum ab Ænea condidiſſe oppidum Politorium à ſuo nomine. *Idem* 5.

Civitatem quam primo fecit Æneas, Trojam dictam. *Idem* 7.

Metabus pulſus à gente Volſcorum, quæ Etruſcorum poteſtate regebatur. *Idem* 11.

Primo Italiam tenuiſſe quoſdam qui appellabantur Aborigines. Hos poſtea adventu Æneæ Phrygibus junctos Latinos uno nomine nuncupatos. *Idem* 1.

Aſcanium triginta annis expletis Albam condidiſſe. *Ibidem.*

Romam quadringentis triginta duobus annis poſteriorem bello Iliaco. *Dionyſius* 1.

Aboriginum gens Græca fuit. *Ibidem.*

Capuam ab eiſdem Tuſcis conditam, ac ſubinde No-

de Nolam: ſtetiſſe autem Capuam antequam à Romanis caperetur annis circiter CCLX. *Vellejus* 1. *ubi Catonis errorem notat.*

Faliſca Argis orta. *Plinius* 3. 5.

Interiiſſe Thebas Lucanas. *Ibidem* 11.

Ameriam ante Perſei bellum conditam annis DCCCCLXII. *Ibidem* 14.

Interiiſſe Boias, quorum tribus CXII fuiſſe. *Ibidem* 11.

Verto comacoræ pagus Lugurum. *Ibidem* 17.

Oppidum Orobiorum Barra. unde Bergomates dictos. *Ibidem.*

Orobiorum ſtirpis eſſe Comum atque Bergomum, & Licini forum, & aliquot circa populos: ſed originem ſe ignorare. *Ibidem.*

Venetos Trojana ſtirpe ortos, Cenomanno juxta Maſſiliam habitaſſe. *Ibidem* 19.

Latini juris Euganeæ gentes, quarum oppida XXXIV. ex iis Triumpilini venalis cum agris ſui populus. Deinde Camani compluresque ſimiles finitimis attributi municipiis: Lepontii & Salaſſi Tauriſcæ gentis. *Ibidem* 20.

Ideo Graviſcæ dictæ ſunt, quod gravem aerem ſuſtinent. *Servius* 10.

Alpes muri vice tuebantur Italiam. *Ibidem.*

Larius eſt locus vicinus Alpibus, qui per LX tenditur millia. *Idem Georg.* 2.

A Philocteta condita jam pridem civitate Petilla murum tantum factum. *Idem Æneid.* 7.

Hæc Drepana civitas Siciliæ. *Ibidem.*

A laniis boves immolatos priuſquam cæderentur, profugiſſe in Siciliam. *Idem* 10.

Quia is locus montibus præſtet, Præneſte oppido nomen dedit. *Idem* 7.

Capenos Veientum condidiſſe auxilio regis

Proper-

Propertii, qui eos Capenam cum adoleviſſent, miſerat. *Ibidem.*

Sabinos à Sabo loci dæmone trahere originem: Sabinorum etiam mores populum Rom. ſecutum. *Idem* 8. *& Dionyſius* 2.

Qui Piſas tenuerint ante adventum Etruſcorum negat ſibi compertum: ſed inveniri Trachonem Tyrrheno oriundum poſtquam eorundem ſermonem acceperat, Piſas condidiſſe: cum ante regionem eandem Teutones quidem Græce loquentes poſſederint. *Idem* 10.

Albonem montem Albanum dictum. *Idem* 12.

Clypei Græcorum rotundi. *Idem* 4.

Tiburtum, ut Cato teſtimonium facit à Catillo Arcade præfecto claſſis Evandri, ſicut Sextius, ab Argiva juventute. *Solinus* 9.

Cato cum imperatorum nomina annalibus deſcriberet, eum (elephantum) qui fortiſſime prœliatus eſſet in Punica acie, Surum tradidit vocitatum, altero dente mutilato. *Plin.* 8. 5.

Mos apud majores hic epularum fuit, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atq; virtutes. *Cicero in Tuſcul.*

Legiones Romanas in eum ſæpe locum profectas alacri animo & erecto, unde ſe nunquam redituras arbitrarentur. *Idem in Catone.*

Multa auguria, multa auſpicia, ne negligentia collegii amiſſa plane & deſerta. *Idem de divinat.*

M. PORCII CATONIS DE RE MILLITARI LIBER.

Scio ego quæ ſcripta ſunt ſi palam proferantur, multos fore qui vitilitigent; ſed ii potiſſimum qui

qui veræ laudis expertes ſunt: eorum ego orationes ſino præterfluere. *Plinius in Præfatione.*

Quam gladiator diſciplinoſus. *Nonius diſciplin.*

Quom magiſtratus nihil audet imperare, ne quid conſul auſpicii peremat. *Feſtus peremere.*

Vt populus ſua opera potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quam re male geſta coronatus veneat. *Gellius* 7. 4.

Inde partem equitatus atque ferentarios prædatum miſit. *Nonius Ferentarii.*

Procubitores dicuntur fere velites qui noctu cuſtodiæ cauſſa ante caſtra excubant, cum caſtra hoſtium in propinquo ſunt. *Feſtus Procubitores.*

Ferentarios eos eſſe qui tela ac potiones militibus pugnantibus miniſtrabant. *Idem Velites.*

Sive forte opus ſit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut ſerra, uti adoriare. *Idem ſerra prœliari dicitur.*

Tertia è caſtris eductio celeris properaque eſt. *Idem Propera pro celeri, ac ſtrenua.*

Vna depugnatio eſt fronte longo, quadrato exercitu. *Nonius frons maſcul.*

Primo pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas. *Iun. Philarg. in* 4. *Georg.*

Satis celeris ſis in tempore. *Priſc.* 7.

Acenſos miniſtratores Cato eſſe ſcribit. *Varro de L. Lat.* 4.

In furto comprehenſis inter commilitones dextras eſſe præciſas, aut ſi levius animadvertere voluiſſent, in principiis ſanguinem miſſum. *Frontinus* 1. 4. *Strategem.*

Fragmenta orationum & aliorum Catonis librorum jam ante dedit Popma cum ejus libro de Re ruſtica.

A. Pos-

A. POSTVMIVS ALBINVS

Anno urbis IↃCIII. *conſul fuit cum L. Licinio Lucullo, biennio quaſi ante tertium bellum Punicum. Præter Hiſtoriam Græcam etiam annales Latinos elaboravit.*

A. POSTVMII ALBINI ANNALIVM LIB. I.

Ea cauſa ſeſe ſtultum brutumque faciebat, groſſulos ex melle edebat. *Macrob.* II. 16.

HISTORIA GRÆCA.

Neminem ſuccenſere ſibi convenire, ſi quid in his libris parum compoſite, aut minus eleganter ſcriptum foret. Nam ſum, inquit, homo Romanus, natus in Latio. Græca oratio à nobis alieniſſima eſt; ideoque veniam gratiamque malæ exiſtimationis ſi quid eſſet erratum, poſtulavit. *Gellius* II. 7.

DE ADVENTV ÆNEÆ LIBER.

Mezentium fugam facere coegerunt, & poſtea per legatos amicitiam ſocietatemque Latinorum impetravit. *Autor de orig. gent. Rom.*

Bajani Euxini comitis Æneæ nutrice, & ab ejus nomine Bajas vocatas. *Servius* 9.

CN. GELLIVS

Proxime ab anno urbis IↃCXXX. *floruit. Annales ſcripſit. Opus immenſum fuiſſe vel illud indicio ſit, quod librum nonageſimum & ſeptimum citet Cariſius. Quamquam more veterum,*

ſingulis Hiſtoriæ diaſtematis, etiam breviſſimis, libri nomen dare potuerit Gellius.

CN. GELLII ANNALIVM

LIB. II.

Deabus ſupplicant. *Cariſius* I.

Multitudo puerorum jam erat ex raptabus. *Ibidem.*

LIB. III.

Herſiliam, cum apud T. Tatium verba faceret, pacemque oraret, ita precatam eſſe, NERIA Martis te obſecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis & proſperis uti, quod de tui conjugis conſilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos ſibi & ſuis poſteris patriæ pararent. *Gellius* 13. 21.

Capite cum aliis paucabus conſilium. *Cariſius* I.

LIB. V.

Puellabus. *Ibidem.*

LIB. VII.

Pro duabus pudicabus.

LIB. XV.

Anno ab urbe condita CCCLXIII. à Tribunis militum Virgilio, Manlio, Cœlio, Poſtumio, collegisq; eorum in Senatu tractatum, quid eſſet, propter quod totiens inter paucos annos male eſſet afflicta reſpublica, & ex præcepto patrum L. Aquinium aruſpicem in Senatum venire juſſum, religionum requirendarum gratia, dixiſſe, Q. Sulpitium Trib. milit. ad Alliam adverſus Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia feciſſe

ciſſe poſtridie Idus Quinctilis. Item apud Cremeram, multisque aliis temporibus & locis, poſt ſacrificium die poſtero celebratum, male ceſſiſſe conflictum. Tunc Patres juſſiſſe ut ad collegium Pontificum de his religionibus referretur, Pontificesque ſtatuiſſe poſtridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos ut hi dies neque prœliares, neque puri neque comitiales eſſent.

LIB. XXX.

Calvariaque ejus ipſum oſſum expurgaverunt, inauraveruntque. *Cariſius* 1. *Priſc.* 7.

LIB. XCVII.

Portabus. Oleabus. *Cariſ.* 1.

Ex Incertis.

Fora navium. *Ibidem.*

Regerum. Lapiderum. Calchæ. *Ibidem.*

Poſtquam tempeſtas ſedavit, Atherbal taurum immolavit. *Gellius* 18. 12.

Deliquium Solis, & Deliquionem. *Serv.* 8.

Senatum decreſſe, ut ædes Saturni fieret, eique rei L. Furium Trib. milit. præfuiſſe. *Macrobius* 1. 12.

Fannia lex lata eſt anno poſt Romam conditam DXXCIIX. *Idem* 2. 13.

Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente eſt excitata, &c. *Cicero de divinat.* 1.

Quartos ludos ſæculares poſt annum factos tertium, C. Cornelio Lentulo. L. Mummio Achaico Coſs. id eſt, DCVIII anno. *Cenſorin. de die natali.*

L 2 Literas

Literas apud Ægyptios à Mercurio repertas. *Plinius* 7. 56.

Doxius Cœli filius lutei ædificii inventor exemplo ſumto ab hirundinum nidis. *Ibidem.*

Soli Oceani filio medicinæ quoque inventionem & mellis aſſignat. *Ibidem.*

Menſuras & pondera Palamedes invenit. *Ibid.*

Cadmus ex Phœnice in Græciam, inde Evander in Italiam attulit literas. *Victorin. de Orthogr.*

Sabinos à Sabino Lacedæmonio trahere originem. *Servius* 8.

Raptum Sabinarum anno quarto regni Romuli accidiſſe. *Dionyſius* 1.

Numam exemplum Saliorum ſumſiſſe ab Ardeatibus. *Idem.* 2.

Vnicam filiam reliquit Numa, unde natus eſt Ancus Martius, qui tertius ab illo fuit rex Romanorum. *Ibidem.*

Tarquinius Priſcus Romam venit Anco Martio regnante, anno regni primo. *Idem* 4.

SEX. GELLIVS

Ejuſdem ferè cum Cn. Gellio ætatis. In origine gentis Romanæ ab Aurelio Victore (ſi modo is ejus libelli auctor) memoratur.

SEX. GELLII ORIGO GENTIS ROMANAE.

Lavinia ab Ænea gravida relicta, metu, veluti inſecuturi ſe Aſcanii, in ſilvam profugit ad magiſtrum patrii pecoris Tyrrhum, ibique enixa eſt puerum, qui à loci qualitate Silvius eſt dictus. *Autor de origine gent. Rom.*

AGELLIVS

Hic idem cum Cn. Gellio fuiſſe videtur. Gellii enim

& Agel-

& Agellii nomen in MSS. confundi quivis novit.

AGELLII HISTORIARUM
LIB. I.

Et quod bubo in columna ædis Iovis conſpe-ctus eſt. *Nonius Bubo maſcul.*

L. CALPURNIUS PISO FRUGI

Ille eſt, qui primus legem de repetundis tulit, ab eo Calpurniam nominatam. Vixit anno V.C. IↃCV. *Annales edidit, auctor gravis Plinio, exilis dictionis Ciceroni.*

L. CALPURNII PISONIS FRUGI CENSORII ANNALIUM
LIB. I.

Eundem Romulum dicunt ad cenam vocatum ibi non multum bibiſſe; quia poſtridie negotium haberet. Ei dicunt, Romule ſi iſtuc omnes homines faciant, vinum vilius ſit. Is reſpondit, immo vero rarum, ſi quantum quisque volet bibat. Nam ego bibi quantum volui. *Gellius* 11. 14.

Cujus unius præmio multorum allicuit animos. *Priſcian.* 10.

Italia à vitulis. *Varro de re ruſt.* 2.

Sabino bello quod fuit Romulo & Tatio, virum fortiſſimum Metium Curtium Sabinum cum Romulus cum ſuis ex ſuperiore parte impreſſionem feciſſet, Curtium in locum paluſtrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacæ ſunt factæ, ſeceſſiſſe, atque ſuos in Capitolium recepiſſe. Ab eo lacum inveniſſe nomen. *Idem de L. Lat.* 4.

Ianualis dicta ab Iano, & ideo ibi poſitum Iani ſignum, & inſtitutum à Numa Pompilio ut ſit

clauſa ſemper, niſi cum bellum ſit. *Ibidem.*

Fulmen evocatum à Porſena rege, & ante eum à Numa ſæpius hoc factitatum. *Plin.* 2. 53.

Tullum Hoſtilium regem ex Numæ libris eodem quo illum ſacrificio Iovem cœlo devocare conatum, quoniam parum rite quædam feciſſet, fulmine ictum. *Idem* 28. 2.

X L. millia pondo argenti ſepoſita in ædificationem Capitolii. *Livius* 1.

Numa ſenio & lenta ægritudine pedetentim contabuit. *Plutarch. in Numa.*

Tarpeiam præclari facinoris deſiderio id feciſſe, ut hoſtes armis corpus protegentibus denudatos, ſuis civibus objiceret. *Dionyſ.* 2.

Cum vellet ſcire (Tullius) & quis eſſet numerus urbanæ multitudinis, & eorum qui naſcebantur, & eorum qui moriebantur, & eorum qui in virorum numerum referebantur, ſtatuit quanti pretii nummum pro ſingulis cognati inferre deberent in ærarium Ilithyæ, quam Romani vocant Iunonem Lucinam, pro iis qui naſcerentur, & in ærarium Veneris quod in luco eſt quam Libitinam nuncupant, pro iis qui morerentur, & in juventutis pro iis qui inter viros referri inciperent. Vnde dignoſcere poterat quotannis, & qui eſſet omnium civium numerus, & qui ex illis eſſent militari ætate. *Idem.* 4.

LIB. II.

L. Tarquinium collegam ſuum quia Tarquinium nomen eſſet metuere, eumque orat uti ſua voluntate Roma concedat. *Gell.* 15. 39.

Quodcunque deliquiſſet ignoſciturum affirmabat. *Priſcian.* 10.

Clœliæ ſtatuam ab iis poſitam qui una obſides fuerant,

fuerant, redditis à Porſena in honorem ejus. *Plinius* 34. 6.

A. Poſtumius Dictator apud lacum Regillum caſtris Latinorum expugnatis, ei, cujus maxime opera capta eſſent, auream coronam ex præda dedit. *Idem* 32. 2.

In Aventinum ſeceſſionem factam eſſe. *Livius* 2.

Tum primum tributis comitiis creati tribuni ſunt, numero etiam additi tres, perinde ac duo ante fuerint, Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Buellium, Sp. Icilium, L. Mecilium. *Ibidem.*

LIB. III.

Cn. Flavius parte libertino natus ſcriptum faciebat, isque in eo tempore Ædili Curuli apparebat, quo tempore Ædiles ſubrogantur; eumque primæ tribus Ædilem Curulem renuntiaverunt. At Ædilis qui comitia habebat, negat accipere, neque ſibi placere qui ſcriptum faceret, eum Ædilem fieri. Cn. Flavius Anni filius dicitur tabulas poſuiſſe, ſcriptu ſeſe abdicaſſe: isque Ædilis Curulis factus eſt. Idem Cn. Flavius Anni F. dicitur ad collegam veniſſe viſere ægrotum, & in conclave poſtquam introivit, adoleſcentes ibi complures nobiles ſedebant. Hi contemnentes eum, aſſurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Anni F. id arriſit. Sellam curulem juſſit ſibi adferri; eam in limine appoſuit, ne quis eorum exire poſſet; utique ii omnes inviti viderent ſeſe in ſella curuli ſedentem. *Gellius* 6. 9.

LIB. VII.

Roma condita, anno DCXVI ſæculum accipit his Conſulibus, quîs proximi ſunt Conſules M.

Æmilius, M. F. Lepidus, C. Popillius II. abſens. *Cenſorinus de die natali.*

Ex Incertis.

Turnum matruelem Amatæ fuiſſe, interfectoque Latino mortem ipſum ſibimet conſciviſſe. igitur Æneam occiſo Turno rerum potitum. *Autor de origine gent. Rom,*

Creati Coſs. L. Poſtumius, T. Minucius. Hos Coſs. Piſo, Q. Fabio & P. Decio ſuggerit, biennio exemto. *Livius 9.*

Eo anno Ædiles Curules fuiſſe C. Domitium Cn. F. Calvinum, & Sp. Carvilium Q. F. Maximum. *Idem* 10.

Quinque millia hominum cum Mago cedentes noſtros effuſe ſequeretur, cæſa ex inſidiis. *Idem* 35.

Victoria L. Metelli Pont. anno II. elephanti CXLII. fuere transvecti. L. Piſo inductos duntaxat in circum, atque ut contemtus eorum increſceret, ab operariis haſtas præpilatas habentibus, per circum totum actos. *Plinius* 20. 6.

Papirium Maſsonem qui primus in monte Albano triumphavit de Corſis, myrto coronatum ludos Circenſes ſpectare ſolitum. *Idem* 15. 29.

Contra Hieronem regem CCXX. naves effectas diebus XLV. *Idem* 16. 39.

Ab Aquileia ad XII. lapidem deletum oppidum, etiam invito Senatu, à M. Claudio Marcello. *Idem* 3. 19.

M. Æmilio, C. Popillio II. Coſs. à Cenſoribus P. Cornelio Scipione, M. Popillio ſtatuas circa forum eorum qui magiſtratum geſserunt, ſublatas omnes, præter eas quæ populi aut Senatus ſententia ſtatutæ eſsent. Eam vero quam apud

ædem

ædem Telluris ſtatuiſſet ſibi Sp. Caſſius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam à Cenſoribus. *Idem* 34. 6.

Triclinia ærata, abacoſque, & monopedia Cn. Manlium Aſia devicta primum invexiſſe triumpho ſuo, quem duxit urbis anno DLXVII. *Ibidem* 3.

Romæ in Capitolio in ara Iovis bello Perſei enata palma, victoriam triumphosque portendit. Hac tempeſtatibus proſtrata, eodem loco ficus enata eſt, M. Meſſalæ C. Caſſi Cenſorum luſtro: à quo tempore pudicitiam ſubverſam Piſo gravis autor prodidit. *Idem* 17. 25.

C. Furius Cretinus è ſervitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex ampliſſimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta metuens damnationem, cum in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque ut ait Piſo, bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderoſos, boves ſaturos. Poſt ea dixit, veneficia mea Quirites hæc ſunt, nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque, & ſudores. Omnium ſententiis abſolutus eſt. *Idem* 18. 6.

Queritur adoleſcentes peni deditos eſſe. *Cicero Epiſt.* 9. *ad Pætum.*

Quartos ludos ſæculares poſt annum factos tertium, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico Coſs. id eſt, DCVIII. anno. *Cenſorin. de die natali.*

Quartam Sibyllam Cumæam in Italia nominat. *Lactantius* 1. 7.

COMMENTARIORVM

LIB. I.

In his libris ſcripta erant Philoſophiæ Pythagoricæ, eosque combuſtos à Q. Petellio Prætore, quia Philoſophiæ ſcripta eſſent. Sed libros ſeptem juris Pontificii totidemque Pythogoricos fuiſſe. *Plinius* 13. 13.

Ex Incertis.

Pilumnum dictum quia pellat mala infantiæ. *Servius* 10.

Vxorem Vulcani Majeſtam, non Majam vocari. *Macrobius* 1. 12.

Vitulam Victoriam nominari, cujus rei hoc argumentum profert, quod poſtridie Nonas Iulias re bene geſta, cum pridie populus à Tuſcis in fugam verſus ſit. Vnde Populifugia vocantur, poſt victoriam certis ſacrificiis fiat vitulatio. *Idem* 3. 2.

Novenſiles Deos eſſe novem in Sabinis, apud Trebiam conſtituros. *Arnobius* 3.

Lvtativs

Incertæ ætatis ſcriptor. ſi conjecturas tamen ſequi licet, æqualis fuerit Varronis. Communes Hiſtorias, ut eas vocat Servius, conſignavit.

LVTATII COMMVNIVM Historiarvm

LIB. I.

Recordatum Æneam, quod aliquando ei reſponſum eſſet, urbi condendæ quadrupedem futuram

turam ducem. Tum ſimulacris deorum Penatium proſecutum, atque illum ubi illa procubuit, enixaque eſt porculos triginta, ibidem auſpicatum. *Autor de origine gent. Rom.*

LIB. III.

Latinum pariter cum Ænea progreſſum inter prœliantes circumventum occiſumque. Nec tamen omiſſo ſocero Æneas Rutilis obſiſtere deſiit. Namque & Turnum interemit hoſtibus fuſis fugatisque, victor Lavinium ſe cum ſuis recepit, conſenſuque omnium Latinorum Rex declaratus eſt. *Ibidem.*

Poſt eum (Latinum Silvium) regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius. Qui cum adverſus finitimos bellum inferentes copias eduxiſſet, inter prœliantes depulſus in Albulam flumen deperiit, mutandique nominis exſtitit cauſſa. *Ibidem.*

LIB. IV.

Cumanos incolas à parentibus digreſsos Parthenopen urbem condidiſse, dictam à Parthenope Sirena, cujus corpus etiam poſtquam ob locorum ubertatem amœnitatemque magis cœptum ſit frequentari, veritos ne Cymæam desererent, iniſse conſilium Parthenopen diruendi: poſt etjam peſtilentia affectos ex reſponſo oraculi urbem reſtituiſse, ſacraque Parthenopes cum magna religione ſuſcepiſse. Nomen autem Neapoli ob recentem reſtitutionem impoſuiſse. *Philargyrius in 4. Georgic.*

EX INCERTIS.

Non modo Antenorem, ſed etiam ipſum Æneā proditorē patriæ fuiſse. *Autor de origine gent. Rom.*

Bajani

Bajani Euxini comitis Æneæ nutrice & ab ejus nomine Bajas vocatas. *Servius 9.*

Eum locum eſse fulguritum, & ex Sc. ſeptum eſse, idque factum eſse à Curtio conſule, cui M. Lenutius fuit collega, Curtium appellatum. *Varro de L. Lat. 9.*

Romam conditam Olympiadis VII. anno II. *Solinus.*

L. COELIVS ANTIPATER

Circa annum urbis IↃCXXIV. *florere cœpit. Bellorum Punicorum Hiſtoriam contexuit. Scriptor, teſte Tullio, iſtis temporibus luculentus.*

L. COELII ANTIPATRI ANNALIVM, ſive HISTORIARVM BELLI PVNICI SECVNDI, ad L. Ælium Stilonem.

LIB. I.

Ne aut verba trajiciantur apertè, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio: quod ſe L. Cœlius Antipater in procœmio belli Punici, niſi neceſſario, facturum negat. *Cicero in Oratore.*

Legati quo miſſi ſunt veniunt, dedicant mandata. *Nonius Dedicare.*

Cum jure ſine periculo bellum geri poteratur. *Idem Poteratur.*

Qui cum iis ita fœdus icitis. *Priſc. 10.*

Neque ipſi eos alii modi eſse atque Hamilcar dixit oſtendere poſsunt aliter. *Idem 12.*

Antequam Barcha perierat alii rei cauſsa in Africam eſt miſsus. *Ibidem.*

Qui intelligunt, qui faciunt, diſsentiuntur. *Idem 8.*

Quarto Coſs. *Gellius 10. 1.*

Sempro-

Sempronius Lilybæo celocem in Africam mittit viſere locum ubi exercitum exponat. *Cariſ.* 2.

Duodecies C. mil. paſsuum longe. *Ibidem.*

Commodum eſſe ſatis videtur. *Ibidem.*

Saguntinorum. *Idem* 1.

Dextimos in dextris ſcuta jubet habere *Priſc.* 3.

Armis & magno commeatu, & præda ingenti copiantur. *Nonius Copiantur.*

Domus ſuas quemque ire jubet, & ſua omnia fruniſci. *Idem Fruniſci.*

Arma plerique abjiciunt, atque inermi in latebras ſe illatebrant. *Idem Illatebrare.*

Et Latini ſubnixo animo ex victoria inerti conſilium ineunt. *Idem Subnixum.*

Primum malo publico gratias ſingulatim nomina. *Idem Singulatim.*

LIB. II.

Si vis mihi equitatum dare, & ipſe cum cetero exercitu me ſequi, die quinti Romæ in Capitolium curabo tibi cena ſit cocta. *Gellius* 10. 24. *Macrob.* 1. 4.

LIB. III.

Imperator conclamat de medio, ut velites è ſiniſtro cornu removeantur, Gallis non dubitatim immittantur. *Nonius Dubitatim.*

LIB. IV.

Cuſtodibus diſceſſis multi interficiuntur. *Priſcian.* 9.

LIB. V.

Morboſum factum, ut ea quæ oportuerint, facta non ſint. *Idem* 8.

Nullius

Nullius alius rei niſi amicitiæ eorum cauſsa. *Idem* 13.

At aliquam huic bello finem facere. *Nonius finem feminin.*

LIB. VI.

Conſulto non pauciens acceſſitum. *Idem Pauciens.*

Omnes ſimul terram cum claſſi accedunt, navibus atque ſcaphis egrediuntur, caſtra metati ſigna ſtatuunt. *Idem Metari.*

Ipſe cum cetera copia pedetentim ſequitur. *Idem Pedetentim.*

LIB. VII.

Reſpublica amiſsa, exfundato pulcerrumo oppido. *Idem Exfundare.*

Duos & ſeptuaginta lictores domum deportaviſſe faſces, qui ductoribus hoſtium ante ſoluerint ferri. *Idem Soluerint.*

Ipſe regis eminus equo ferit pectus advorſum, congenuclat, percuſsus dejecit dominum. *Idem Congenuclare.*

Ita uti ſeſe quiſque vobis ſtudeat æmulari in ſtatu fortunæ reipublicæ, eadem re geſta, topper nihilo minore negotio acto, gratia minor eſſet. *Feſtus Toppor fortaſſe.*

Conſuetudine uxoris indulgitate libertum. *Servius Georg.* 2.

Ex Incertis.

Ex ſcriptis eorum qui veri arbitrantur. *Priſcian.* 8.

Vbi ſenatus intellexit populum depeculari. *Ibidem.*

Nullæ

Nullæ nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi ſpatio datas arbitror quam vobis. *Idem.*

Tantum bellum ſuſcitare conari adverſarios contra belloſum genus. *Nonius Belloſum.*

Puplicatos quippe faſtos omnes, & libros à Fulvio Nobiliori ſcriptos reliquiſse. *Cariſ.* 1.

Nucerum. Dii, pro diei. *Ibidem.*

Subinde. *Idem* 2.

Parricidatum. *Quintilian.* 1.

Pelia cincinnatus. *Idem* 10.

Delinquere frumentum, Sardiniam hoſtes tenere. *Servius Æneid.* 4.

Mauruſii qui circa Oceanum colunt. *Ibidem.*

Eſt in fano ſignum Apollinis ligneum, altum non minus pedes xv. *Idem* 6.

Calvaria. *Caper de orthographia.*

Qua tempeſtate Pœnus in Italiam venit. *Cicero in Bruto.*

Annibalem cum columnam auream, quæ eſſet in Fano Iunonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque utrum ea ſolida eſſet an extrinſecus inaurata, perterebraviſſe: cumque ſolidam inveniſſet, ſtatuiſſe eam tollere. Secundum quietem viſam eſſe ei Iunonem prædicere ne id faceret, minitarique ſi id feciſſet, ſe curaturum ut eum quoque oculum quo bene videret, amitteret; idque ab homine acuto non eſſe neglectum. Itaque ex eo auro quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam, & eam in ſummo columnæ collocaviſſe. *Idem de divinat.* 1.

Cum bello Latino ludi Votivi maximi primam fierent, civitas ad arma repente eſt excitata. Itaque ludis intermiſſis Inſtaurativi conſtituti ſunt, &c. *Ibidem.*

C. verò

C. verò Graccus multis dixit, ſibi in ſomnis quæſturam petenti Tib. fratrem viſum eſſe dicere, quàm vellet cunctaretur, tamen eodem ſibi leto quo ipſe interiſſet, eſſe pereundum. Hoc antequam Trib. pleb. Graccus factus eſſet, & ſe audiſſe, & dixiſſe multis. *Ibidem.*

Eo ipſo tempore cùm hoc calamitoſum fieret prœlium, quo C. Flaminius occiſus eſt, tantos terræ motus in Liguribus Galliæ compluribuſque inſulis, totaque in Italia factos eſſe, ut multa óppida corruerint, multis locis labes facta ſit, terræque deſederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque amnes mare influxerint. *Ibidem.*

Per Cremonis jugum tranſiſſe Annibalem. *Livius* 31.

Servati Conſulis P. Scipionis decus ad ſervum natione Ligurem delegat. *Ibidem.*

Magonem cum equitatu & Hiſpanis peditibus flumen extemplo transnataſſe: ipſum Annibalem per ſuperiora Padi vado exercitum traduxiſſe, elephantis in ordinem ad ſuſtinendum impetum fluminis oppoſitis. *Ibidem.*

Fabium Dictatorem adverſus Annibalem rem geſſiſſe. Etiam eum primum à populo creatum Dictatorem. *Idem* 32.

Romam euntem ab Ereto divertiſſe eo Annibalem tradit, iterque ejus ab Reate, Cutiliiſque, & ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos perveniſſe, prætereque oppidum Sulmonem in Marrucinos tranſiſſe: inde Albenſi agro in Marſos: hinc Amiternum Foruloſque vicum veniſſe. *Idem* 36.

Eiſdem diebus naves onerarias Pœnorum ad LXXX. circa Sardiniam ab C. Octavio, qui provinciæ

nciæ præerat, captæ. Eas frumento miſſo ad nnibalem, commeatuq; onuſtas tradit. *Idem* 38.

Quantum militum in Africam tranſportatum t à P. Scipione, non parvo numero inter auto-es diſcrepat. Cœlius, ut abſtinet numero, ita ad nmenſum multitudinis ſpeciem auget, volucres d terram delapſas clamore militum ait, tantamque multitudinem conſcendiſſe naves, ut nemo nortalium aut in Italia aut Sicilia relinqui videretur. *Idem* 39.

Præterquam quod non merſas fluctibus naves, ceteros omnes cœleſtes maritimoſque terrores, poſtremo abreptam tempeſtate ab Africa claſſem ad inſulam Ægimurum inde ægre correctum curſum, & prope obrutis navibus injuſſu Imperatoris, ſcaphis, haud ſecus quam naufragos milites ſine armis cum ingenti tumultu in terram evaſiſſe. *Ibidem*.

Captum Hannonem tradit. *Ibidem*.

Vidiſſe ſe qui navigaſſet ex Hiſpania in Æthiopiam, commercii gratia. *Plinius* 2. 17. *Capella Philolog.* 1.

Alpes in longitudinem decem millia paſſuum patere à ſupero mari ad inferum. *Idem* 3. 19.

Duos elephantos Antiocho regi in bellicis uſibus celebres etiam cum nominibus fuiſſe, noviſſeque ea. *Idem* 8. 5.

In Averno etiam folia ſubſidere. *Idem* 20. 1. 12.

Trojanum Capyn condidiſſe Capuam, eumque Æneæ fuiſſe ſobrinum. *Serv. ad* 10. *Æneid.*

Eo argumento colligit Romam à Græcis eſſe conditam, quòd Romani Græco ritu, antiquo inſtituto Herculi rem ſacram faciunt. *Strabo*. 5.

Q. Æ-

Q. ÆLIVS TVBERO

Floruit anno IↃC XLIX, *& libros edidit Hiſtoriarum. Ad C. Oppium etiam, & de officio judicis quædam ſcripſit. Ciceroni in oratione pro Murena vir eruditiſſimus, homo integerrimus, & civis optimus vocatur.*

Q. ÆLII TVBERONIS HISTORIARVM LIB. I.

Si quid à parentibus acceptum protinus antiquæ memoriæ tradiderunt. *Nonius Protinus.*

Equus Trojanus machinamentum bellicum fuit quod equus appellatur, ut aries & teſtudo quibus muri vel diſcuti vel ſubrui ſolét. *Serv. ad 2. Æneid.*

Cum Aſcanius ab univerſo populo ad reſtituendam Laviniam cogeretur, juraretque ſe neque interemiſſe, neque ſcire ubi eſſet, Tyrrhum petito ſilentio in illa concionis frequentia profeſſum indicium, ſi ſibi Laviniæque, pueroque ex eá nato fides incolumitatis daretur, tumque eum acceptam Laviniam in urbem cum filio reduxiſſe. Poſt hæc Aſcanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novæ urbis, &c. *Autor de origene gent. Romana.*

Servium Tullium Regem populi Rom. cùm illas quinque claſſes juniorum cenſus faciendi gratia inſtitueret, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptendecim, atque inde ab anno ſeptimo decimo, quod idoneos jam eſſe reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe, eoſque ad annum quadrageſimum ſextum juniores, ſupraque eum annum ſeniores appellaſſe. *Gellius* 10. 28.

LIB. IV.

Inimiciter iraſcendum non eſt. *Cariſ.* 2.

LIB.

LIB. XIV.

Pars omnis luxuriabat. *Nonius Luxuriabat.*

Ex Incertis Libris.

Numitoris Paſtores cum præſenſiſſent illos adoleſcentes Lupercalia celebraturos, & Pani more Arcadico, ut Evander inſtituerat, ſacrificium facturos, illo ſacrorum tempore inſidias faciunt. *Dionyſius* 1.

M. Manlium & Q. Sulpitium Coſs. in eum annum edunt. *Livius* 4.

Q. Fabium Cos. ipſum autorem fuiſſe differendi ſibi conſulatus. *Idem* 10.

Bello Punico primo Atilium Regulum Conſulem in Africa caſtris apud Bagradum flumen poſitis, prœlium grande atque acre feciſſe adverſus unum ſerpentem illic ſtabulantem, inuſitatæ immanitatis: eumque magna totius exercitus conflictione, balliſtis atque catapultis diu oppugnatum, ejuſque interfecti corium longum pedes centum & viginti Romam miſiſſe. *Gellius* 6. 3.

Eundem Regulum rediſſe Carthaginem, noviſque exemplorum modis excruciatam à Pœnis dicit; In atras, inquit, & profundas tenebras eum claudebant, ac diu poſt ubi erat viſus Sol ardentiſſimus, repente educebant, & adverſus ictus Solis oppoſitum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant, palpebras quoque ejus ne connivere poſſet ſurſum ac deorſum diductas inſuebant. *Ibidem* 4.

DE OFFICIO IUDICIS LIBER.

Præcepta Ælii Tuberonis ſuper officio judicis. *Idem* 14. 2.

AD

AD C. OPPIVM LIBER.

Si generalis ſpecies occurrit. *Idem* 7.9.

Ex Incertis.

Hinc in milleſimum annum eorum columine civitas continebitur. *Donatus in Phorm. Terent.*

Nam delinquet aut ſuperet aliquid tibi. *Servius Æneid.*4. *Delinquere, deficere.*

Nullum Senatuſconſultum fieri poſſe non diſceſſione facta: quia in omnibus ſenatuſconſultis, etiam in iis quæ per relationem fierent, diſceſſio eſſet neceſſaria. *Gell.* 14.7.

Præfectum urbi Latinarum cauſſa relictum Senatum habere poſſe. *Ibidem* 8.

P. Rutilius Rufus

Cum Cn. Mallio urbis Conſul, Ælio Tuberoni coætaneus fuit. & de vita ſua, & belli Numantini hiſtoriam compoſuit. Innocentiæ exemplum à Tullio vocatur.

P. RVTILII RVFI HISTORIARVM LIBRI.

Ex Incertis.

Admirationi fuiſſe philoſophorum trium ſui cujuſque generis facundiam, violenta & rapida Carneades dicebat, ſcita & teretia Critolaus, modeſta Diogenes & ſobria. *Idem* 7.14.

Romanos inſtituiſſe nundinas, ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die, intermiſso jure, ad mercatum legeſque accipiendas Romam venirent, & ut ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino

undino die propoſita à ſingulis atque univerſis oſcebantur. *Macrobius* 1. 16.

Pompeii patrem hominem teterrimum oſtenit. *Plutarchus in Pompeio.*

Scipionem hoc anno (DLXXI.) mortuum. *Livius* 40.

DE VITA SVA

LIB. I.

Pompeius elaboravit, uti populum Romanum noſſet, eumque artificioſe ſalutaret. *Cariſ.* 2.

LIB. II.

Animo conſtante. *Idem* 1.

LIB. III.

Pro L. familiare veniebam. *Ibidem.*

LIB. IV.

Vectigalium. *Ibidem.*

LIB. V.

Ex orbi terrarum. *Ibidem.*

Ardile. *Ibidem.*

EX INCERTO.

Quod ſi me invitum abire ſiniſset. *Diomedes.*

Vni una oſtentata eſt. *Ibidem.*

DE MODO ÆDIFICIORVM ORATIO.

Orationes Q. Metelli de prole augenda, & Rutilii de modo ædificiorum. *Suetonius in Augusto.*

PRO L. CÆRVCIO AD POPVLVM.

Quod ego me ſpero oſtenturum. *Diomed.* 1.

P. SEM-

P. SEMPRONIVS ASELLIO

Tribunus militum fuit ſub. P. Scipione African. ad Numantiam. Cœpit autem bellum Numantinum anno V. C. IↃCXIV. *Hiſtoriam earum reru ſcripſit, quibus ipſe interfuit. Dionyſius lib. 1 Antiq. inter Romanorum Hiſtoricorum diſertiſſimos eum numeravit.*

P. SEMPRONII ASELLIONIS HISTORIARVM

LIB. I.

Verum inter eos qui Annales relinquere voluiſsent, & eos qui res geſtas à Romanis perſcribere conati eſsent, omnium rerum hoc interfuit Annales libri tantummodo quod factum quoque anno geſtum ſit, id demonſtrabant, id eſt, eorum quaſi qui diarium ſcribunt quam Græci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo ſatis eſse video quod factum eſset id pronuntiare, ſed etiam quo conſilio quaque ratione geſta eſsent, demonſtrare. *Gellius* 5. 18.

Nam neque alacriores ad remp. defendendam, neque ſegniores ad rem perperam faciundum Annales libri commovere quicquam poſsunt.

Scribere autem bellum quo initum Conſule, & quomodo confectum ſit, & quis triumphans introierit, exque eo libro quæ in bello geſta ſint iterare, non prædicare autem interea quid Senatus decreverit, aut quæ lex rogatione lata ſit; neque quibus conſiliis ea geſta ſunt iterare, id fabulas pueris eſt narrare, non hiſtorias ſcribere. *Ibidem.*

LIB.

LIB. III.

Vt fieri ſolet plerumque, ut in victoria mitior manſuetiorque fiat. *Priſcianus* 5.

LIB. IV.

Nam ſe patrem ſuum audiſſe dicere L. Æmilium Paullum, nimis bonum Imperatorem ſignis collatis non decertare, niſi ſumma neceſſitudo, aut ſumma ei occaſio data eſſet. *Gell.* 13. 3.

Vt major invidia Lepido gliſceretur. *Nonius Gliſcitur.*

LIB. V.

Nam Graccus domo cum proficiſcebatur nunquam minus terna aut quaterna millia hominum ſequebantur. *Gellius* 2. 13.

Orare quidem cœpit id ut ſe defenderent, liberoſque ſuos, eum quem virilis ſexus tum in eo tempore habebat produci juſſit, populoque commendavit prope flens. *Ibidem.*

LIB. XI.

Tam pulcrum opus, tamque artificiosè factum, paſſus eſt dirui. *Cariſius* 2.

LIB. XIII.

Facta ſua ſpectare oportere non dicta, ſi minus facundioſa eſſent. *Gell.* 4. 9.

LIB. XIV.

Crepidarium cultellum rogavit à crepidario ſutore. *Idem* 13. 20.

Ne poſſent aut ſtationes facere hoc ſecus. *Cariſius* 2.

Ex

EX INCERTIS.

Tritarum quartum ſignum accedebat, ſive pilatim, ſive paſſim iter facere volebat. *Servius* 12

P. Craſſum Mutianum quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua, quod eſſe ditiſſimus, quod eloquentiſſimus, quod juris conſultiſſimus, quod Pontifex Max. Is cum in conſulatu obtineret Aſiam provinciam, & circumſedere, oppugnareque Leucas oppidum pararet opuſque eſſet firma ac procera trabe, qua arietem faceret, quo muros ejus oppidi quateret, ſcripſi ad magiſtrum ἀρχιτέκτονα molis Athenienſium ſociorum amicorumque populi Rom. ut ex malis duobus quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet eum mittendum curaret. Tum magiſter ἀρχιτέκτων comperto quamobrem malum deſideraret, non uti juſſus erat majorem, ſed quem eſſe magis idoneum aptioremque faciendo arieti, faciliorem que portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari juſſit, & cum interrogaſſet cur non quem juſſerat miſiſſet, cauſis rationibusque quas dictitabat ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgisque multum cæcidit, corrumpi atque diſſolvi officium omne imperantis ratus, ſi quis ad id quod facere juſſus eſt, non obſequio debito ſed conſilio non deſiderato reſpondeat. *Gell.* 1. 13.

CLODIVS LICINIVS

Ejuſdem pene cum Sempronio Aſellione ætatis. Res Romanas conſignavit.

CLO-

CLODII LICINII RERVM ROMANARVM

LIB. III.

Pleminium ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum Conſul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occaſionem; patefacto dein ſcelere delegatum in Tullianum S. C. *Livius* 39.

C. LICINIVS MACER

floruit anno V. C. I Ↄ C L X V. *Annales reliquit.*

C. LICINII MACRI ANNALIVM

LIB. I.

Auſpicia pulcra & luculenta commemorat. *Nonius Luculentum.*

Non minimo opere milites quietes volebant eſse. *Priſcian. 6.*

Fauſtuli conjugum Accam Larentiam Romuli & Remi nutricem eſse. Hanc regnante Romulo Tarturio cuidam Tuſco diviti denuptam, auctamque hæreditate viri, quam poſt Romulo quem educaſset, reliquit, & ab eo Parentalia diemq;feſtum pietatis cauſsa ſtatutum. *Macrob.* I.

Contentionis illius pernicioſum exitum fuiſse. Namque ibidem obſiſtentes Remum & Fauſtulum interfectos. *Autor de orig. gentis Rom.*

LIB. II.

Nequaquam ſui lavandi reluant arma lue. *Nonius Lues.*

Perverſam eſse alii modi poſtulare. *Priſc. 6.*

LIB. XVI.

Omnium veſtrum neglexerit autoritatem. *Diomedes* 1. *Priſcian*. 10.

Ex Incertis.

Quo die Magiſtratum obiit, repente celeri gradu per forum ſe in Capitolium contendit. *Nonius Contendere*.

Pars magna lævis clypea portãt. *Idem Clypeum neutro*.

Intercalationis originem Romulo aſſignat. *Macrobius*. 1.

Annum vertentem ſtatim ab initio XII. menſium fuiſse. *Cenſorin. de die natali*.

Et in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventos. *Livius* 4.

Magiſtratuum libri, quos linteos in æde repoſitos Monetæ citat identidem autores. *Ibidem*.

Eoſdem Conſules inſequenti anno, refectos, Iulium tertium, Virginium iterum. *Ibidem*.

Comitiorum habendorum cauſsa & ab Licinio Conſule dictum (Dictatorem,) quia collega comitia bello præferre feſtinante, ut continuaret conſulatum, obviam eundum prave cupiditati fuerit. *Ibidem* 7.

Eodem anno C. Flavius Cn. F. Scriba patre libertino, humili fortuna ortus, &c. quem antea deſiſse ſcriptum facere arguit, tribunatu ante geſto triumviratibusque nocturnis altero, altero coloniæ deducendæ. *Idem* 9.

Tertia etiam clade quæ ad Cremeram accepta eſt, abominandam eam Curiam facit. *Ibidem*.

Cum Q. Fabium Coſ. non petentem omnes dicerent

dicerent centuriæ, ipſum autorem fuiſse differendi ſibi conſulatus. *Idem* 10.

Amulium patruum Rheæ Sacerdotis amore ejus captum nubilo cælo obſcuroque aere, cum primum illuceſcere cœpiſset, in uſum ſacrorum aquam petenti inſidiatum in luco Martis, compreſſiſse eam: tum exactis menſibus geminos editos. *Autor de origine gentis Rom.*

Cum neque cum Romulo neque ſacrorum cauſsa eo iviſset (Tatius) ſed ſolus, ſuaſurus læſis ut iram in ſontes remitterent, plebe ægre ferente quod illi viri ſibi dediti non fuiſsent, ut & Romulus equum eſse cenſuerat, & ipſe Romanorum Senatus decreverat, & ab hominum cæſorum cognatis magna manu facto impetu in eum, cum non poſset amplius effugere præſentem vindictam, lapidibus ab iis obrutus interiit. *Dionyſius* 2.

Tarquinius Priſcus Romam venit Anco Marcio regnante, anno regni octavo. *Idem* 4.

Ab Albanis Romanos Dictatoris creandi morem habuiſse. Hos primum poſt Amulis & Numitoris obitum deficiente regia ſtirpe annuos magiſtratus creaſse, qui eandem quam Reges habebant poteſtatem, eosque Dictatores vocaſse. *Idem* 5.

PRO TVSCIS.

Quos oportuit amiſsa reſtituere, hiſce etiam relliquias averterunt. *Priſcian.* 1.

EPISTOLA AD SENATVM.

Illi ſuam vitam mecum contendunt, quorum in corpore ita crebra ſunt vulnera vitæ, novæ cicatrici ut locus non ſit. *Nonius Contendere.*

ORNITHOGONIA.

Vulcani toſta vapore.

Cum virgis profecta ferunt. *Idem Profecta.*

Cetero moriuntur totidem diebus quod vixerit lepus: incertique temporis veneficium id eſse. *Plinius* 32. 1.

Murenas tantum fæminini ſexus tradit & concipere è ſerpentibus: ob id ſibilo à piſcatoribus tanquam ſerpentibus evocari & rapi, pingueſcere lactatu, fuſte non interimi, easdem ferula protinus. *Ibidem* 2.

RERVM ROMANARVM
LIB. XXI.

Deligare ad patibulos, deligantur, & circumferuntur, cruci defiguntur. *Nonius Patibulus.*

L. CASSIVS HEMINA

vixit anno urbis IↃCVIII. *Fecit annalium libros* 4. *vetuſtiſſimus annaliū auctor Plinio nominatur.*

L. CASSII HEMINÆ ANNALIVM
LIB. I.

Et cum quo irent neſciebant, ilico manſerunt. *Nonius Ilico.*

Prudens perplexim ſcottino ſcribit. *Idem Perplexim.*

Homerum & Heſiodum ante Romam conditam vixiſſe Silviis Albæ regnantibus, annis poſt bellum Trojanum plus centum, atque ſexaginta annis ante Romam conditam. *Gellius* 17. 21.

Eo (Evandro) regnante forte Recaranus quidam Græcæ originis, quia erat forma & virtute ceteris antecellens, Hercules appellatus, eodem venit. Cumque armenta ejus circa flumen Albulam

lam paſcerentur, Cacus Evandri ſervus, nequitiæ verſutus & præter cetera furaciſſimus, Recarani hoſpitis boves ſubripuit, ac ne quod eſset indicium, adverſas in ſpeluncam abſtraxit. Cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis ſcrutatiſque omnibus, ejuſmodi latebris deſperaſset inventurum, utcunque æquo animo diſpendium ferens, excedere his finibus conſtituerat. At vero Evander excellentiſſimæ juſtitiæ vir, poſtquam rem uti acta erat comperit, ſervum noxæ dedit, boveſque reſtitui fecit. Tum Recaranus ſub Aventino inventori patri aram dedicavit, appellavitque maximam, & apud decimam ſui pecoris profanavit. *Autor de orig. gent. Rom.*

LIB. II.

Paſtorum vulgus ſine contentione conſentiendo præfecerat æqualiter imperio Remum & Romulum, ita ut de regno pares inter ſe eſſent. Monſtrum fit: ſus parit porcos triginta; cui rei fecerunt fanum Laribus grundilibus. *Diomed.* 1.

Ne quis regnum occuparet, ſi plebs noſtra fremere imperia cœpiſſet. *Servius Æneid.* 1.

Cenſuit ſeſe regem Porſenam occidere. *Nonius Cenſere.*

Et in area in Capitolio ſigna quæ erant, demoliuntur. *Idem Moliri.*

Tunc Marcus præco proletarios armavit. *Idem Proletarii.*

Quæ nata ſunt ea omnia denaſci ajunt. *Idem Denaſci, decreſcere.*

Idque admiratum eſse gaviſi. *Priſc.* 9.

Numa conſtituit, ut piſces qui ſquamoſi non eſsent ni pollucerent, parſimonia commentus uti convivia publica & privata, cenæque ad pulvina-

ria facilius compararentur: ni qui ad polluctum emerent pretio minus parcerent, eaque præmercarentur. *Plinius* 32.2.

Numa inſtituit far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſset. Id uno modo conſecutum, ſtatuendo non eſse purum ad rem divinam, niſi toſtum. *Idem* 18.2.

Servium Tullium feciſse nundinas, ut in urbem ex agris convenirent, urbanas ruſticaſque res ordinaturi. *Macrob.* 1.16.

Decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogaſse. *Ibidem* 13.

Anno ab urbe condita CCCLXIII à Tribunis militum Virgilio, Manlio, Cœlio, Poſtumio collegiſque eorum in Senatu tractatum, qui eſset propter quod, &c. *Ibidem* 16.

LIB. III.

In campo Tiburti ubi hordeum demeſsuerunt. *Priſcian.* 10.

Hos libros ſi quis noſtratis ſapiens. *Idem* 12.

Nemo vicinus conſedo. *Nonius Conſedo.*

Mulier cantabat tibiis Phrygiis, & altera cymbaliſsabat. *Idem Cymbaliſſare.*

Homo mere literoſus. *Idem Literoſus.*

LIB. IV.

Qui Bellum Punicum Poſterior dicitur Priſciano lib. 7. ex veterum conſuetudine, quibus in OR deſinentia communia.

Scriba Pontificius qui cum eabus ſtuprum fecerat. *Priſc.lib.7.*

In Hiſpania pugnatum bis, utraque noſtri loco moti. *Nonius Vtraque.*

Ex Tiberi lacte haurire. *Idem Lacte.*

Qua fini omnis res atque omnes artes humaniſque aguntur. *Idem Humanitas.*

Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem offendiſse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, ſitus fuiſset. In eadem libros ejus repertos, P. Cornelio, L. F. Cethego, M. Bæbio, Q. F. Pamphilo Coſs. ad quos à regno Numæ colliguntur anni DXXXV, & hos fuiſse è charta, majore etiamnum miraculo quod tot infoſſi duraverint annis. *Plinius* 13. 13.

Mirabantur alii quomodo illi libri durare potuiſsent. Ille ita rationem reddebat, lapidem fuiſse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquo vorſus. In eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſse, propterea arbitrarier eos non computruiſse, & libros cedratos fuiſse; propterea arbitrarier tineas non tetigiſse. *Ibidem.*

EX INCERTIS.

Quicunque propter plevitatem agro publico ejecti ſunt. *Nonius Plevitatem.*

His perſuadet ut ilico manerent: pars ilico manet. *Idem Ilico.*

Sinvegiæ magalia addenda, murumque circum eam. *Servius Æneid.* 1.

Tarquinium Superbum cum cloacas populum facere coegiſset, & ob hanc injuriam multi ſe ſuſpendio necarent, juſſiſse, corpora eorum cruci affigi. Tum primum turpe habitum eſt mortem ſibi conſciſcere. *Idem* 12.

Ab Evandro Faunum Deum appellatum, ideoque ædes ſactas Faunas primo appellatas, poſtea Fana dicta: & ex eo qui futura præcinerent Fanaticos dici. *Servius in* 1. *Georg.*

Samothracas Deos, eoſdemque Romanorum

Penates, proprie dici θεὺς μεγάλυς. *Macrob.* 3.

Primum è medicis veniſſe Romam Peloponnenſem Archagathum, Lyſaniæ filium, L. Æmilio, M. Livio Coſs. anno urbis DXXXV, eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emtam. Ob id publicè Vulnerarium eum tradunt vocatum. *Plin.* 39.1.

Quartos ludos ſæculares poſt annum factos tertium, C. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Coſs. id eſt, DCVIII anno. *Cenſorin. de die natali.*

Q. CLAVDIVS QVADRIGARIVS

Scripſit annalium libros, quibus geſta Romanorum perſequitur. Floruit anno V.C. IↃ C LX.

Q. CLAVDII QVADRIGARII ANNALIVM

LIB. I.

Cominius qua eſcenderat deſcendit, atque verba Gallis dedit. *Gellius* 17.2.

Cum his conſermonabatur. *Ibidem.*

Convalles & arboreta magna erant. *Ibid.*

Putabant eos qui foris atque qui in arce erant inter ſe commutationes & conſilia facere. *Ibidem.*

Seſe ne id quoque quod tum ſuaderet, facturum eſſe. *Ibidem.*

Nam M. Manlius quem Capitolium ſervaſſe à Gallis ſupra oſtendi, cujuſque operam cum M. Furio Dictatore apud Gallos cumprime fortem atque exſuperabilem reſp. ſenſit: is & genere, & vi, & virtute bellica neminem concedebat. Simul formam, factis, eloquentia, acrimonia, confidentia pariter præcellebat, ut facile intelligeretur magnum viaticum ex ſe atque in ſe ad remp. evertendam habere. *Ibidem.*

Poſt-

Poſtquam nunciatum eſt ut pugnatum eſſet in Gallos, id civitas graviter tulit. *Ibidem.*

Cum interim Gallus quidam nudus præter ſcutum & gladios duo, torque atque armillis decoratus proceſſit, qui & viribus, & magnitudine, & adoleſcentia, ſimulque virtuti ceteris antiſtabat. Is maxumè prœlio commoto, atque utriſque ſummo ſtudio pugnantibus manu ſignificare cœpit utrique ut quieſcerent pugnæ. Facta pauſa eſt extemplo. Silentio facto cum voce maxuma conclamat, ſi quis ſecum depugnare vellet uti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem faciei. Deinde Gallus irridere atque linguam exertare. Id ſubito perdolitum eſt cuidam T. Manlio ſummo genere nato, tantum flagitium civitati accedere; è tanto exercitu neminem prodire. Is ut dico proceſſit, neque paſsus eſt virtutem Romanam à Gallo turpiter ſpoliari, ſcuto pedeſtri & gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſtitit. Metu magno ea congreſſio in ipſo ponte utroque exercitu inſpectante facta eſt. Ita ut ante dixi conſtiterunt. Gallus ſua diſciplina, ſcuto projecto cautabundus; Manlius animo magis quàm arte confiſus, ſcutum ſcuto percuſſit, atque ſtatum Galli conturbavit. Dum ſe Gallus iterum eodem pacto conſtituere ſtudet, Manlius iterum ſcuto ſcutum percutit, atque de loco hominem iterum dejicit. Eo pacto ei ſub Gallicum gladium ſuceſſit, atque Hiſpanico pectus hauſit. Dein continuo humerum dextrum eodem conceſsu incidit, neque receſſit uſquam donec ſubvertit, ne Gallus impetum icti haberet. Vbi eum evertit, caput præcidit, torquem detraxit, eumque ſanguinolentum ſibi in collum imponit. Quo ex facto ipſe poſterique ejus Torquati ſunt cognominati. *Idem* 9.13.

Cajum Pontium Camnitem à Dictatore Romano ſex horarum inducias poſtulaſse. *Idem* 1.25.

Ea Lucani ubi reſciverunt, ſibi per fallacias verba data eſse. *Idem* 2.19.

Id ubi reſciverunt propinqui obſidum quos Pontio traditos ſupra demonſtravimus, eorum parentes cum propinquis capillo paſſo in viam provolarunt. *Ibidem.*

Perſuadent cuidam adoleſcenti Lucano, qui apprimè ſummo genere natus erat, ſed luxuria & nequitia pecuniam magnam conſumſerat. *Idem* 7.11.

Cum tantus arrabo penes Samnites populi Rom. eſset. *Idem* 17.2.

Ea dum fiunt, Latini ſubnixo animo ex victoria inerti, conſilium ineunt. *Ibidem.*

Arma plerique abjiciunt, atque inermi inlatebrant ſeſe. *Ibidem.*

Domus ſuas quemque ire jubet, & ſua omnia frunifci. *Ibidem.*

Et Romani multis armis, & magno commeatu, prædaque ingenti copiantur. *Ibidem.*

Sole occaſo. *Ibidem.*

Nos in medium relinquemus. *Ibidem.*

Nihil ſibi divitias opus eſse. *Ibidem.*

Nam hæc maxime verſatur Deorum iniquitas, quòd deteriores ſunt incolumiores, neque optimum quempiam inter nos ſinunt diurnare. *Ibidem.*

Et compluriens in laboribus miſerrumas vitas exegerunt. *Ibidem.*

Et hic minus in otiis conſumtus eſt. *Ibidem.*

Tanta ſanctitudo fani eſt, ut nunquam quiſquam violare ſit auſus. *Ibidem.*

Apud aras quæ vocabantur Neptuniæ. *Servius Æneid.* 1.

Cum

Cum non poſsetur decerni utrius putaretur victoria. *Nonius Poſſetur.*

Prius hiſce autoribus inde reticula galearia. *Idem Reticulum.*

LIB. II.

His deſubito utriſque nuntiatur ipſorum copias adeſse. *Idem Deſubito.*

Comprehenſare ſuos quiſque, ſervare, amplexare. *Priſcian.* 8.

Et qui ibi erant non ignaviter potando eum diem pro meliore habuerunt. *Idem Ignaviter.*

Inde poſtquam aliquantum receſſit, offendit montem, loca munita, res omnes habere quæ militibus opus ſunt, ligna, aquam, pabulum. *Idem Offendere.*

Eo Conſules properatim exercitum reducunt. *Idem Properatim.*

Perverſum eſse alii modi poſtulare Pyrrhum in te atque in ceteris fuiſse. *Priſc.* 13.

LIB. III.

Senatus autem de noctu convenire, noctu multa domum dimitti. *Macrob.* 1.

Illic occiditur mille hominum. *Gell.* 1. 16.

Dum hi conciderentur, hoſtium copias ibi occupatas futurum. *Idem* 1. 7.

Non Cæditio nomen fuiſse, ſed Valerio. *Idem* 3. 7.

Non Timocharem ſed Niciam adiſse ad Conſulem, neque Legatos à Senatu miſsos, ſed à Conſulibus, & Regem populo Rom. laudes atque gratias ſcripſiſse, captivoſque omnes quos tum habuerit, reſtituiſse & reddidiſse. *Ibidem* 8.

Conſules Romani ſalutem dicunt Pyrrho regi,

gi. Nos pro tuis injuriis continuo animo ſtrenue commoti inimiciter tecum bellare ſtudemus, ſed communis exempli & fidei ergo viſum eſt, uti te ſalvum velimus, ut eſset quem armis vincere poſſimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui ſibi pretium à nobis peteret, ſi te clam interfeciſſet. Id nos negavimus velle, neve ob eam rem quicquam commodi expectaret. Et ſimul viſum eſt ut te certiorem faceremus, ne quid ejuſmodi ſi accidiſset, noſtro conſilio civitates putarent factum; & quod nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu niſi caveas, jacebis. *Ibidem.*

Item gaudium atque ægritudinem alternatim ſequi. *Nonius Alternatim.*

Adeo memorari vix poteſtur, ut omnes ſimul ſuum quiſque negotium adorti eſsent. *Idem Poteſtur.*

Fabius de nocte cœpit hoſtibus caſtra ſimulare oppugnare, eum hoſtem delectare, dum collega id caperet quod captabat. *Idem Delectare.*

LIB. IV.

Et ita rebus præclariter geſtis Romam reverterunt. *Idem Præclariter.*

Sed circiter horas duas gravi prœlio urſerunt, deinde in fugam ſunt conjecti. *Idem Vrgere.*

Pluvia, imbri, lutus erat multus. *Idem Lutus.*

Vt videret ac reſpueret, verminaret literis addivalis, quod verminatione ad cancer pervenerit. *Priſcian. 6.*

Inter venas ſaxi abſtruſum, latentem, & quaſi divinitus abſconditum. *Servius Georg. 1.*

LIB. V.

Is ubi Dacium cognovit, & patriæ eum recordavit. *Nonius Recordavit.*

Et

Et dicerent caſtra capta eſse, atque hos cohortarent uti maturarent. *Idem Cohortarent.*

Cladem illam vaſtiſſimam pugnæ Cannenſis factam ante diem quartum Nonas Sextil. *Gellius* 5.17.

LIB. VI.

Actorius Taureæ dexterum humerum ſauciat, atque ita reſiliit. *Priſcian.* 10.

Deinde facti conſules Sempronius Graccus iterum, Q. Fabius Maxumus, filius ejus qui priore anno erat Conſul. Et Conſuli pater Proconſul obviam in equo vehens venit, neque deſcendere voluit, quod pater erat. Et quod inter eos ſciebant maxuma concordia convenire, lictores non auſi ſunt deſcendere jubere. Vbi juxta venit, tum Conſul ait, Deſcendere jube: quod poſteaquam lictor ille qui apparebat cito intellexit, Maxumum Proconſulem deſcendere juſſit. Fabius imperio paret, & filium collaudavit, cùm imperium quod populi eſset, retineret. *Gellius* 2.2.

Pœne factum eſse quin caſtra relinquerent, atque cederent hoſti. *Idem* 17.13.

Ne nos ad certationem cenſeas hæc incepiſse. *Nonius Cenſere.*

Aliquantiſper pugnato nihil promovet Pœnus. *Idem Aliquantiſper.*

LIB. VII.

Animos eorum habentia inflatat. *Idem Habentia.*

LIB. VIII.

In eo loco populus murmurari cœpit. *Idem Murmurari.*

Romam

Romam venit vix ſuperat quin triumphus decernatur. *Gellius* 17.13.

Quin prior bellum, quod cum his geſtum erat, meminiſsent. *Priſcian.*7.

Vbi decreverunt, commemorant Gracco fœdus prior Pompejanum non eſse ſervatum. *Ibidem.*

Flacco oſpicatur. *Diomedes* 1.

LIB. XII.

Quinque priſtis, navigium ea forma à marina bellua dictum eſt. *Nonius Priſtis.*

LIB. XIII.

Concione dimiſsa Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus. Inde cùm domum proficiſceretur, tota civitas eum reducit. *Gellius* 13.27.

LIB. XV.

Grundibat graviter pecus ſuillum. *Diomed.* 1. *Nonius Grundire.*

LIB. XVI.

Equi hunnibunde inter ſe ſpargentes terram calcibus. *Nonius Hinnibunde.*

LIB. XVIII.

Si pro tua bonitate & noſtra voluntate tibi valetudo ſuppetit, eſt quod ſperemus Deos bonis benefacturum. *Gellius* 1.7.

LIB. XIX.

Sagittarius cum funditore utrimque ſummo ſtudio ſpargunt fortiſsumè: ſed ſagittam atque lapidem deorſum an ſurſum mittas, hoc intereſt. Nam

Nam neutrum poteſt deorſum vorſum recte mitti; ſed ſurſum utrumque optume. Quare milites Metelli ſauciabantur multo minus, & quod maxume opus erat, à pinnis hoſtes defendebant facillume funditores. *Idem* 9.1.

Tum Sulla conatus eſt, & tempore magno eduxit copias, ut Archelai turrim unam, quam ille interpoſuit ligneam, incenderet. Venit, acceſſit, ligna ſubdidit, ſubmovit Græcos, ignem admovit. Satis ſunt diu conati, nunquam quiverunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam obliverat alumine. Quod Sulla atque milites mirabantur, & poſtquam non ſuccendit, reduxit copias. *Idem* 15.1.

C. Marium creatum ſeptimo conſulem. *Idem* 10.1.

C. Mari ecquando te noſtrum & reipublicæ miſerebitur? Idem 20.5.

Faciem pro ſtatura dicit. *Idem* 13.29.

LIB. XXI.

Eum enim cum partim copiis hominum adoleſcentium placentem ſibi. *Idem* 10.13.

Crudeliter ille, nos miſericorditer, avariter ille, nos largiter. *Non. Avariter.*

LIB. XXII.

Cum obſideretur Grumentum, & jam ad ſummam deſperationem ventum eſſet, duos ſervos ad hoſtem transfugiſſe, & operæ pretium feciſſe: deinde urbe capta paſſim diſcurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua ſervierant præcurriſſe; & dominam ſuam ante ſe egiſſe, & quærentibus quænam eſſet, dominam, & quidem crudeliſſimam ad ſupplicium ab ipſis duci profeſſos eſſe.

eſſe. Eductam deinde extra muros ſumma cura cælaſſe, donec hoſtilis ira concideret. Deinde ut ſatiatus miles ad Romanos mores cito rediit, illos quoque ad ſuos rediſſe, & dominam ſibi ipſos dediſſe. Manumiſit utrumque è veſtigio illa. *Seneca de beneficiis* 3.23.

LIB. XXIII.

Sed idcirco me feciſſe; quod utrum negligentia partim magiſtratuum, an avaritia, an calamitate populi Rom. eveniſſe dicam, neſcio. *Gellius* 10.13.

EX LIBRIS INCERTIS.

Exercitu inſtructo pedetentim milites ducere cœpit. *Nonius Pedetentim.*

Ita per ſexennium vagati, Apuliam atque agrum Campanum, quod his per militem licebat, exſpoliabantur. *Idem Spolior.*

Agrum Nolanum populare cœperunt. *Idem Populat.*

Facite exempla eorum, ut vos cum illis congermaneſcere ſciatur. *Idem Congermaneſcere.*

Senatus cenſuit referentibus Suffetis. *Feſtus, Suffes, Conſul, lingua Pœnorum.*

Pugna acriter commiſſa multis utrimque interitis. *Idem* 60.

Ad CCCL. ex conjuratis vinctos Romam miſſos, eamque deditionem ab Senatu non acceptam, quod egentium atque humilium pœna defungi velle Fundanum populum cenſuerint. *Livius* 8.

Fœdere pax Caudina facta eſt. *Idem* 60.

Poſtumium in Samnio captis aliquot urbibus, in Apulia fuſum fugatumque, ſaucium ipſum cum paucis Luceriam compulſum: ab Atilio in Etruria res geſtas, eumque triumphaſſe. *Idem* 10.

Bis

Bis pugnatum in Olympo monte: ad XL. millia hominum cæſa. *Idem* 47.

Ad XV. millia Thracum præcedenti ad exploranda loca agmen Mutini Numidæ occurrerunt, quadringenti equites fuerant Numidæ, &c. *Ibidem.*

In prœlio Marcelli contra Inſubres & Comenſes captos aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis in Capitolio Iovi donum in æde poſitum. *Ibidem.*

Gargara flumen vocari in finibus Thurinis. *Servius Georgic.* 1.

CLAVDII ORATIO IN QVINTIVM GALLVM.

Quorum jacent muræna, ulla horrea, curiaque & tabulariæ publicæ. *Nonius, Horrea feminino genere.*

Q. VALERIVS ANTIAS

Annales reliquit; opus grande. à primis initiis res Romanas perſequutus: ejuſdem pene cum Quadrigario ætatis.

Q. VALERII ANTIATIS ANNALIVM

LIB. I.

Amulius regnum obtinuit: quod ut firmiſſime poſſideret, Numitoris fratris ſui filium in venando interimendum curavit: Tum etiam Rheam Silviam ejus ſororem ſacerdotem Veſtæ fieri juſſit, ſimulato ſomnio quo admonitus ab eadem Dea eſſet ut id fieret, cùm revera ita faciundum ſibi exiſtimaret, periculoſum ducens ne quis ex ea naſce-

naſceretur, qui avitas perſequeretur injurias. *Autor de origine gent. Rom.*

Pueros ex Rhea Silvia natos Amulium regem Fauſtulo ſervo necandos dediſſe: ſed eum à Numitore exoratum ne pueri necarentur. Accæ Larentiæ amicæ ſuæ nutriendos dediſſe, quam mulierem eo quod pretio corpus eſſet vulgare ſolita, Lupam dictam. *Ibidem.*

LIB. II.

Mater cum noviſſime ægrotaſſet, inquit, voviſſe fertur. *Cariſius* 2.

Numam Pompilium ſacrorum cauſſa intercalationem inveniſſe. *Macrob.* 1.12.

Agonaliorum repertorem Numam Pompilium. *Ibidem* 4.

Numam illum regem, cum procurandi fulminis ſcientiam non haberet, eſſetque illi cupido noſcendi, Egeriæ monitu caſtos duodecim juvenes apud aquam cælaſſe cum vinculis, ut cum Faunus & Picus Martius ad id locorum veniſſent hauſtum (nam illis aquandi ſolemne iter huc fuit) invaderent, conſtringerent, colligerent, &c. *Arnobius* 5.

LIB. VI.

Hoc Senatus conſultum prior factum eſt. *Priſcian.* 7.

LIB. XII.

Tiberius Graccus, qui Quæſtor C. Mancino in Hiſpania fuerat, & ceteri qui pacem ſpoſponderant. *Gellius* 7.9.

LIB. XXII.

Quod noviſſime nobiſcum fœdus feciſſent. *Cariſ.* 2.

LIB.

LIB. XXIV.

Si hæ res divinæ factæ, riteque perlitatæ eſſent, ruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſu- um eſſe. *Gellius* 1.7.

LIB. XLV.

Denique Licinius Tribunus pleb. perduellionis ei diem dixit, & comitiis diem à Q. Marcio Prætore popoſcit. *Idem* 7.9.

LIB. LXXIV.

Eo omnes hoſtiæ, vituli XXVII. conjecti, & ita omnia adulta ſunt. *Priſcian.*9.

LIB. LXXV.

Deinde funere locato ad focum deſcendit. *Gellius* 7.9.

EX INCERTIS.

Compluria. *Idem* 5.21.

Ambracienſis quiſpiam Tymochares, regis Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium Conſulem furtim venit ac præmium petivit, & ſi de præmio conveniret, promiſit regem venenis necare. *Idem* 3.8.

Eam puellam captivam non redditam patri, ſed retentam à Scipione, atque in deliciis amoribuſque ab eo uſurpatam. *Idem* 6. 8.

Poſt Africani mortem interceſſionem iſtam pro Scipione Aſiatico factam eſſe à Trib. Gracco, neque multam irrogatam Scipioni, ſed damnatum eum peculatus ob Antiochenam pecuniam, quia prædas non daret, in carcerem duci ceptum atque ita intercedente Gracco exemtum. *Idem* 7.19.

Acca Larentia teſtamento Romulum regem bonis ſuis hæredem fecit. *Idem* 6.7.

Vale-

Valerio Maximo inter alios honores domu quoque publice edificata eſt in Palatio, cujus ex tus quo magis inſignis eſſet, in publicum verſi declinaretur, hoc eſt, extra privatum aperiretu *Pedian. in Piſonianam.*

Factum id eſſe ludis Romanis quos feceru Ædiles Curules, Atilius Serranus T. Scriboni Libo. Id eos feciſſe juſſu Cenſorum Sex. Ælii Pa ti, C. Cornelii Cethegi. *Idem in Cornelianam.*

Ita inſtitutum eſſe ut centeſimo quoquo ann fierent (ludi ſæculares) *Cenſor. de die nat.*

Primos ludos ſæculares exactis Regibus, po Romam conditam annis ducentis quadragin quinq; à Valerio Publicola inſtitutos eſſe. *Ibidem.*

Secundos ludos anno poſt urbem conditai cccv. *Ibidem.*

Tertii ludi fuerunt P. Claudio Pulcro, Iuni Pullo Coſs. *Ibidem.*

Quartos ludos relatos eſſe L. Marcio Cenſori no M. Manilio Coſs., poſt Romam conditam an no DCVIII. *Ibidem.*

L. Marcium in Hiſpania interemtis Scipioni bus concionantem,& milites ad ultionem exhor tantem, arſiſſe ſimili modo. *Plin.* 2. 107.

Oppidum Latinorum Apiolas captum à L Tarquinio rege; ex cujus præda is Capitoliun in fine refecerit. *Idem* 3. 5.

Duos libros fuiſſe (Numæ.) ex his XII. pon tificales, totidem Græcos, præcepta Philoſophia continentes. *Idem* 13. 13. *Plutarchus in Numa.*

Raptas Sabinas quingentas viginti ſeptem. *Plutarchus in Romulo.*

Romanos cecidiſſe in Hernico agro Vmillia, ac ccc. ex prædatoribus Æquorum, qui populabundi in finibus Romanis vagabantur, ab A. Po-

ſtumio

ımio Coſ. duo millia & cccc. cæſos, ceteram ultitudinem prædam agentem, quæ inciderit in uintium, nequaquam pari defunctam eſſe cæde. iterfecta inde IV. millia, & exequendo ſubtiliter numerum cc. ait, & xxx. *Livius* 3.

M. Manlium &, Q. Sulpitium Conſules in ım annum. *Idem.* 4.

Vna caſtra Magonis capta: ſeptem millia cæſa hoſtium; altero prœlio eruptione pugnatum um Aſdrubale, decem millia occiſa; quatuor millia trecentos triginta captos. *Idem* 35.

Majorum ſcorpionum ſex millia, minorum III. capta: Armem præfuiſſe Punico præſidio ıeditumque Romanis. *Idem* 36.

Prædam Etruſcam, Ligurumque montanorum captivos Carthaginem portantes, captas tradit. *Idem* 38.

Captum Hannonem tradit. *Idem* 39.

Annibalem primo prœlio victum eſſe à Scipione, quo duodecim millia armatorum in acie ſunt cæſa; mille & ſeptingenti capti. Legatum cum aliis decem Legatis in caſtra ad Scipionem veniſſe. *Ibidem.*

Ipſum Syphacem in caſtra Romana ad colloquium veniſſe. *Idem* 38.

Intraſſe ſaltum Villium quia recto itinere nequierit omnibus à rege inſeſſis, inſecutum vallem per quam mediam fertur Aous amnis ponte raptim facta in ripam, in qua erant caſtra regia, transgreſſum acie conflixiſſe, fuſum fugatumque regem, caſtris exutum, &c. *Idem* 42.

In prœlio Marcelli ſupra quadraginta millia hominum cæſa, & quingenta ſeptem militaria ſigna capta, & carpenta quadringenta triginta duo, & aureos torques multos. *Idem* 43.

Quater-

Quaternum millium pondo argenti vectigal i decem annos, triginta quaterna millia pondo & ducenta, præſens viginti millia pondo. Attalo ab ſenti Æginam inſulam, elephantosque dono da tos, & Rhodiis Stratoniceam Cariæ, atque alia urbes quas Philippus tenuiſſet: Athenienſibus in ſulas datas Pharan, Imbrum, Delum, Scyron *Ibidem.*

Supra XL. millia hoſtium cæſa eo die. *Idem* 44

Et in Siciliam navigaſſe delectus cauſſa, C. Fla minium; & ex Sicilia Hiſpaniam petentem tem peſtate in Africam delatum, vagos milites de exer citu P. Africani ſacramento rogaſſe, his duarum provinciarum delectibus tertium in Hiſpania ad jeciſſe. *Idem* 45.

LX. millia militum fuiſſe in regio exercitu (An tiochi) XL inde millia cecidiſſe; ſupra V millia ca pta cum ſignis militaribus CCXXX. *Idem* 46.

Ludos ob dedicationem ejus (ædis matris ma gnæ Ideæ) factos primos ſcenicos fuiſſe, Mega leſia appellatos. *Ibidem.*

Duodetriginta millia hoſtium cæſa: capta tria millia & quadringentos: ſigna militaria CXXIV equos mille ducentos triginta: carpenta ducenta quadraginta ſeptem: ex victoribus mille quadrin gentos octoginta quatuor cecidiſſe. *Ibidem.*

Rumorem celebrem Romæ fuiſse, & pene pro certo habitum, recipiendi Scipionis adoleſcentis cauſsa, Coſs. L. Scipionem & cum eo P. Africa num in colloquium evocatos regis, & ipſos com prehenſos eſse, & ducibus captis confeſtim ad ca ſtra Romana exercitum ductum, eaque expugna ta, & deletas omnes copias Romanorum fuiſse: ob hæc Ætolos ſuſtuliſse animos, & abnuiſse im perata facere, &c. *Idem* 47.

Ad qua-

Ad quatuor millia captivorum qui belli minas timuerant, ex tota inſula reddita, eamque cauſam Fabio, cum rem nullam aliam geſſiſset, navalis triumphi ab Senatu impetrandi fuit. *Ibidem.*

Non plus decem millia (in Olympo monte cæſa.) *Idem* 48.

Q. Scipioni Africano duo Q. Petilii diem dixerunt. *Ibidem.*

Placentiæ famoſam mulierem, cujus amore deperiret (L. Flaminius) in convivium accerſitam. Ibi jactantem ſe ſcorto inter cetera retuliſse, quàm acriter quæſtiones exercuiſset, & quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos ſecuri percuſsurus eſset. Tum illam infra eum accubantem negaſse, unquam vidiſse quemquam ſecuri ferientem, & pervelle id videre. Hîc indulgentem amatorem unum ex illis miſeris attrahi juſsum, ſecuri percuſſiſse. *Idem* 49.

Q. Nævius Prætor ad duo millia hominum (veneficorum) damnavit. *Ibidem.*

Scipionem mortuum Appio Claudio, M. Sempronio Coſs. *Ibidem.*

Annibalem hoc anno (DLLXI) deceſſiſse: legatis ad eam rem ad Peruſiam miſſis præter T. Quintium Flaminium, cujus in ea re celebre eſt nomen, L. Scipione Africano, & P. Scipione Naſica Coſs. *Idem* 38.

Numæ libros Pythagoricos fuiſse. *Idem* 50.

Attalum regis Eumenis fratrem legatum veniſse Romam his Coſs. ad deferenda de Perſeo crimina, indicandosque apparatus belli. *Idem* 52.

Nec claſse adjutum ab eo (Eumene) Prætorem eſse, cum ſæpe eum literis accerſiſset, &c. *Id.* 54.

CN. AV-

CN. AVFIDIVS

Hiſtoriam populi Romani Græce conſignavit, quam in Epitomen alius quis redegit.

CN. AVFIDII HISTORIA GRÆCA.

Cicero Tuſcul. 5.

AVFIDII EPITOMÆ.

Aremulum Silvium non fulmine ictum ſed terræmotu prolapſum ſimul cum eo regiam in Albanum lacum. Poſt illum regnavit Aventinus Silvius. *Autor de origine gentis Rom.*

L. CORNELIVS SISENNA

Vixit circa annum urbis IↃCLXVI. *Variis dignitatibus functus eſt. Præter alia multa, Hiſtoriarũ libros condidit, in quibus optime & diligentiſſime verſatus eſt, ut Salluſtius teſtatur. Magnus fuit antiqui ſermonis amator.*

L. CORNELII SISENNÆ HISTORIARVM

LIB. I.

Si quæ celeriter ſolvi poterat in altum remulcat. *Nonius Remulcare.*

Nocte conſumta poſtero die per incertas vias Æſerniam, inde Romam protinus profugerant. *Idem Protinus.*

LIB. II.

Et Marſi propius ſuccedunt, atque ita ſcutis projectis tecti, ſaxa certatim lenta manibus conjiciunt in hoſtes. *Macrobius 6. 4.*

Vetus atque ingens erat arbor ilex, quæ circum proje-

projectis ramis majorem partem loci ſummi tegebat. *Ibidem.*

LIB. III.

Nolitote mirari quam deſperata voluntate ad unam belli faciendi viam. *Non. Nolitote.*

De virtute eorum accuſanda proloqui ſuperſederunt. *Nonius Superſedere.*

Egregias, & longe præſtantes, ac metuendas adverſariorum opes eſse. *Nonius Longe.*

Diſſipatis imbricum fragminibus, ac teſtis tegularum. *Nonius Imbrices.*

Inermos armati, impeditos expediti ſine ullo ſuorum vulnere cunctos interficiunt. *Nonius Expediti.*

Senatus autoritate ſagaria nunc. *Non. Sagaria.*

Mulierem miſsa fide ac pietate propter amoris nefarii libidinem exſtitiſse. *Non. Mittere.*

Quod loca paluſtria quæ erant, ea alte multifariam confoſsa. *Non. Multifariam.*

Atque armis de vita certatim dimicare nitebantur. *Nonius Certatim.*

Romanos impetu ſuo protelant, projectos perſequuntur. *Nonius Protelare.*

Diſpalati ab ſignis, digreſſi omnes ac diſſipati. *Nonius Diſpalare.*

Periclitantur tormenta ac tela, multaque genera machinamentorum. *Nonius Periculum.*

Signum nactus à Papio quod inter eos tolli convenerat. *Nonius Convenire.*

Omnia quæ diximus loca ſtatim potitus. *Nonius nominativus pro ablativo.*

Protinus agros populabundus ad Nuceriam convertit. *Nonius Populat.*

Agilem dari facilemque victoriam, neque foſ-

ſas aut vallum remoraturum. *Nonius Agilem.*

Convictus tamen ex tempore ſingula conſtituit, & ſicut ſteterant manipulos obverti juſſit. *Nonius Manipuli.*

Ac poſt armatos funditores & ſagittarios ponit. *Nonius Funditores.*

Sparis ac lanceis eminus peterent hoſtes, *Nonius Sparus.*

Galli materibus, Suevi lanceis configunt. *Nonius Lancea.*

Alii ſaltui ac velocitati certare. *Nonius Dativus pro Ablativo.*

Poſtquam ſonu ſignorum prœlium magno cum clamore virorum commiſſum eſt. *Nonius Sonus.*

Adoriuntur adverſos, ut apertis lateribus. *Non. Apertum.*

Et inde equum concitatum princeps ad hoſtium permittit aciem. *Nonius Permittere.*

Quod fortaſsean ex voluntate ſua ſumma cum claritudine celeriter confeciſset. *Non. Claritudo.*

Sublatus lætitia nimia, atque impotentia animi commotus. *Nonius Impotentiam.*

Poſt villarum macerias ac parietinas quinque cohortes in inſidiis reliquit. *Non. Maceria.*

Occulte tacitique advenientium cohortium præſtolari occipiunt. *Nonius Præſtolari.*

Iiſdemque temporibus Æſernini duplici foſsa valloque circundati, frumento adeſo, quod ex areis in oppidum portatum eſt. *Non. Adeſum.*

Requieſcendi ſpatium nacti, condenſiores manipulatim reſiſtere hoſtibus inſtituiſsent. *Non. Manipulatim.*

Poſt principia paulatim recedunt, atque inde cum paucis fugæ ſe mandant. *Non. Mandare.*

Adbi-

Ad binum millium numero ſauciis utrimque factis. *Non. Binum millium numero.*

Partem cohortium propter mare collocat in littore. *Nonius Propter.*

Otacilium Legatum cum ſcaphis ac lembis. *Nonius Lembus.*

Præter catapultas ſedecim quatuor baliſtas, viginti plauſtra, coriis ac minoribus ſagittis onuſta. *Nonius Catapultas.*

Longius ſcorpius, catapultas concitat. *Nonius Scorpio.*

Manuales lapides diſpartit, propterea quod is ager omnis ejuſmodi telis indigebat. *Non. Tela.*

Servulum ejus præmio libertatis inductum magno cum tumultu cõventum in populum produxit armatum. *Nonius Populum.*

Tum ſubito tacuit, atque metu & ſuſpicione propriam capere non poterat quietem. *Nonius Proprium.*

Baſsus aſſiduitate indulgitate victus. *Nonius Indulgitate.*

L. Calpurnius Piſo ex Senaticonſulto duas novas tribus. *Nonius Senatus & Senati.*

LIB. IV.

Quondam Sabini feruntur voviſse, Si res communis melioribus locis conſtitiſset, ſe ver ſacrum facturos. Quo voto damnati, fetum omnem dicuntur ejus anni ſtatim conſecraſse. *Non. Ver ſacrum.*

Perfuſe atq; abunde ſemper uſi magnum pondus auri & argenti. *Nonius Abunde.*

Vtrumne Divi cultu erga ſe mortalium læticant, an ſupernæ gentes humana neglegant. *Nonius Latiſcere.*

Nam clandeſtina celeriter tranſigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari .... crebritudine. *Nonius Crebritudinem.*

Ipſi Legati concubia nocte oppido digreſſi, jam ſupra hoſtium munitionem ſuccedunt. *Non. Concubia nocte.*

Itaque poſtero die Legatos Iguvium redeuntes apiſcitur. *Non. Apiſci.*

C. Titinnius quidam, cui minus proprietas mentis ab natura tradita videretur, primo ante teſtudinem conſtitit: deinde apud Conſulem cauſam atque excuſationem præferre cœpit. *Nonius Teſtudines.*

Tum poſtquam apud Iguvinos ac Peruſinos ejus facti mentionem projecit. *Non. Projicere.*

De contrario ſilentium oritur. *Non. Silentium.*

Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. *Non. Amoliri.*

Iumenta, pecuda, locis trepidare compluribus. *Non. Pecuda.*

Quod hoſtem non dubitatim cum pluteis ac ſcalis iter facere cernebat. *Non. Dubitatim.*

Formidine oppreſſus, quod humilem cæmentis inſtructũ oppidi murum ſciebat. *Non. Cæmenta.*

Populabundus agros ad oppidum pervenit. *Gellius* 11. 15.

Armati dextera ducti, magisque in latitudinem diſcedunt. *Non. Diſcedere.*

Multitudinem hoſtium procul conſtare videbunt. *Nonius Conſtat.*

Tum in muro virile ac muliebre ſexus, populi multitudine omni collocata. *Nonius ſexus neutrigeneris.*

Cuſtodiæ in muro ſtatuuntur cataphractorum. *Nonius Cataphracti.*

Falces

Falces injectas comminuunt, pluteos propius collocatis harpagis dejiciunt è turribus. *Nonius Falces.*

De quibus partim malleolos, partim faſces ſarmentorum incenſos ſupra vallum frequentes. *Non. Molleoli.*

Funes expediunt clauſtra foribus impoſita periclitantur. *Non. Expedire.*

Multi præmiſſis armis ex ſummo ſe permitterent. *Non. Permittere.*

Multi plagis adverſis icti & congenulati, Romanis præcipitatis, ipſi ſupra voluti in caput. *Nonius Congenulare.*

Neque porta, neque ullum foramen erat quo poſſet eruptio fieri. *Non. Foramen.*

Cohors una poſt concitata, qua murus erat interruptus, evadit. *Nonius Evadere.*

Submoti, & intra mœnia rurſum coacti. *Non. Cogere.*

Vltro citroque integrant in oppido cædem. *Non. Integrare.*

Quid in rempublicam ſuam maxume conducere videretur. *Non. Conducere.*

Denique cum variis voluntatibus incerta civitas trepidaret. *Non. Civitas.*

Terrore perturbatam multitudinem ſubigunt. *Non. Subigere.*

Ab armis te recedere, præſidia de locis deducere. *Non. Deducere.*

Id me neque metu, neque calamitatis neceſſitudine inductum facere. *Non. Neceſſitudo.*

Agmen perturbatum pedites inſinuant, ac loco commovent. *Non. Inſinuari.*

Duæ cohortes de ſubſidio procedunt atque equites protelant. *Non. Protelare.*

Exercitum diſpartiunt, ad confligendum ſe componunt. *Non. Componere.*

Iaculis celeriter conſumtis ad gladios certationem revocaverunt. *Non. Certatio.*

Alii materibus aut lanceis, tamen medium perturbant agmen. *Non. Lancea.*

Galli contra magno cum molimento, ac perpetuo ſono procedunt. *Non. Molimentum.*

Conglobati, & collecti concrepant armis. *Non. Crepare.*

Impedimenta collocant omnia, conſtruunt carros, & ſarraca crebra diſponunt. *Non. Carra.*

Simul & tormenta contenduntur. *Non. Contendere.*

Prætor feſtinatim de caſtellis ad caſtra maxuma pedites conduxit. *Non. Feſtinatim.*

Denique exinanitis caſtris, Romani qui clauſo ſe loco potuerant expedire. *Non. Exinanita.*

Plerïſque inermis in caſtra perſugiunt. *Nonius Inermis, pro Inermibus.*

Caſtra de planitie convertit in montes, ut crebro ferculis protinus procedundo, poſſet intra fines Æſculapiorum pervenire. *Non. Protinus.*

Et partim fera vite, partim lauro & arbuſto, ac multa pino ac myrtetis abundant. *Non. Fera vite poſitum pro agreſti.*

Victoribus proprie ſpem, victis adverſæ fortunæ majorem formidinem objecit. *Nonius Proprium.*

Popedius opinione fruſtrata. *Non. Opinio.*

Quod oppidum tumulo in excelſo loco propter mare parvis mœnibus inter duas fluvias intra Veſuvium, collocatum. *Non. Fluvius femin.*

Transgreſſus fluviam, quæ ſecundum Herculaneum ad mare pertinebat. *Non. Ibidem.*

Et pro-

Et prope mediam ad finem ripæ pervenerant. *Non. Finis femin.*

Subito mare ſubhorreſcere, cæcoſque fluctus in ſe provolvere leniter cœpit. *Non. Cæcum.*

Dum priſtinum vitium apud ignem per ſudorem corpore exhauſerunt. *Non. Apud.*

Innoxios trementibus artubus repente extrahit, ſiſtitque in labro ſummo fluminis, cœlo albente. *Non. Labra, margines vel fines.*

Macerata gravia bellica manipulorum. *Non. Manipuli.*

Baliſtas quatuor talentarias. *Non. Baliſtæ.*

Proræ actuariæ, trahi grandes, ac faſeli primo. *Non. Faſelus.*

Naveſque triginta biremes ac totidem myoparones. *Non. Myoparones.*

Puppes aceto madefactis centonibus teguntur, quos ſupra perpetua claſſi ſuſpenſa cilicia obtenduntur. *Non. Centones, & Cilicia.*

Quibus occiſis actuarias ad viginti, naves item complures onerarias incendunt. *Non. Onerarias, & Actuarias.*

Ego illos malos & audaces ſemper enixim contra fortunas atque honores hujus ordinis, omnia feciſſe ac dixiſſe ſentio. *Non. Enixim.*

Eos qui hoc malum publicum clandeſtinis conſiliis comparaverunt. *Non. Comparare.*

Qui tamen quibus litibus fœdera majorum ſuum diſſoluta. *Non. Accuſativus ſingularis pro genitivo plurali.*

Armis, equis, commeatibus nos magis juvarunt exleges & minus honore dignos putabitis? *Non. Exleges.*

Tamen Tudertibus Senaticonſulto & populi dat civitatem. *Non. Iuſſo.*

Milites, ut lex Calpurnia conceſſerat, virtutis ergo civitate donati. *Non.Ergo.*

Lucium Memmium, ſocerum Gai Scribonii, Tribunum plebis, quem Marci Livii conſiliarium fuiſſe callebant, & tunc Curionis oratorem. *Non. Callet ſignificat ſcit.*

Quoniam neque mea nex, neque interceſſio, poſſe videtur illorum dementem reprimere audaciam. *Non. Nex.*

Cum complures menſes barba immiſſa & intonſo capillo, lugubri veſtitu, populum vicatim flens una cum liberis circumiret, imperitum ſuſcitat vulgum. *Non. Mittere, & Vicatim.*

Neque ætatis granditatem, neque ea merita, nec ordinis honeſtatem aut dignitatem ſibi eſſe excuſationi. *Non. Granditatem.*

Iudicium falſe factum. *Cariſ.2.*

Ciſtaſque quæ erant legum ferendarum gratia paratæ, dejecerunt. *Non. Ciſtæ.*

Idemque perſeveraverunt, uti lex perveniret ad Quæſtorem, ac judices quos vellent inſtituerent, præfeſtinatim & cupide. *Non. Præfeſtinatim.*

LIB. VI.

Nos una æſtate in Aſia & Græcia geſta literis idcirco continentia mandavimus. Ne vellicatim aut ſalutatim ſcribendo, lectorum animos impediremus. *Gell. 12. 15. Non. Salutatim.*

Quam maxume celeratim poterat in inſidiis ſuos diſponit. *Gell. Ibidem. Non. Celeratim.*

Marius oſtio Liris evehitur, atque Ænutiam ſuos continuatur. *Non. Continuare.*

Romanos inferendæ pernici cauſa veniſſe. *Gell. 9. 95. Non. Pernici.*

LIB.

LIB. VIII.

Cælum caligine ſtat. *Non. Stat.*

LIB. XII.

Procul ſibilus ſignificare conſuli cœpit. *Priſc. 6.*

LIB. XIV.

Multi populi, plurimæ conciones Dictaturam omnibus animis & ſtudiis ſuffragaverunt. *Non. Refragabunt.*

EX INCERTIS.

Vrbe condita juxtim Numicium flumen obtruncatur. *Non. Iuxtim pro Iuxta.*

Tanto plures paſſim diſpalantur. *Non. Diſpalare.*

Hoſtes loca ſuperiora potiti. *Non. Potitus loca.*

Simul & Senaticonſultis clariſſumis amplificati. *Non. Senatus.*

Vitam cum dolore & inſigni cruciatu carnificatus amiſit. *Triſcian. 8.*

Sic in eam paludem multi piſcium ſaliendorum cauſſa navibus ſemionuſtis commeant. *Idem* 10.

Curſim. Properatim. *Gell.* 12. 15.

Solum Antenorem prodidiſſe Ilium. *Servius Æneid.* 1.

A Latino agrum conceſſum Trojanis. *Idem* 11.

Cum Sulla in agro Nolano immolaret ante Prætorium, ab infima ara ſubito anguis emergeret, cum quidam C. Poſtumius aruſpex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret. Id cùm Sulla feciſſet, tum ante oppidum Nolam florentiſſima Samnitum caſtra cepit. *Cicero de divinatione* 1.

Cæciliæ Q. filiæ ſomnio modò Marſico bello templum eſt à Senatu Iunoni Soſpitæ reſtitutum. Quod quidem ſomnium mirifice ad verbum cum re conveniſſe. *Ibidem.*

Somniis credi non oportere. *Ibidem.*

Initio belli Marſici, & Deorum ſimulacra ſudaviſſe, & diſceſſiſſe cælum, & ex occulto auditas eſſe voces quæ pericula belli nuntiarent, & Lanuvii clypeos, quod aruſpicibus triſtiſſimum viſum eſſet, à muribus eſſe deroſos. *Ibidem.*

Prœlio quo ad Ianiculum adverſus Cinnam pugnatum eſt, Pompejanus miles fratrem ſuum, dein cognito facinore, ſeipſum interfecit. *Tacitus Hiſtor.* 3. 3.

Aræ, id eſt, ſaxa, inter Africam, Siciliam & Sardiniam, & Italiam, à Siſenna Propitiæ vocantur. *Servius Æneid.* 1.

L. Cornelius Sisenna

Scipionis Africani, & belli Numantini ætatem proxime contingit. Multa ſcripſit. Magnus antiqui ſermonis amator. Author optumus, & diligentiſsumus à Salluſtio nominatur.

L. CORNELII SISENNÆ

Milesiarum

LIB. II.

Non dignus in quem debeam Satyram calente vi adingerere. *Idem.*

LIB. XIII.

Niſi cominus excidiſſet, Quanti dantur, Tanti, inquit, Olympias. Simul hæc dicens ſuavium dedit,

dedit, ut ſcilicet ſubſonaret quanti pretii. *Cariſius* 2.

Proin dato aliquid quod domi habebis, inquit, quod tibi non magno ſtabit. *Ibidem.*

Confeſtim ſecuta eſt. *Ibidem.*

Eamus ad ipſum, atque ipſe commodo de parte ſuperiore deſcendebat. *Ibidem.*

Obviam venit. *Ibidem.*

Te iſtuc heſterno quoque hæſiſſe oportuerat Ariſtæe. *Ibidem.*

Quid nunc os tuum ſcalpis? quid tergiverſaris, nec bene naviter is? *Ibidem.*

Nocte venimus. *Ibidem.*

Vt eum penitus utero ſuo recepit. *Ibidem.*

COMMENTARIVS IN PLAVTVM.

IN AMPHITRVONEM.

Examuſſim pro examinato. Amuſſis enim eſt tabula rubricata, quæ dimittitur examinandi operis gratia, an rectum opus ſurgat. *Ibidem.*

Quæcunque nomina *E* litera ablativo ſingulari terminantur, *I* litera finita adverbia fiunt, ut mani, luci.

Tractim pro lente. Tuatim, ut noſtratim. *Ibidem.*

His quatuor generibus quintum accedit. *Ruſinus de metris.*

De genere verſuum qui non ſunt ejuſmodi. *Ibidem.*

IN AVLVLARIAM.

Hæc ſcena anapæſtico metro eſt, ſed conciſa ſunt, ut non intelligas. *Ibidem.*

IN CAPTIVOS.

Hic ornatu, *S* literam metri cauſſa omiſit. *Ibidem.*

IN POENVLVM.

Halonium Pœni dicunt Deum, & producenda ſyllaba metri gratia exigit jambum. *Ibidem.*

IN RVDENTEM.

Fuvit extenta prima ſyllaba metri cauſa. *Ibidem.*

Habiliore metro uſus eſt, ut ſolet in mulierum oratione. *Ibidem.*

Latronem producit metri cauſſa. *Ibidem.*

Ex Incertis.

Aſſentio. *Varro de L. Lat.* 7. *Quintil.* 1.

Mediterrea. *Feſtus Mediterrea pro Mediterranea.*

Patres familias. *Cariſius* 10. *Varro.* 7.

M. Terentivs Varro,

Togatorum omnium doctiſſimus, maximus ſcrutator Romanæ antiquitatis, in hiſtoria Romana multa præſtitit. Præter annales aliud opus ſcripſit, cui titulum fecit, Siſenna *ſive* de Hiſtoria.

M. TERENTII VARRONIS ANNALIVM

LIB. III.

Nummum argenteum conflatum primum à Servio Tullio dicunt. Is quatuor ſcriptulis major fuit quam nunc eſt. *Cariſ.* 1.

Q. HORTENSIVS ORTALVS

Æqualis Ciceronis fuit. Annales compoſuit, in quibus ingenium & eloquentiam maximam probavit.

Q. HORTENSII ORTALI
ANNALES.

Fannium qui ſcripſit hiſtoriam, generum eſſe Lælii. *Cicero ad Atticum* 12.

De virtutibus Minatii Magii. *Velleius* 2.

ORATIO PRO C. RABIRIO.

Cicatricum meatum. *Cariſ.* 1.

ORATIO PRO C. VERRE.

Quintil. 10.

POEMATA.

Gell. 19.9.

EX LIBRIS INCERTIS.

Abuſis jam ab omnibus locis. *Priſc.* 8.

Cervicem. *Quintil.* 8.

T. POMPONIVS ATTICVS

Annales Imperii Romani ſcripſit, breviter & perdiligenter omnia exſequutus, ut ait Tullius, cum quo familiariſſime vixit.

T. POMPONII ATTICI
ANNALES.

Quibus Coſs. Carneades & ea legatio Romam venerit. *Cicero ad Atticum* 12.

Duos Tribunos plebis primum creatos eſſe. *Pedianus in Cornelianam.*

Antiochi regis filio obſidi domum publicè ædificatam, quæ poſtea dicitur Lucillii poetæ fuiſſe. *Idem in Piſonianam.*

Romam

Romam conditam Olympiadis ſextæ anno tertio. *Solinus Polyhiſtor.*

DE ROMANIS FAMILIIS

LIBRI I.

Nepos in vita.

DE CONSVLATV CICERONIS

LIBER GRAECVS.

Ibidem.

CORNELIVS NEPOS

Ejuſdem itidem cum Tullio ætatis. Varia ſcripſit, Chronica Romana, & item exempla paſſim excerpta, & uti videtur, ſub titulos certos digeſta.

CORNELII NEPOTIS

CHRONICORVM

LIB. I.

Homerum vixiſſe ante Romam conditam annis circiter centum & ſexaginta. *Gell.* 17.21.

Archilochum Tullo Hoſtilio Romæ regnante jam tum fuiſſe poematis clarum. *Ibidem.*

M. Manlius damnatus capitis verberando necatus eſt. *Ibidem.*

EXEMPLORVM

LIB. II.

A virgine Veſtale. *Cariſ.* 1.

LIB. V.

Multis in Senatu placuiſſe, ut ii qui redire nollent, datis cuſtodibus ad Hannibalem deducerentur, &c. *Gell.* 7.18.

DE

DE VIRIS ILLVSTRIBVS

LIB. II.

Subinde. *Cariſius* 2.

LIB. XV.

Partum. *Idem* 1.

LIB. XVI.

A fratre patruele. *Ibidem.*

DE VITA CATONIS MAIORIS, ad T. Pomponium Atticum, LIBER.

Nepos lib. 11. *De vita excellent. Imperat.*

DE DISCRIMINE LITERATI ET ERVDITI, LIBELLVS.

Literatos quidem vulgo appellari eos, qui aliquid diligenter, & acute, ſcienterque poſſint aut dicere, aut ſcribere: cæterum proprie ſic appellandos poetarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominantur, eoſdem Literatores vocitatos. *Suetonius de illuſtr. Grammat.*

EX INCERTO.

Græcam hiſtoriam Albini cum legiſſet M. Cato, Næ, tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum maluiſti culpam deprecari, quàm culpa vacare, &c. *Gellius* 11.7.

EPISTOLA AD CICERONEM.

Tantum abeſt ut ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi, quam pleriſque qui in ea diſputando verſantur. Video enim magnam partem eorum qui in ſchola de

de pudore & continentia præcipiant argutiſſime, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. *Lactantius* 3.15.

DE VITA CICERONIS.

LIB. I.

Ciceronem tres & viginti annos natum primam cauſam judicii publici egiſſe, Sextumque Roſcium patricidii reum defendiſſe. *Gellius* 15.28.

Ex Incertis.

Ædis Matris eſt Circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. *Priſcian*.8.

Me juvene violacea purpura vigebat; cujus libra denariis centum veniebat, nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta uſus, improbabatur: qua purpura quis non jam tricliniaria facit? *Plinius* 9.39.

Eudoxum quendam ſua ætate cum Lathyrum regem fugeret Arabico ſinu egreſſum Gades uſque pervectum. *Idem* 2.67.

Q. Metello Celeri, C. Afranii in conſulatu collegæ, ſed tum Galliæ proconſuli, Indos à rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii cauſa navigantes tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti. *Ibidem*.

Fauces Oceani patere latitudinis, ubi minimum, VII. millia paſs., ubi vero plurimum X. mill. *Idem* 3.

Melpum opulentia præcipuum ab Inſubribus, & Goiis, & Senonibus deletum eſt eo die quo Camillus Vejos cepit. *Ibidem* 17.

Iſtro ex adverſo Padi fauces, contrario eorum

rum percuſſu mari interjecto dulceſcente. *Ibidem* 18.

Alpes in latitudinem patere C.mill. paſs. *Ibidem* 19.

Ab Tingi aliam à colonia Iulia. *Idem* 5. 1.

Inter Pontem & Caſpium mare intereſſe CL. mill. *Idem* 6.11.

Cernem inſulam abeſſe ex adverſo maximè Carthaginis à continente paſſus mille. *Ibidem* 31.

Præcipuam autoritatem fuiſſe lupo & aſellis. *Idem* 9.17.

Turdos paullo ante cœptos ſaginari: ciconias magis placere quam grues. *Idem* 10.23.

Loton brevem eſſe. *Idem* 13.17.

Vinum expreſſum loto ultra denos dies negat durare, baccaſque contuſas cum ſiliqua ad cibos doliis condi. *Ibidem*.

Scandula contectam fuiſſe Romam uſque ad bellum Pyrrhi, annis quadringentis LXX. *Idem* 16. 10.

Ante Sullæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea. *Idem* 33.11.

Cleophantum pictorem ſecutum in Italia Demaratum, Tarquinii Priſci Romani regis patrem. *Idem* 35.3.

Primum Romæ parietes cruſta marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cœlio monte Mamurram Formiis natum, equitem Romanum. Eum primum totis ædibus nullam niſi è marmore columnam habuiſſe, omnes ſolidas è Caryſtio aut Lunenſi. *Idem* 36.6.

Magno fuiſſe miraculo cum P.Lentulus Spinter amphoras ex onyche, & urceos magnitudine cadorum oſtendiſſet: poſt quinquennium deinde triginta duorum pedũ longitudine columnas vidiſſe. *Ibidem* 7.

Romam

Romam conditam Oympiadis VII. anno ſe
cundo. *Solinus* 2.

Annibal Marcelli reliquias in argenteam con
ditas urnam, injecta aurea corona, remiſit ad f
lium. Quum autem inferentes urnam Numid
quidam delati molirentur eam auferre, repugnan
tibus illis, vi eripuerunt projeceruntque oſſa. Qu
nuntiato ad adſtantes Annibal: Quam nihil, in
quit, poteſt fieri invito Deo. Numidas inde ſup
plicio affecit, neque ultra deferendorum oſſiu
vel colligendorum fuit ei cura. *Plutarch. in Ma
cello.*

Fuſum fugatumque aliquot pugnis à Marcel
Annibalis exercitum. *Ibidem.*

Non ſenio vel morbo Lucullo mentem m
tam, ſed quod veneno eſset à liberto Caliſthe
potionatus. Dediſse Caliſthenem illi venenum
ut impenſius ab eo diligeretur, quod amatoriu
exiſtimabat eſse; at ita id ſolviſse & aliena
mentem ejus, ut viventis etiam procuraret neg
tia frater. *Idem in Lucullo.*

Non Craſſi, ſed Bruti, qui de Luſitanis triun
phaverat, Cajum Graccum filiam in matrimon
habuiſse. *Idem Graccis.*

Primus omnium libertinorum ſcribere hiſt
riam orſus, non niſi ab honeſtiſſimo quoquo ſc
bi ſolitam. *Suetonius de claris Rhetoribus, de
Octacilio.*

Non amplius ter bibere eum ſolitum ſupra c
nam in caſtris apud Mutinam. *Idem in A
guſto.*

L. F

L. FENESTELLA

Itidem ævo Auguſtæo vixit, & ſcripſit. Annales memorantur. Falſo huic tribuitur Libellus de Magiſtratibus Romanis, qui genuinum auctorem habet Dominicum Floccum Florentinum.

L. FENESTELLÆ ANNALIVM

LIB. II.

Et quædam exta præſente ſuis, quædam abſente projeciſſent. *Nonius præſente nobis.*

LIB. XXII.

Itaque ut magiſtratum Tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adoleſcens & audax, nec imparatus ad dicendum, initionibus aſſiduis invidiam & Ptolomæo, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo Conſuli paranti jam iter, concitare ſecundo quidem populi rumore cœpit. *Nonius Rumor.*

Ex Incerto.

Faſcem pectoralis reticulus. *Idem, Reticulum maſcul.*

EPITOMARVM

LIB. II.

Quemadmodum Cæſar à piratis captus ſit, utque eos ipſe poſtea ceperit, & decollaverit. *Diomedes 1.*

Ex Incertis.

Fruſtratus igitur à ſpe, devictus in caſtra ſe recepit. *Priſcian. 8.*

Apud quem vadatus amicitiæ nodulo tenebatur. *Fulgent. Vadatus, Obſtrictus.*

Æmi-

Æmiliam virginem xv. Kalend. Ianuar. eſſ damnatam. *Macrob.* 1.10.

Sequebantur eum diem Saturnalia. *Ibidem.*

Poſtero autem die, qui fuit xiii Kalend. Ianuariarum, Licinam virginem ut cauſſam diceret juſſam. *Ibidem.*

Defenſus eſt Catilina à M. Cicerone. *Pedian. in Catil. & Antonium.*

Rutilium Attilium Nudum appellatum, ſocerum Piſonis patris. *Idem in Piſon.*

Ad xiv Kal. Februar. Milonem Lanuvium profectum. *Idem in Milon.*

Ciceronem ſexto viceſimo ætatis anno pro Sex. Roſcio dixiſſe. *Gell.* 15.28.

Annum vertentem Romæ ab initio xii menſium fuiſſe. *Cenſorin. de die natali.*

Romæ pugnaſſe (elephantos) primum omnium in Circo Claudii Pulcri ædilitate curuli, M. Antonio, A. Poſtumio Coſſ. anno urbis DCLV. *Plini* 8.7.

Togas raſas Phrygianaſque divi Auguſti noviſſimis temporibus cœpiſſe. *Ibidem* 48.

Nomen his (mullis) à colore mulleorum calceamentorum datum. *Idem* 9.17.

Oleam omnino non fuiſſe in Italia, Hiſpania atque Africa Tarquinio Priſco regnante, ab anno populi Romani CLXXXIII. *Idem* 15.1.

Calpurnium & Manilium, qui Legatus C. Marii fuerat Iugurthino bello (annulos ferreos habuiſſe.) *Idem* 30.1.

Repoſitoriis argentum addi ſua memoria cœptum. Sed ea teſtudinea tum in uſu veniſſe. Ante autem paullo lignea rotunda ſolida, nec multo majora quàm menſas fuiſſe. Se quidem pueri quadrata & compacta, aut acere operta, aut citr

cœpi

cœpiſse. Mox additum argentum in angulis, lineaſque per commiſsuras. Tympana vero ſe juvene appellata ſtateras & lances, quas antiqui magidas appellaverant. *Idem* 33.11.

TANUSIUS GEMINUS

Ciceronis amicus fuit. Annales condidit.

TANUSII GEMINI ANNALES.

Conjuraſse Cæſarem cum M. Craſso conſulari, item P. Sulla & P. Autronio. *Suetonius in Iulio c.9.*

Catonem decernente victoriæ cauſsa ſupplicationem Senatu pro ſententia dixiſse, Cæſarem barbaris dedendum ad expiandum à violato jure gentium civitatem, & ad piaculum in autorem vertendum. *Plutarchus in Cæſare.*

DOMITIUS

Incertæ ætatis ſcriptor; inter veteres Hiſtoricos memoratur.

DOMITII

LIB. I.

Non orbes farreos, ſed menſarum vice ſumendi cibi gratia apium, cujus maxima erat ibidem copia, fuiſſe ſubſtratum, quod ipſum conſumtis aliis eduliis eos comediſſe. Ac poſt ſubinde intellexiſſe illas eſſe menſas quas illos comeſturas prædictum eſſet. *Autor de origine gent. Roman.*

Sorte Apollinis Delphici monitum Æneam ut Italiam peteret, ubi duo maria inveniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet, ibi urbem uti conderet. *Ibidem.*

CN.

CN. EGNATIVS VERINVS

Itidem obſcuræ ætatis. A primis urbis initiis Hiſto riam contexuiſſe videtur.

EGNATII
LIB. I.

In ea contentione non modo Rerum non eſſ occiſum, ſed etiam ulterius à Romulo vixiſ tradit. *Ibidem.*

M. OCTAVIVS

Quoque eſt inter priſcæ Hiſtoriæ auctores. De æta te ejus, & ſcriptis itidem non conſtat.

M. OCTAVII
LIB. I.

Cum interim immolata ſue in litore ſacrif cium perageret, traditur forte advertiſſe Arg vam claſſem, in qua Vlyxes erat: cumque verer tur, ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret, iten que rem divinam interrumpere ſummum nef duceret, caput velamento obduxiſse, atque ita pl no ritu ſacra perfeciſse. Inde poſteris traditu morem ita ſacrificandi. *Ibidem.*

Amulium patrium Rheæ ſacerdotis amore c ptum, nubilo cælo obſcuroque aere cum primu illuceſcere cœpiſset in uſum ſacrorum aquam p tenti inſidiatum, in luco Martis compreſſiſse ear tum exactis menſibus geminos editos. Quod cù comperiſset, celandi facti gratia per ſcelus conc pti, necari juſſit ſacerdotem, partum ſibi exhibe. Tumque Numitorem ſpe futurorum, quod hi, adoleviſsent, injuriarum ſuarum quandoque ult res futuri eſsent alios pro eis ſubdidiſse, illoſq ſuos veros nepotes Fauſtulo paſtorum magiſt dediſse nutriendos. *Ibidem.*

FINIS.

FLORILEGIVM LOCVTIONVM SALLVSTIANARVM.

ABunde eſſe 14. 44. 58.
Actu promtus. 177
Ad hoc. 9. 11. 17. 19. 24. & ſæpe.
Ad ſe verſum. 94. 101
Ad tempus, idem quod, *tempori & in tempore.* 102
Ad urbem. 19
Advolvi genua. 180
Ægritudo. 110
Æqua manu diſcedere è prælio. 25
Æmulus facta conſultaque. 164
Æquum bonumque. 76. 147
Æſtas nova, adulta, præceps. 184
Æſtumare aliquid ex aliquo. 7
Ætatem agere. 3. 25. 44. 49. 107. & ſæpe.
Ætatem habere procul à rep. 3
Agere, abſolute. 138
Agere ætatem in excelſo. 34.
Agere ætatem per ignaviam. 47
Agere pro victore. 126
Agere vitam in obſcuro. 33.
Agitare imperium. 6
Agitare lætitiam. 30
Agitare mente 13
Agitare pacem. 57
Agitare præſidium. 92. 115.
Agitare remp. 24
Agitare, ſimpliciter. 158 196.
Alia omnia, id eſt, *diverſa, contraria.* 29
Aliena mens. 23
Alienus conſilii. 26

Alius

Ex compoſito. 113
Ex conſcientia timere. 97
Ex copia rerum ſtatuere. 79. 126
Ex improviſo. 58. 89
Ex inopia conſilium capere. 91
Ex lubidine. 146. 194
Ex lubidine facere. 194
Ex lubidine uti. 81. 90
Ex ſententia. 82. 135. 137
Ex vero. 6
Ex virtute cognomen. 49
Ex voluntate. 17. 136
in Excelſo. 194
Exercere ſe aliqua re. 97
Exercere victoriam crudeliter, moderate. 203
Expers fama, fortuna. 21
Extrema experiri. 17
Extrema neceßitas. 141
in Extremo fortunæ ſitæ. 65
Extremum dici, 64. *æſtatis.* 119

F.

Facto opus. 29. & ſæpe.
Falſum eſſe. 7. 113
Falsũ me habuit eares 52
Famam præclari facinoris quærere. 2
Fides. 17. 104. 158
Fides publica. 30
Fidei cauſa. 69. 114
Fine inguinum. 164
Firmare animi. 169
Firmatus animi. 163
Fors. 107. 200
Fortunatus forma, genere. 16
Fruſtra eſſe. 52. 103. 113. 136
Fugam facere alteri. 175
Furibundus. 20. 204
Futurum quæ imperata ſint. 127

G.

Galliæ mulieres. 169
Gignentia. 108. 122
Gnaritas locorum. 156
Graſſari ad gloriam via virtutis. 47
Graſſari cupidine atque ira. 98
Gratia. 13
in Gratia habere. 136
Gratiam facere delicti, belli. 37. 131. 163
Gratiam quærere. 48
Gratificari gratiam. 193
Gratificari alteri rem quampiam. 48. 193
Gratuito bonus, malus. 10. 145. 200

H.

Habent ita ſe mores. 90

Habere

Habere accurate & liberaliter. 131
Habere compertum. 43
Habere dubium. 160
Habere exercitum luxurioſe. 8
Habere in amicis. 51. 60
Habere in cuſtodiis. 30. 38
Habere in gratia. 136
Habere in incertum. 26
Habere in propatulo. 8
Habere in ſpe. 20
Habere manifeſtum. 75.
Habere occultum. 16
Habere penſi, & moderati. 4. 8. 15
Habere pericula vilia. 10
Habere ſeſe æquabiliter. 2
Habere ſummum judicium, imperium. 19
Habere vilia, imperium, patriam &c. 173
Haveto, pro *valeto.* 22
Hibernacula. 134
Homo adoleſcẽs. 24. 38. 50
Homo fœdus. 12
Homo novus. 16. 113
Honeſtatus honore. 22
Hoſtilia facere. 133

I.

Iacere, mentionem facere, innuere, ſignificare. 53
Id locorum. 98. 103
Idem majoribus ſuis facere, pro *idem quod majores.* 114
Ignara lingua, regio, pro *ignota.* 62. 89
Ignoratus, pro *occultatus, latens, tacitus.* 91
Immane quantum. 156
Immodicus animi. 175
Impenſius quid facere. 105.
Imperare, pro, *imperata peragere.* 97
Imponere invidiam. 26
Importuoſum mare. 61
de Improviſo. 18. 78. 126 134
ex Improviſo. 58. 90
Impunitas alicujus facti. 19
In aperto eſſe. 48
In cuſtodiam traditi. 32
In excelſo. 194
In Galliam verſus. 41
In gloria numerat. 142
In gratia habere. 136
In hoſtem pugnare. 6. 39
In invidia eſſe. 67
In imperio natus. 72
In manus, pro, *ad manus venire.* 118
In obſcuro vitam agere. 33
In ore populo agere. 178

Oportunus alicui. 17.84. 91. 165.
Oportunum factu. 20. 41. 43. 190.
Optumum factum. 134
Ordine facere. 32
Oris improbi. 172
Oſtentui eſſe. 66.84

P.

PAces. 73
Parens, pro, Subditus. 130
Parum facere. 114
Patiens belli. 5
Patiens inediæ. 3
Patiens militiæ. 97
Patrare, pro peragere, ſæpius.
Pecuniam trahere, vexare. 14
Penſi habere. 4.8.15
Per ſaturam referre. 70
Perſcribere ſitum loci. 122
Plerumque noctis. 64. 126. 135
Plerumque exercitum, pleraque Africa. 91. 108.
Plerumque, pro, ſæpe. 102.
Ponere verba ante facta. 59
Populares ſceleris. 15. conjurationis. 16
Portare copias, exercitum. 76.77
Poſt alius alium. 189
Poſtea loci, 129
Poſt eſſe. 16
Poſt futuri. 141
Poſt paullo. 201
Poſt principia. 87
Poſtremus flagitioſorũ, ſervorum. 144. 167
Præcipitem abire luxuria, &c. 17
Prædabundus. 119
Præſtare cæteris. 1
Primus, pro, præcipuus. 23. 106. 111
Prima ducere, habere. 80. 106. 111.
Princeps intelligendi. 177
Pro bono facere. 65
Pro copia rei facere. 119
Procedere, id eſt, proſpere cedere. 17. 20. 76. 100. 112.
in Proclivi. 200
Profundum, immenſum 109. 166. 191.
Prohibere janua, mœnibus. 18. 64
in Promtu eſt. 199. 203.
Promtum in lingua. 7
Propior montem. 86
Propius virtutem. 7

Proſpe-

Proſpere evenire alicui. 205.
Proxuma Carthaginem. 62.
Proxume Hiſpaniā. 63
Prudens belli. 168
Publicum bonum. 24. 67. 202
Publicum malum. 170. 192. 198
Pugnando capere. 6.69

Q.

QVaſi pro *fere*, ſæpius.
Quæſitiſſumæ epulæ. 155

R.

RElinquere in medio 12.
Repulſum abire. 135
Requieſcere ex miſeriis. 3.
Requiſita naturæ. 178
Res oportuna cadit. 13
Reſtare, pro, *reſiſtere.* 149.
Retinere per manus. 73

S.

SAtias. 158
Satisfactio. 22
Sciens belli, locorum. 125
Scitis equidem. 43
Secus accidere, cedere, procedere. 64.67.204
Secus muliebre, virile. 154.
Senati, in genit. 19.23. 40.79. 172
Senatum dare. 55
Senecta ætas. 173
Senectum corpus. 165
ex Sententia. 135
Sicuti, pro, *tanquam.* 18. 24.
Silentio tranſire. 1
Sine modo modeſtiaque. 81.
Spes, pro *opinione.* 172
Studere ſe præſtare, videri, placere. 1
Sua, &, *ſua res.* 1.98
Subigere, pro, *cogere.* 7. 68. & ſæpe.
Sublima nebula. 159
Suo loco pugnā facere. 94
Superare, pro, *abundare.* 13.71.98.141
Super fortunam animū gerere. 98
Supplicia, pro, *precibus & ſupplicationibus.* 6.39.83.91.100
Supra caput eſſe. 39
Supra repetere. 4.49
Supra ſine expreſſo caſu. 3

T.

Temperare victoriæ. 8
Tempeſtas. 16.48
Tergis ſumtis atque redditis. 178
Tradere in cuſtodiam. 32
Trahere animo. 110
Trahere cum animo. 121
Trahere pecunias. 14
Tranſire vitam ſilẽtiô. 1
Transverſum agere. 50. 58.
Tumulti. 45
Tutus, pro, *tuitus* aut *tutatus.* 88.105.115. 135.

V.

Vacuus ab odio, amicitia. 32
Vacuus frugis. 119
Valere animo. 54
Venire in gratiam & favorem. 55
Venire in manus, pro, *ad manus.* 118
Venum ire. 68
Vertet, abſolute. 39.112
Verum bonumque. 70
Veſper diei. 88.132
Vexare pecuniam. 14
Vicem ærarii præſtare. 157.
Vice pecorum, pro, *inſtar.* 155
Vices, id eſt, *pugna.* 184
Victoriam exercere crudeliter, moderate. 20
Vindicare in libertatem. 13.
Virtus animi. 1.2
Vis animi. 3.46.74.200
Vis corporis. 1.2
Vis hominis. 30
Vitabundus. 129
Vitam agere in obſcuro. 33.
Vlciſcor, paſſive. 71
Vltra ſine expreſſo caſu. 34
Volentia, id eſt, *ea quæ volumus*; *deſideramus.* 104.169
Volentibus bonis, omnibus, militibus &c. 21.111.127.
ex Voluntate. 17.136
Voluntate, id eſt, *ultro*, aut, *voluntarie.* 55
Voluntate alicujus, id eſt, *juſſu*, aut *permiſſu.* 12
Voluptarius. 8
Vorticoſus. 187
Vti ex voluntate. 17
Vulgus eſſe. 13

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

ABorigines cum Trojanis Romã condidere, 4. genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum, *ibid.*
Adoleſcentium animi molles & ætate fluxi. 3
Adrimetum à Phœnicibus conditum. 63
Adverſæ res etiam bonos detrectant. 90
Ædes Concordiæ. 29
Æmilius Scaurus à Iugurthæ largitione ſe cõtinet. 60. ejus mores. *ibid.* à Iugurthæ legatis corrumpitur. 69
Æneas. 4
Æs alienum, pro argento, ære ſolutum. 21
Æs grande conflare. 9
Æthiopes. 63
Africæ ſitus, & deſcriptio. 61. eam qui primò incoluerint. *ibid.* à Gætulis & Libybus poſſeſſa. *ibid.* ejus pars provincia P. R. 63. 68. ejus pars inferior à Numidis poſſeſſa. 63
Albinus Conſul ad bellũ proficiſcitur. 77. ejus caſtra à Iugurtha circumventa. 78. ejus exercitus qualis. 82
Aliena largiri, liberalitas. 37
Allobroges ad cõjurandum ab Vmbreno ſolicitati. 25. à conjuratis jusjurandũ poſtulant. 26. iiſdem ob conjurationem detectam, præmia decernuntur. 31
Ambitio vitium virtuti proprius quàm avaritia. 7. corrumpit animos. *ibid.* bonorũ famam lædit. 124
Amici officio fideq; parantur. 53
Amicitia firma idem velle,

velle, idem nolle. 13. non idẽ quod factio. 72. in diverſis mentibus eſſe non poteſt. 73
Animus divinus, 1. ejus atq; corporis dotes, & munera, *ib.* in cõſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius, 38. vitæ mortalium dux, atque imperator. 47. ferox, prava via ingreſſus, ubi conſueta non ſuppetunt, quæ efficiat, 191. in adverſis rebus quàm in ſecundis major Cæſari. 195
Annius Cajus, Leptitanorũ præfectus. 107
L. Annius, & P. Lucullus Tribuni pleb. magiſtratum continuare nituntur. 77
Annius Quinctus conjuratus. 11
Antiochus decem millibus talentorum à Philippo ſpoliatus. 166
Antonius conſul. 16. Catilinam cum exercitu perſequitur. 23
Appii dictum, Fortunæ ſuæ quiſque faber. 188
App. Claudius interrex. 147
Aquila quæ in exercitu Catilinæ. 45
Archelaus Mithridatis incepta impedivit. 167
Ariſtonicus Antiochi filius, triumpho ductus. 166
Aſia à Romanis obſeſſa. *ibid.*
Aſpar Numida. 134
Athenæ ſuam celebritatem ſcriptoribus debent. 6
Atherbal, Micipſæ filius. 50. 53. prœlio vincitur à Iugurtha. 55. victus Romam contendit, *ibid.* ejus verba in ſenatu. 56. ubivis tutior, quam in ſuo regno. 57. à Iugurtha vincitur. 64 ejus ad Iugurtham legati, de injuriis querentes. *ibid.* Cirtam profugit. *ibid.* copias adverſus Iugurtham parat. *ibid.* ejus literæ in ſenatu recitatæ, 66. ejuſdẽ deditio &

tio & interitus. 68
Avaritia pecuniæ ſtudium habet, 7. corpus animumque virilem effeminans, *ibid.* bellua fera, immanis, intoleranda. 200
Aventinus mons, bis à plebe occupatus in ſeceſſione. 72
Aurelia Oreſtilla, Catilinæ conjux. 10
Autronius Publius conjuratus, 11. conſul deſignatus, *ibid.* ambitus condẽnatus. 11

B.

Bæbius Cajus à Iugurtha corrumpitur. 75
Bellienus Lucius prætor. 131
Bellorum cauſſa dominandi libido. 38.39
Bellum pace mutare, victoris in manu eſt, 44. ex arbitrio ſumitur, at non ponitur, 111. 189. Cæſaris aliorũ pace molliꝰ. 189
Bellũ Cimbricũ, 45. civile, 50. Gallicũ, 137. Macedonicum, 166. maritimum, atq; Mithridaticum, 24. Punicum, 50. Romanos in officio retinuit, 80. ſervile Capuæ, & in Apulia. 19
Belli ſocietatem inituris quæ cõſideranda. 166
Beneficii, quàm maleficii immemorem eſſe in rep. præſtat. 74
Beſtia Lucius conjuratus. 11
Beſtia Lucius Numidiam provinciam conſul ſortitur, 69. avaritia corrumpitur. *ibid.* ejus de deditione cõſilium cum Iugurtha. 70. exercitum in Africam parat. 69
Bithynia direpta. 167
Bocchus Maurorũ rex, 63. ejus filia, Iugurthæ uxor, 109. eum Iugurtha adversꝰ Romanos incitat, *ibid.* cum Iugurtha conjungit exercitũ, 125. eum à bello deſiſtere legati Metelli hortantur, 110. Sullæ reſpondet, 130. ejus purgatio ad Romanorum expoſtulationem, *ibid.* ejuſque legati:

gati à Iugurtha corrumpuntur, *ibid.* & à Gætulis ſpoliati, pavidi ſine decore ad Sullam profugiunt, 131. delicti gratiam ab Romanis accipit, 132. ejus Punica fides, 134. cum Sulla per interpretem agit, 135. Iugurthæ inſidias tendit, 137. Romanis Iugurthã tradit. *ibid.*
Bomilcar Maſſivæ inſidias tendit, eumque obtruncãdum curat, 76. reus ex æquo, & bono, *ibid.* reum Iugurtha in Numidiam mittit, *ibid.* vadibus datis, judicium fugit, 96. ei Metellus per ſuadet, ut ſibi Iugurtham tradat, *ibid.* à Metello corrũpitur, *ibid.* ejus epiſtola ad Nabdalſam, 102. & in Iugurtham inſidiæ detectæ, 103. à Iugurtha necatur. *ibid.*
Bona aliena largiri, liberalitas. 37
Brutus D. Semproniæ maritus, 26. ejus domus conjurationis Catilinariæ haud inſcia. *ibidem.*

C.

Cabita. 167
Cæſar Statilium cuſtodit, 30. Pontifex max. creatus Catulo dejecto, 31. ei Catulus, & Piſo infenſi, *ibid.* eum Cicero inter conjuratos nominare noluit, *ibidem.* ejus ſententia de cõjuratis, 32. & *ſeqq.* ejus natura, & mores, & Catonis comparatio, 40. 41. ejus bellum aliorum pace mollius, 189. ejusque victoria civilis, 191. atque laus. 195
C. Cornelius conjuratus, 11. pollicetur ſe Ciceronem confodere. 18
C. Cotta vovet ſe patriç, 174. ejus conſulatus. *ibid.*
C. Gracchi cædes. 71
C. Iulius in Apuliam à Catilina mittitur. 17
C. Pomptinus & Valerius

rius Flaccus Prætores tempore Ciceronis Coſ. 28

Calpurnius conſul acriter Numidiam invadit, ſed à Iugurtha corrumpitur. 69

Capitolium incēſum viginti annis ante conjurationem Catilinæ, 29

Capſa, ab Hercule condita, 118. oppidum Numidiæ magnum, & validum, *ibid.* ejus, & Thalæ ſitus, & collatio. *ibid.* obſidetur à Mario, 120. expugnatur, atque incenditur. *ibid.*

Capua municipium. 19

Carthago æmula imperii Romani à ſtirpe interiit, 7. 57. deleta diſcordiā Romæ peperit, 80. pleræque Africæ imperitabat. 108.

Caſſius Longinus conjuratus. 11

Caſſius Lucius prętor ad Iugurthā mittitur. 74

Catabathmos. 61. 63. 65

Catilina Reip. inſidiatur, 4. ejus mores, & ingenium, 3. 4. ejus ſocii, 9. 11. nobilem virginem, Veſtæ ſacerdotem ſtupravit. 10. ejus uxor Aurelia Oreſtilla, *ibid.* filium necavit. *ibid.* ejus cōſcientiam vultus arguit. *ibid.* repetundarum reus prohibitus petere conſulatum, 11. ejus oratio ad conſcios conjurationis. 13. Ciceroni inſidias machinatur. 17. conſulatum petit, *ibid.* Lege Plautia interrogatus ab L. Paullo, 20. ejus reſponſio ad Ciceronis invectivam, *ibid.* paratus ad diſſimulanda omnia, *ibid.* patricius, 3. 20. in Malliana caſtra noctu proficiſcitur, 20. ejus literæ ad Q. Catulum, 22. hoſtis à ſenatu judicatur, 22. 23. ejus exercitus, 42. fugam in Galliam parat, *ibid.* ſervitia repudiat, *ibid.* duobus exercitibus clauditur, 43. ejus verba ad

ad milites, *ibid.* fortiter pugnãs occiditur, 46
Catonis de conjuratis oratio, 36. ejuſdem ſententia, 40. natura ac mores, *ibid.* & 41. eſſe, quam videri bonus malebat. 41
Catulus à Catilina literas accipit, 22. ejus & Cæſaris inimicitiæ, 31. Sulla ſævior. 164
Ceparius conjuratus. 29
Cethegus cõjuratus, 11. captus, familiæ, atque libertorum implorat opem, 32. audax, *ibidem.*
Cicero conſul, homo novus, 16. inſidiis petitur, 17. 18. inquilinus civis urbis Romæ, 20. urbi præſidio eſſe juſſus, 23. Allobroges inſtituit, uti jusjurãdum obſignatum ad cives perferẽdum exigant, 27. Senatum in ædẽ Concordię convocat, 29. de captis in ponte Mulvio dubius, 28. de cõjuratis in ſenatu refert. 18. & 32
Cimbricum bellum, 45. ejus præda. 142
Cincius ſive Sicinius Lucius de tribunitia poteſtate loqui auſus. 160
Cinnæ in urbem reditu omnes interierũt ordines. 147
Cirta oppugnatur à Iugurtha, 64. 65. Iugurthæ tradita. 68
Civem Romanum verberibus cædi, nefas. 54
Civilis belli cauſſa. 5[illegible]
Comedere bis die, vitio datur. 19[illegible]
Comitia. 16. 7[illegible]
Concordiæ ædes. 5[illegible]
Concordia parvæ re[illegible] creſcunt. 5[illegible]
Conjuratio Catilinæ ex quibus conflata, 9. 10. prima 11. ſecunda, *ibid.* ejus pignus ſanguis human⁹ hauſtus, 15. ejus cauſſa æs alienum, 21. patefacta, 26. & 31. viginti annis poſt incenſum Capitolium. 29
Conjuratorum catalogus.

gus, 11. eorum partes, & ſuum cujuſque munus, 27. ii capiuntur 29. inque carcere necantur. 41. 42
Conſilium. 1
Conſilia in te militari. 202.
Conſilia prava ſæpe magis, quàm bona, proſpere eveniunt. 194
Conſuetudo in naturam vertitur. 112
Conſulibus Romæ imperantibus quantum Reſp. creverit. 4
Conſul vel à ſenatu, vel à populo ſummam poteſtatem accipit. 18. 19.
Conſul deſignatus ſententiam primus rogatur. 32
Conſularis poteſtas. 18
Conſulatus ante C. Marium novo homini nemini mādatus. 98. 104.
Conſultantes de rebus dubiis, odio, amicitia, ira atque miſericordia vacare debēt. 32.
Cōſultores peſſimi, ira, atque cupido. 98
Conſultoribus incepta prava noxæ. 144
Conſulto, prius quàm incipias; ubi conſulueris, mature facto opus eſt. 1
Cornelii tres fato Romæ regnaturi. 29
Cornelius ſcriba. 142
Cornificius Quinctꝰ Cethegum cuſtodit. 29. 30.
Corporis, & animi dotes & muneta. 2
Corporis bona facilè dilabuntur. 47. 48
Craſſus Marcus Pompejo inimicus, 11. conjurationis conſcius judicatur, *ib.* & 31. malorum patronus. 31
Cupido atque ira, conſultores peſſimi. 98
Curæ magnæ, magna merces eſt. 192
Curius Quinctus conjuratus, 11. ſenatu motus à cenſoribus probri gratia, 15. ejus cum Fulvia conſuetudo, *ibid.* conjurationem patefecit. 17
Cyrene, colonia. 63
Cyrenenſes magni, atq; opu-

opulenti, 108. quando maxime floruerint, *ibid.* eorundem cum Pœnis de finibus conditiones initæ. *ibid.*
Cyrus in Aſia bella gerere primus cœpit. 1

D.

DAbar, ex gente Maſiniſſæ, 134. Maſſugradæ filius, *ibid.* interpres inter Bocchum & Sullam. 135
Damaſippus, juſſu L. Sullæ, jugulatus. 35
Deorum auxilia quibus parentur rebus. 59
Diſcordia res maximæ dilabuntur. 53
Divitiæ, 1. quo modo decori habeantur. 52
Domi induſtria, foris juſtum imperium, 38
Domitii Lucii vita, 200. 201
Druſus Livius, patronus nobilitatis. 198
Ducum adverſus conjuratos catalogus. 19

E.

EGeſtas, & fames. 158
Elephanti XL. à Romanis interfecti. 89
Epiſt. Atherbalis in ſenatu recitata, 66. Bomilcaris ad Nabdalſam, 102. Catilinæ ad Catulum, 22. Lentuli ad Catilinam, 28. Scipionis ad Micipſam. 52.
Equites R. cum telis circum ædem Concordiæ, 31. Cęſari gladio minitantur. *ibid.* iiſdem indignum regnum peregrinorum ſatellites agere. 99. 140.
Etruria, propter Sullæ dominationem egeſtate laborat. 18
Eumenes. 166
Exempla mala ex bonis initiis orta. 35
Exercitus R. quo modo mollis evaſerit. 8

F.

FAbii Maximi verba. 49
Fabius Sanga, Allobrogum patronus. 26
Factio non idem quod amicitia. 72
Famæ magis, quàm iræ, conſu-

conſulendum. 33
Fames miſerrima omnium mors. 19
Familiæ gladiatoriæ. 19
Favonius Marcius, civitatis onus. 201
Feneratores paci publicæ officiunt. 192
Fœdus nullum ſenatus populique R. injuſſu fieri poterat. 79
Fortuna ſimul cum moribus immutatur, 2. in omni re dominatur, 6. humana pleraque regit, *ibidem* & 130. nihil vel eripere vel largiri poteſt, 47. 48. meliores ſequitur. 147
Fortunæ ſuæ quiſq; faber; Appii dictū. 188
Fuſidius honorum omnium dehoneſtamētum. 142
Fulvia nobile Q. Curii ſcortum, 15. conjurationem detexit. 16
Fulvius Nobilior conjuratus, 11. ad Catilinā proficiſcitur, 25. à patre necari juſſus. *ibid.*
Fulvius Flaccus ab Opimio cōſule occiſus. 60

G.

GAbinius Publius cōjuratus. 11. & 26
Gætuli initio Africam habuere, 61. 62. ferarum more viventes, *ibid.* eorū ſitus, *ibid.* mores, *ibid.* genus hominum ferum, & incultum, 109. eos armis aſſuefacit Iugurtha, *ibid.* à Mario fuſi fugatique. 127
Gallica gens bellicoſa, 25. infeſtiſſima Romano nomini, 38. armis præſtans, 40. apud Romanos formidabilis. 137
Gallicum bellum. *ibid.*
Gaudæ, Maſtanabalis filio, Maſiniſſæ nepoti, regios honores Metellus negat. 99
Gladiatoriæ familiæ. 19
Gloriæ itinera duo, pacis ſcilicet ac belli. 2
Gloriæ certamen. 5
Gloria invidiam vincere difficilimum. 53
Gloriam invidia ſequitur. 91
Gloria majorum poſteris lumen. 114

Gloria

Gloria induſtria alitur. 199
Gracchus ab Opimio conſule occiſus. 60
Gracchi, plebem in libertaté vindicare conantes, occiduntur. 81
Gracchorũ cædes. *ibid.*
Gracchi Caii lex de vocandis ex quinq; claſſibus centuriis. 200
Græci verberibus animadvertebant in cives, 36. facundia Romanis priores, non item virtute. 40
Guluſſa Maſiniſſæ filius. 50

H.

HAnnibal Romanos afflixit. 50
Hercules in Hiſpania periit. 62
Herennius à Pompeio cum exercitu deletur. 158
Hiempſal, Micipſæ filius, 50. natura ferox, Iugurtham deſpiciens, 54. ejus gravius dictum Iugurtham exaſperat. *ibid.* occiditur. 55. eju caput ad Iugurthan refertur. *ibia*
Hiempſalis regis libr 61
Hippo à Phœnicibu condita. 6
Hiſtorias ſcribere cu arduum, 2. magno u ſui eſſe. 4
Hominis partes duæ atque utriuſque mu nera, 1. & 47. eju induſtria belluarur vim ſuperat. *ibiden*

I.

IGnavia nemo immor talis factus. 11
Imagines majorum a virtutem accendun 49
Imperandũ quàm opt mis. 18
Imperatorem agere, ar duum admodũ. 11 113. 114
Imperium quibus art bus retineatur.
Imperio maximo m xima ineſt cura. 17
Imperia crudelia acerb magis, quam diutur na. 19

In

ncepta prava conſultoribus noxæ. 144
ndici cōjurationis prę-mia conſtituta. 19
nduſtria gloria alitur. 199
ngenium præſtat viribus, 1. in bello plurimum poteſt, 2. ſocordia torpeſcit, 48. magnum res parvas attingere nequit. 192
Injuriæ cuique ſuæ graves: 53
Inſtituta vetera corruptis moribus ludibrio ſunt. 191
Invidia ex opuletia oritur. 4
Invidiam gloria vincere difficilimum. 53
Invidia gloriam ſequitur. 91
Ira atque cupido conſultores peſſimi. 98
Iracundia apud alios, in imperio ſuperbia. 33. 34
Italos necare judicio leges permittebant. 102
Iudiciis acerbis civitas magis vaſtatur, quam corrigitur. 192
Iugurtha qualis, 50. 51. 60. 61. bellum magnū cum eo, variaq; victoria, 49. Maſtanabalis filius ex concubina, Maſiniſſæ nepos, 50. à Micipſa patruo filii loco habitus, *ibid.* ejus genus, mores, ſtudia & ingenium. 50, 51. auxiliari exercitui præfectus, 51. quibus cōjecturis regnum ſibi polliceatur, 52. Romanis carus, 51. 52. Scipioni, propter virtutem, placuit, 52. ab eo laudatur, *ibid.* adoptatur à Micipſa, *ibid.* & 57. & 65. Micipſæ decreta reſcindi oportere cōtendit, 54. ejus ira, & inſidiæ in Hiempſalem. *ibid.* Romanos largiendo fatigat, 55. pugna Atherbalé vincit, Numidia potitur, legatos Romam mittit, *ibid.* excuſatur à legatis, 60. largitionibus meliorem regni partem ſortitus eſt, 61. Opimium corrumpit, 60. Cirtã obſidet, 65. Atherbalis

balis regnum invadit, 64. eum vincit, 64. 65. cum eodem comparatur, 64. Cirta potitur, 68. ejus in Atherbalis amicos ac propinquos crudelitas, *ibid.* cum L. Caſſio Romam venit, 74. Bæbium tripl. pl. corrũpit, 75. præſens à Memmio ad populũ accuſatur, *ibid.* Italia decedere juſſus. 76. ejus vades quinquaginta. *ibid.* cum Aulo, Albini conſulis fratre, fœdus facit, caſtra Romana capit, 78. 79. ejus peritia in re militari, 84. ipſius legati ad Metellũ ſupplicatum miſſi, 85. ejus adhortatio ad milites. 86. vincitur, 89. ejus exercitus funditur, *ibid.* pabulum & aquam corrumpit, 92. Bomilcaris perfida ſuaſione deditionem facit, 96. imperata ſibi à Metello nihil cunctatus, 97. bellum reſumit, *ibid.* Bocchu regē ſocerum, ad bellumRomanum co pellit, 109. exerci Gætulorum in un cogit, *ibid.* Gætul armis aſſuefacit, *ibi* à Mario armis ex tus, 118. occiſis equ tibus vix erupit, 12 apud Numantiã L tinam linguam did cit, 128. condition quidem accipit, M rio tamen diffidit 136. mutat ſubin cubiculum cõtra i ſidias, 103. prodit Romanis à Boccho 137. vinctus tradit Sullæ. *ibidem*

Iulius Cajus in Apulia à Catilina mittitu 17

Ius gentium, & æquu bonum, diverſa. 7

Iunius Silanus ſenten tiam primus rogatu 32

L.

LAcedæmonii inGræcia bella gerere primi cœperunt, 1 Athe-

Athenienſes vicere. 35
Laris oppidum. 119
Latini ſuffragia ferebāt. 80
Legati regnum Numidiæ diviſum miſſi. 60
Legati Atherbalis ad Iugurtham, de injuriis quærentes. 64
Legati Bocchi à Iugurtha corrumpuntur, 130. à Gætulis ſpoliati, pavidi, ſine decore ad Sullā profugiunt. 131
Legati C. Mallii ad Qu. Marcium. 21
Legati à Iugurtha ad Metellum ſupplicatū miſſi. 84
Legati Iugurthæ Atherbalem Romæ falſo deferūt, 59. 60. S.P.Q.R. pecunia corrūpunt *ibid.*
Legati Metelli Bocchum à bello deſiſtere hortantur. 110
Legati Romanorum ad Iugurtham, 67. Atherbalem, & Iugurtham arma deponere jubent, 65. Iugurthæ pacē imperantes fruſtra diſcedunt. 68
Leges pro vita civium R. 34. 35
Legis præſidium à prætore debitoribus ereptum. 21
Legum Romanarum ſuprema potentia. 207
Lentulus Sura, conjuratus. 11
Lentuli epiſtola ad Catilinam. 28
Lentulum, quia prætor erat, conſul manu in ſenatum ducit. 29
Lentulo Spintheri in cuſtodiā traditur, 29. ejus in carcere frangitur gula laqueo, 41.
Lentulus ex libris Sibyllinis ſibi regnum Romanū pollicetur. 29
Lentulum ut eripiant opifices & ſervitia ſolicitantur. 31. 32
Lentuli ignaviam Catilina increpat, 43. is Romæ novarum rerum ſtudioſos ſolicitat, 25. audacia. 20
Lepidus procōſul, 144. exercitum ad urbem ducit. 146. 147
Leptitani, Romanis ſemper

ſemper fideles, 107. ad Beſtiam amicitiam rogatum miſerunt. *ibid.*
Leptis à Phœnicibus cōdita, 63. ejus ſitus. *ibid.*
Lex C. Gracchi de vocandis ex quinque claſſibus centuriis. 200.
Lex Memmii. 74
Lex pro debitoribus adverſus feneratores. 21.
Libertas maxime omnium tueri debet. 161
Libertas omnibus ex æquo optabilis. 202
Libertas periculoſa quieto ſervitio potior. 143.
Libido bona. 204
Libri Punici Hiempſalis. 61
Libyes Africam initio habuere, 61. ferarum more viventes, 62. minus quam Gætuli, bellicoſi. *ibid.*
Liguris cujuſdam gregarii inſidiis Mulucha capitur 121. &c.
Locus medius apud Numidas honorificentior.
Lucullus Pub. & L. A nius trib. pl. mag ſtratum continua nituntur.

M.

MAcedonici belli Punici cauſa. 1
Magiſtratus minor Romæ vigiliis præ rant.
Magiſtratuum Rom norū inſignia à T ſcis ſumta.
Magiſtratus per man traditi.
Magiſtratuum creand rum ratio. 2
Maleficiorum public rum, & privatoru diverſa ratio 36.
Malitia præmiis exer tur. 2
Mallius Fæſulanus co jurationis partice in Etruria. 17. 18. jus ad Marcium R gem legati & mand ta. 21. ipſe & Cati na hoſtes à ſenatu j dicantur. 22.
Mamilii trib. pleb. qu ſtio in eos qui à I guttha corrupti, v pacti

pactiones feciſſet. 79
Manlius Lucius trib. pl. de imperatore contra Iugurtham ad populum refert. 104
Manlius Aulus, Marii legatus. 116
Mapalia Numidarum ædificia. 62. 84
Marcius Rex Q. Fæſulas contra conjuratos miſſus 19. ejus ad legatos conjur. reſpõſum. 21
M. Æmilius omnium flagitioſorum poſtremus. 144
M. Bibulus, quibus rebus in conſulatum eruperit. 200
M. Cotta à Mithridate fuſus. 167
M. Favonius civitatis onus. 201
M. Fulvii cædes. 71
M. Manlius, & Q. Scipio male cum Gallis pugnarunt. 137
Marius Metelli legatus, 84. ei haruſpex felicia omnia portendit, 97. 98. ipſius & Metelli inimicitiarum origo, 98. petendi miſſionem à Metello rogat, *ibid.* patria, natura, mores, 97. 98. 99. Gaudã adverſus Metellum incendit. 99. à Metello dimittitur, 104. ipſi novo homini conſulatus mandatur, *ibid.* Numidiaque traditur à populo, *ibid.* & 111. illi ſenatus licet adverſus nihil abnuere audet, 111. infeſtus nobilitati, *ibid.* ejus ad populum oratio, 112. & *ſeqq.* imagines non habet, 114. litterarum Græcarum ignarus, *ibid.* cicatrices adverſo corpore oſtentare poteſt. *ibid.* quare ſordidus fuerit habitus. 115. ejus in Africã expeditio. 117. caſtella Iugurthæ vi, præmiisq; tentat, 118. Capſam capit, 120. eum Numidæ magis quam mortalem timent, *ibid.* ejus & Sullę pugna cũ Iugurtha & Boccho, 126. ejuſdẽ virtꝰ in pugna, *ibid.* victoria non inſolentior factus, 127.

Iugur-

Iugurthæ & Bocchi exercitus fundit, 128. de Iurgutha triumphavit, 137. Romanorum in re bellica princeps habitus. *ibid.* ei iterum conſuli, decreta Gallia, *ibid.*
Maritimum atque Mithridaticū bellum. 24
Maſiniſſa Rex Numidarum, 50. bellica virtute præſtans, *ibid.* ejus filii tres, *ibid.* quando in Romanorum amicitiam venerit, *ibid.* & 57. ipſe & Micipſa una cum Romanis Syphacem regno expulerunt, *ib.* proli Romani nominis ſtudium commēdat. 58
Maſſiva Iugurthæ regnum affectat, 75. 76. Iugurthæ juſſu occiditur. 76
Maſtanabal Maſiniſſæ filius. 50
Mauri dicti, qui antea Medi. 62. illis Bocchus imperavit, 63. pro opibus denas, atque eo amplius uxòres ducunt, 109. à Mario fuſi, fugatique, 126. 127.
Medi poſtea Mauri dicti, 62. eorum origo *ibid.*
Medius locus apud Numidas honorificentior. 5
Memmius Cajus tribunus pleb. 68. ejus facundia 71. oratio ad populum *ibid.* rogatio, 74. Iugurtham præſentem ad populum accuſat. 7
Metellus conſul in Numidiam ad bellum proficiſcitur 82. ejus in conſulatu colleg Silanus, *ibidem.* exercitum licētia & ignavia corruptum, ad militarem diſciplin revocat, 83. Iugurthæ legatos corrumpit, 84. ejus innocentia Iugurtha ſui rebus diffidit. *ibid.* callidus, *ibid.* cum Iugurtha pugnat, 86 87. 88. Numidia oppida capit, vaſtat que agros, 91. victo milites pro meritis donat, *ibid.* Zamam oppu-

oppugnat, 93. 95. oppugnationem Zamæ, fruſtra tentatam, omittit, 95. Bomilcarem corrumpit. 96. Iugurthã inſidiis aggreditur. *ibid.* Numidia ei iterum dercernitur. 97. 104. ejus ſuperbia. 97. Gaudæ, Maſtanabalis filio, Maſiniſſæ nepoti, regios honores negat, 99. ejus ſtrategema. 105. Thalam oppidum obſidet, & capit, *ibid.* & 106. ejus mollities animi, 110. & ad Bocchũ legati, *ibid.* cõſpectum Marii fugit, 117. Romæ lætiſſimis animis excipitur. *ibid.*

Metellus Celer prætor. 19.

Metellus Creticus imperator ad urbem, triũphum petens. *ibid.*

Micipſa, Maſiniſſæ filius & regni heres, 50. ejus, Numidię regis, genealogia, *ibid.* & filii duo, *ibid.* de adoptando Iugurtha ſecum deliberat, *ibid.* Iugurthã, uti bello caderet, auxiliari exercitui præficit, 51. Iugurtham adoptat, 52. ejus verba ad Iugurtham, 53. hunc filiis commẽdat, *ibid.* moritur, 54. ejus in Iugurthã beneficia. 58.

Militaris diſciplina magis ex animo, quam ex corpore pendet, 2. non tam ex libris, quam ex acie diſcitur. 113

Milites ex claſſibus lecti. 116. capite cenſi, *ibidem.*

Militia ad pacem pertinet. 192.

Minucio Rufo Q. Cos. Macedonia evenit. 76

Miſeris parum fidei. 66

Miſericordia in perniciem caſura 73

Mithridates in latere vectigalium Romanorum, 145. Græciæ grave ſervitium demſit, 167. Nicomedem Bithynia expulit, *ibid.* Aſiam, ſpolium regis Antiochi, recepit, *ibid.* Cottam fudit, *ibid.* apud Pa-

ram, & Heracleam naufragiis militum optimos amiſit, *ibid.* ejus cum Lucullo prœlia. *ibid.*
Mores ſimul cum fortuna commutãtur. 2
Mors ærumnarum requies, non cruciatus. 25. 34.
Mulierem pſallere, & ſaltare elegantius quã neceſſe eſt probæ, non decet. 16
Mulieres in comitatu Catilinæ. *ibid.*
Muluchæ flumen Mauros à Numidis dividit 63. 121. ad Mulucham amnem caſtellum Marius capit. *ibid.* &c.
Munificus nemo niſi volens. 131
Murena Cajus citeriori Galliæ præfectus cõtra conjuratos. 26
Muthul, Numidiæ flumen. 85

N.

NAbdalſa Bomilcaris in prodendo Iugurtha ſocius, 102. apud Iugurthã proditionis ſuſpicioné deprecatur. 103
Natura falſo ab hominibus accuſatur, 47. una & communis omnium, 113. unum omnibus finem ve ferro ſeptis ſtatuit. 141.
Neceſſitas extrema non eſt exſpectanda. 141. 142.
Neceſſitudo timidos fortes facit. 43. 44
Nicomedes Bithyniæ rex. 167
Nobilitatis ſuperbię quo primum tempore obviam itũ ſit, 49. (cõmune malũ ſuperbia. 98.) ejus ignavia à Mario reprehéditur, 112. 113. 114. unde nobilitas petéda, 113. eam peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe, melius eſt. 114
Novo homini ante C. Marium conſulatus nemini mandatus. 104.
Numantia deleta. 52
Numidarum ſtudia juvenilia, 50. eorum alii

alii Iugurtham, alii Atherbalem ſequuntur, 55. eorumdem reges, Romani nominis maxime ſtudioſi. 56. 57. ipſorumque ſalutem ex eis pendere, 58. 59. iſti quare hoc nomine vocati. 62. eorum ingenia. 84. iidem infidi, ingenio mobiles, novarum rerum avidi. *ibid.* & 100. Romanos invadunt 87. fuſi, fugatique, 89. 105. pro opibus denas, atque eo amplius uxores ducunt, 109. eorum cibus & abſtinentia 119. pabulo pecoris magis, quam arvo ſtudent. *ibid.*

Numidiæ pars firmior Iugurthæ, ſpecioſior Atherbali traditur. 61. qui legati ad ipſam dividendā miſſi fuerint, 60. ejus origo, ac ſitus 62. 63. incrementumq;, *ibid.* ea vaſtatur à Metello 91.

O.

OCtavius Ruſo quæſtor. 131

Opimius Lucius conſul, legationis princeps, à Iugurtha corrumpitur, 60. à C. Graccho, & M. Fulvio interfectis, conſul acerrimè vindictam nobilitatis in plebem exercet. *ibid.*

Orbis diviſio generalis. 61.

Orta omnia occidunt. 48. 191.

P.

PArta amittere majus dedecus, quam nihil peperiſse. 72. 114.

Patres Reipub. Romæ præſides appellati. 5

Pater filium necat. 25. 39.

Patriam vi regere importunum. 48.

Paulus Lucius lege Plautia Catilinam interrogat. 20

Pax diverſis in mentibus eſſe non poteſt. 198.

198. foris Romanos in laſciviam conjecit, 80. ejus fundamenta. 192. 193
Pecunia, maxima pernicies hominũ, 193. ejus ſtudiũ paci communi officit. *ibid.*
Perſarum origo, atque ſitus, 62. ii ſe per cõnubia Gætulis permiſcuere, *ibid.* alveos navium inverſos pro tuguriis habuere, *ibid.*
Perſes, Philippi filius, inſõniis occiſus. 166
Petreius, Antonii conſulis legatus contra Catilinam. 45
Philæni vivi terra obruti pro Pœnorum rep. 108
Philænon aræ. 63. 109
Phœnices oppida multa in Africa condidere. 63
Picenus ager. 42
Piſo factioſus, 12. conjurationis auctor, *ibid.* Quæſtor in citeriorem Hiſpaniam pro prætore miſſus, *ibid.* interficitur. *ibid.*
Piſonis C. & Cæſaris inimicitia. 31
Piſtorienſis ager. 4
Plautia lex. 2
Plebis ſeceſſio à patribus, & cauſa, 21. ejus inopiæ ſubventum, *ibid.*
Plebs urbana infamis & egens, 23. Catilinæ incepta probat. *ibid.* ejus opes quando imminutæ. 24. ante novarum rerum ſtudioſa, Catilinæ conſilia execratur. 3 ejus duæ ſeceſſiones 72. & ex ſecundi rebus inſolentia, 8 eam Gracchi in libertatem vindicare conantes, occiduntur 81.
Pompeii remotior ab urbe exercitus Catilinæ ſpem incepti perficiendi auxit, 1 ipſe Pompeius Craſſ inviſus. 11. ejus potentia formidoloſ 12. ad bellum maritimum atque Mithridaticum miſſus, 24 ipſe & Craſſus conſules tribuniciam poteſtatem reſtituêre *ibid.*

ibid. Pompejus ſua Martia facta enumerat, 157. hoſtes per Alpes in Hiſpaniam ſummovit, *ibid.* de cõmeatu & ſumtibus queritur, *ibid.* & 158. majore fortuna quã, ſapientia, 189. tanquam fanum debitorum, *ibid.* nihil aliud quam Cæſari obeſſe volebat. 195
Pompeius Rufus Q. prætor Capuam miſſus. 19
Pons Mulvius 28
Populus poteſtatẽ ſummam dat. 19
Populus Romanus quibus modis libertate exciderit 197. 198
Porcia lex. 34
Poſtumius Lucius civitatis onus. 201
Probitas parum per ſe tuta. 56
Ptolemæus rex. 167
Publica à paucis emere, periculoſum. 52
P. Scipio, 51. ſolitus dicere, majorum imagines vehementiſſime ſibi animum ad virtutẽ accẽdiſſe. *ibid.*
P. Scipioni Naſicæ conſuli Italia provincia obvenit. 69
P. Sulla conſul deſignatus, 11. ambitus condemnatus. *ibid.*
Punica fides incerta. 134.
Punicum bellum Romanos in officio retinuit. 80

Q.

QVæſitores. 80
Quæſtor pro prætore. 12

R.

REgni præſidia, ſunt amici. 53
Regum antiquitus ſtudia. 1
Regibus Romanis imperantibus, boni quã mali ſuſpectiores. 5
Regem armis, quam munificentia, vinci minus flagitioſũ. 135
Res humanæ ſemper ad deterius prolabũtur, 1. 2. fluxæ, & mobiles. 131
Res ſecundæ ſapientium ani-

animos fatigant, 8. inſolentiam pariunt, 80. mire ſunt vitiis obtentui. 143
Reſp.duabus artibus curanda,audacia in bello, æquitate in pace, 6. ejus prætextu pro ſua quiſque potentia certat. 24. eam quibus rem Romani auxerint. 38
Rex nomẽ imperii primum fuit. 1
Regi conſilium dare,arduum. 194
Reatinus ager. 22
Rhodiorum à Romanis defectio, 32. illi bello Macedonico capti, quare impuniti à Romanis ſint dimiſſi,32. 33.opibus pop.Rom. crevere. 32
Romæ urbis origo, 4. ea à Trojanis cõdita, *ibid.* floreſcens finitimis inviſa, *ibid.* libertatem adepta,brevi plurimum crevit 5. ſicuti ſentina, 23. ibi omnia venalia, 52.63. 64. ea venalis, ſi modo invenerit emtores, 77. in ea poſt Carthaginem deletam,orta ſeditio, 80. eadem in patres & plebem diviſa.197
Romanorum antiquitus de gloria certamen, 5. antiquorum Romanorũ mores & inſtituta,4.5.atq; beneficentia,5.132.eos ſæpe parva manu fortiſſimos fudiſſe exercitus, 6. 40. iidem præclara agere,quam ſcribere malebant, 6. belli gloria præſtantes.6. eorum in ædificãdo luxuries, 8.14 erga Pœnos fœdifragos fides, 33. ipſi arma atque tela militaria ab Samnitibus, magiſtratuũ inſignia à Tuſcis ſumſerunt. 35. quam à majorũ virtutibus deſciverint, 40. Gallis belli gloria, Græcis facundia præſtiterunt,*ibid.* eorũ poteſtas in curandis ſociorũ injuriis, 58.iidẽ à Iugurtha ſub jugum miſſi, 78.79.eis omnia regna adverſa,109.melius-

liusque viſum eſt, amicos, quam ſervos, quærere, 129. illi audendo, fallendo, bella ex bellis ſerendo, magni facti. 168
Rom. exercitus prima corruptio. 7
Romano imperio ad occaſum ab ortu ſolis omnia parebant, 23. ejus finis. 168
Romanis equitibus indignum regum peregrinorum ſatellites agere, 99. 140. cum telis circum ædem Concordiæ mandantur vigiliæ. 31
Rutilius Publius, Metelli legatus 87. Mario exercitum tradit. 117

S.

SAlluſtius à Rep. ad ſcribendas hiſtorias ſe transfert. 3. 48. 49.
Saluti potius quam libidini, conſulendum. 192.
Sapientes pacis cauſſa bellum gerunt, laboremque ſpe otii ſuſtentant. 192
Scaurus in ſenatu princeps, qualis, 67. à Iugurtha corruptus, 70. quæſitor. 80
Scipio Romani exercitus imperator bello Numantino, 51. ejus verba ad Iugurtham, 52. eum laudat, *ibid.* eidem pop. Romani ſtudium commẽdat, *ibidem.* illius litteræ ad Micipſam. *ibid.* ipſe & M. Manlius male cum Gallis pugnârunt. 137
Scriba Cornelius. 142
Secundæ res ſapientium animos fatigant, 8. inſolentiam pariunt, 80. mire ſunt vitiis obtentui. 145
Seleucia maxima urbiũ. 169.
Sempronia lex de provinciis. 68
Sempronia conjurationis particeps, 16. D. Bruti uxor. 26
Senatores quadraginta in victoria civili interiere. 196
Senatus poteſtatẽ ſummam dat 18. 19. ejus miſe-

miſericordia ac manſuetudo, 21. in ædem Concordiæ vocatus, 29. ipſe animus, plebs corpus. 80
Senatusconſultum, ne quid Reſp. detrimenti caperet, 18. 19. 147. ejus ſumma vis, 18. 19. in conjuratos 41. de Numidiæ regno, de ſubveniendo Atherbali impeditur, 67.
Senatus populique Romani injuſſu fœdus nullum fieri poterat 79.
Senectus ipſa morbus. 173.
Senius Lucius ſenator. 19.
Sententiam D. Iunius Silanus primus rogatur conſul deſignatus. 32
Sententias per tabellas ferri ſolitas. 203
Septimius Camers in agrum Picenum à Catilina mittitur. 17
Serpentes accenduntur ſiti. 118
Sertorius Hiſpaniam citeriorē vaſtavit. 158
Servile bellum Capuæ & in Apulia. 1
Sicca oppidum à Iugurtha deficit. 9
Sidonii quo modo in Numidiam pervenerint, 107. Leptin condiderunt. *ibid*
Siſenna Lucius hiſtoricus. 12
Sitius Publius Nucerinus, conjurationi particeps, cum exercitu in Mauritania 14.
Somnus ægrum animi facile opprimit. 10
Spintheri Lentulo in cuſtudiam traditus Lentulus conjuratus 29 30.
Statilius conjuratus, 11 illi, & Gabinio negotium datur, ut urbem incendant. 27
Sullæ fratres, Publius, & Servius conjurat 11.
Sulla Luc. quo pacto ſibi exercitū fidū fecerit, 8. ejus crudelitas 7. 35. 140. Damaſippum & alios jugulari juſſit, 35. ejus, Marii quæſtoris, mores, ingenium

ingenium, & natura, 123. 124. idem eloquens, 129. ejus oratio ad Bocchum, *ibid.* idem à Mario ad Bocchum de communibus rebus agundis mittitur, 132. ejus magnanimitas, 133. inconſternatus animus, *ibid.* is una cum Voluce per hoſtium caſtra proficiſcitur, 133. 134. pollicetur pacem Boccho, 134. illi, lege belli, omnia licuerunt. 196
Sulla Pub. conſul deſignatus, de ambitu punitus. 11
Sullani milites gregarii ſenatores facti, 23. rapinis aſſueti, Catilinæ occaſionem augent. 10
Sumtuum ratio ad pacem pertinet. 191
Superbia, commune nobilitatis malum. 98
Suthul, oppidum Numidiæ, obſidetur. 77
Syphacis, Numidiæ regis agros, urbesque, Romani Maſiniſſæ dono dant. 50. 57
Syrtes in extrema Africa ſinus duo, 107. unde dictæ. *ibid.*

T.

Tanais flumen Africæ. 119
Tarquinius Lucius, cõjurationis index, in vincula cõjicitur 30. ejus indicio non habetur fides. *ibid.*
Tereon colonia. 63
Thala, oppidum Numidiæ, ubi Theſauri Iugurthæ 105. à Metello obſidetur, *ibid.* capitur. 106. 107
Thirmida oppidum. 54
Ti. Gracchus regnum affectans, occiditur. 71.
Ti. Neronis ſententia de conjuratis. 32
Timor animi auribus officit. 43
Torquatus Aulus filium necari juſſit. 39
Tribunatus pl. ſumma poteſtas. 24
Tribunicia poteſtas Põpejo, & Craſſo Coſs. reſtituta, 24. materia diſcordiarum. 146
Tribuniciæ ſeditiones

rémp. agitabant. 77
Triginta Athenienſium tyranni. 35
Triumviri capitales. 41
Trojani Romam condidere, Ænea duce profugi. 4
Tuba pugnæ ſignum. 45
Tullianum, locus in carcere. 41
T. Turpilius Sullanus Vaccenſium præfectus, unus ex omnibus Italicis evaſit, 100 deſertor præſidii à Metello necatur. 102
Tyrannidem affectantium catalogus. 26. 27.

V.

VAcca oppidum, forum rerum venalium. 85
Vaccenſes à Metello deficiunt, Romanorũque præſidia interficiunt, 100. diripiuntur 102. perfidiæ pœnas luunt. *ibid.*
Valentia à Pompeio deleta. 185
Valerius Lucius Flaccus, & C. Pomtinus prætores ad Allobroges intercipiẽdos miſſi. 28
Vargunteius Lucius cõjuratus, 11. inſidiatur Ciceroni. 18
Verba virtutem non addere. 43. 116
Vettius Picens. 142
Victis, quanta accidant incommoda. 33
Victoris in manu eſt, bellum pace mutare. 44.
Victoria obtenta, vel ignavis gloriari licet. 90.
Viris labor, mulieribus munditiæ conveniũt. 115.
Viris rebus deſperatis nihil reliqui, quam ſolvere injuriam, aut mori per virtutem. 141.
Virtus clara æternaque habetur 1. ei honos non datur, 48. non eget compoſita oratione 114. neque datur dono neque accipitur, 115. poſt vitam magis ſe extollit 205. via ad eam una & ardua. 199
Vita hominum ſine cupidita-

piditate agitata. 1. ſilentio non tranſeunda. *ibid.*
Vita & mors jura naturæ. 174
Vitia virtutum nomina ſortita. 37
Vivere qui vere dicantur. 2
Vmbrenus conjuratus Allobroges ad conjurandum hortatur. 25
Volux à patre Sullæ obviam mittitur, 132. Bocchi filius. *ibid.* dubiæ fidei apud Sullam. 133
Vrbe capta, nihil reliqui fit victis. 36
Vtres ex coriis. 105.119
Vulturtius Crotonienſis, conjuratus, 27. cum Allobrogibus ad Catilinam proficiſcitur, 28. in Ponte Mulvio capitur, *ibid.* de itinere, ac litteris interrogatur 29. ejus indicium de conjuratis, *ibid.* ei, ob detectam conjurationem, præmia decernuntur. 31

Z.

Zamæ ſitus, 93. ea oppugnatur, 92. 93. 94.

FINIS.


Q. CVRTII RVFI
Historiarum libri,
accuratiſsime editi.
LVGD. BATAVORVM,
Ex officina Elzeviriana. Anno 1633.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro

CONSTANTINO
HVGENIO, EQVITI,
Domino à Zuylichem, Illuſtriſſimo Principi Auriaco à Conſiliis & Secretis.

VT in caſtris, Nobiliſſime virorum, caſtra legas, inter tubas, tubas audias, vt Principis invicti aſſecla ac comes, Principem, victorem orbis, ante oculos atque inter manus habeas, fatale illud nomen, Magnum Alexandrum, merito offerre tibi viſum fuit: non Apellis manu, quod volebat olim ipſe, aut Lyſippi, ſed autoris candidiſſimi, delineatum. Is eſt Q. Curtius, hiſtoricorum, vt à tuo Heinſio vocatur, vere Venus. Nam, vt illa, cum ex vndis, quod Græcorum habent fabulæ, emergeret, ſimplicitate inprimis formam, quanquam exquiſitam, tuebatur; ita ſcriptor hic, per ſe diſertus, ſi quis alius, commu-

nem laudem, propriam ac ſuam fecit, qui non affectat. Sui ſimilis vbique; etiam cum diſpar ſibi eſſe voluit. In orationibus nimirũ, quæ, vt breuitate ac acumine in toto corpore eminent, ita hoc in primis admirandum habent, quod cum artis habeant non parum, ſponte tamen natæ videantur. Ita narrat, ut credatur: ita dicit, ut non verba ſed ſententias perſuadeat, cum dicit: ita judicat de ſuo Principe, vt, quem merito cum omnibus commendat, non immerito, cum opus eſt, ac ſuo quaſi jure, reprehendat. ne aut nimium dediſſe Regi maximo, aut quicquam ſine cauſa detraxiſſe videatur. Adeo, vt cum virtutes omnes maximi hiſtorici, lectori ſuo præſtet; primam tamen primo loco habeat, ne falſum dicat. Nam qui vitia virtutibus in Principe permixta, prætermittunt, ea ipſa pariter ac fidem ſuam, accuſanda gravius poſteritati tradunt. Cujus libertati nemo, niſi cum periculo, præſcribit. Iam, prudentiam, quis ſatis commendare poteſt? quæ nec putide accerſitur, nec foris, ſed ex ipſis factis ac narratione, oritur. &, ne deſideres, occurrit. In locis autem deſcribendis, quæ amœnitas, quæ ſuavitas, Dii boni! vt naturam non tam pingat,

quam

quam cum ea certet, & exhibeat ante oculos quod tantum ſcribit. Semper æmulus illius. vel quod minimo negotio, & quaſi ſine cura, excidiſſe videantur quæ narrando exprimit: vel, quod feliciter, & tanquam altera natura, ſitus habituſque ejus repræſentet quæ ſine arte placet. Accipe igitur, Vir maxime, puriſſimum autorem; eleganter, niſi fallimur, ac terſe expreſſum: accipe, hiſtoricorum Venerem, doctorum amor. Cui cum certatim eruditi noſtri temporis, quos demereris, famam ſcriptis ſuis aſtruant; rogare audemus, vt inprimis nomen tuum jungi iis ac præfigi patiaris qui jam eam conſecuti ſunt. Quales antiquiſſimi ſcriptores ſunt. quibus, vt exemplo eſſe poſſint cæteris, æternitatem ſuam ſola ars conſervat, cujus ſpecimen hic damus, & quam commendatam tibi volumus. Ampliſſime ac Nobiliſſime vir, vale. Lugdun. Batav. menſe Auguſto. An. cIↃIↃc xxxiii.

Nobiliſſ. Amplit. T.

addictiſſimi

B. & A. Elzevirii.

DE Q. CVRTIO RVFO TESTIMONIA.

C. Suetonius Tranquillus in Indice excellentium Rhetorum, libello ejus mutilo in MSS. præpoſito:

Q. CVRTIVS RVFVS.]

C. Cornelius Tacitus, Annal. XI.

NE *tamen miles otium exueret inter Moſam Rhenumq́ue, trium & viginti millium ſpatio, foſſam perduxit* (Corbulo) *qua incerta Oceani vetarentur. inſignia tamen triumphi indulſit Cæſar* (Claudius,) *quamvis bellum negaviſſet. Nec multo poſt* CVRTIVS RVFVS *eundem honorem adipiſcitur, qui in agro* [a] *Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti. Unde tenuis fructus, nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor, effodere rivos, quæque in aperto gravia, humum infra moliri. quîs ſubactus miles, & quia plures per provincias tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum, pre-*

a Al. Maciaco, *vel* Mazyaco. *Vide Lipſ. Saturn.* II.

precantium imperatorem, ut quibus permiſſurus eſſet exercitus, triumphalia ante tribueret. De origine b CVRTII RVFI, *quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falſa prompſerim; & vera exſequi pudet. Poſtquam adolevit, ſectator quæſtoris, cui Africa obtigerat, dum in opido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus ſecretus agitat, oblata ei ſpecies muliebris ultra modum humanum, & audita eſt vox:* Tu es Rufe, qui in hanc provinciam Pro-conſule venies. *Tali omine in ſpem ſublatus, digreſſuſque in Vrbem, & largitione amicorum,* c *ſimul acri ingenio, quæſturam, & mox nobiles inter candidatos, præturam Principis ſuffragio aſſequitur: cum hiſce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velaviſſet,* CVRTIVS RVFVS VIDETVR MIHI EX SE NATVS. *Longa poſthæc ſenecta, & adverſus ſuperiores triſti adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, Conſulare imperium, triumphi inſignia, ac poſtremo Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præſagium implevit.*

b QVINTI *addit Catanæus.*
c ſingulari *citat Catanæus.*

C. Plinius Cæcilius Secundus Epiſtol lib. VII. Epiſt. XXVII. ad Suram, de Curtio Rufo.

ET mihi diſcendi, & tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquam velim ſcire, eſſe phantaſmata, & habere propriam figuram, numenque aliquod putes inane: ſeu vanam ex metu noſtro imaginem capere. Ego ut eſſe credam, inprimis eo ducor, quod audio accidiſſe CVRTIO RVFO. *Tenuis adhuc & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat. inclinato die ſpatiabatur in porticu; offertur ei mulieris figura humanâ grandior, pulchriorque. perterrito, Africam ſe futurorum prænunciam dixit: iturum eum Romam, honoreſque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eandem provinciam reverſurum, ibique moriturum. Facta ſunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientique nave, eadem figura in litore occurriſſe narratur. Ipſe certe implicitus morbo, futura præteritis, adverſa ſecundis auguratus, ſpem ſalutis, nullo ſuorum deſperante, projecit.*

AD

QUÆ editione proxima, de ſcriptis Curtii, ac autore, in limine præmiſeramus, contrahenda nobis viſa ſunt. vt obiter de præſtantiſſimo ſcriptore, quæ de ipſo ſcire intereſt, lectori approbemus. Præter M. Tullium ac Iuuenalem, apud quos hoc nomen extat, Tacitus, ac Plinius, quemadmodum ex teſtimoniis quæ jam præmiſimus apparet, Curtii cujuſdam meminerunt. Et vterque Rufi addidit cognomen. Neque aliter Tranquillus, in Catalogo, quo Rhetores præclari indicantur, qui libello de iiſdem mutilo præmittitur in MSS. Eſſe autem noſtrum, cujus tres poſtremi meminêre, inter eruditos fere conuenit: nec multum abeſt, quin plerique omnes, rhetorem, cauſidicum, declamatorem, etiam quæſtorem ac prætorem, conſulemque, ac Africę proconſulem, eundem cum hiſtorico, qui Magni Alexandri res conſcripſit, arbitrentur. Quemadmodum vixiſſe ſub Auguſto ac Tiberio, ſed & ſcripſiſſe, quidam & ſub Claudio ſuperfuiſſe, exiſtimant. A quibus nobiliſſimus Rutgerſius ſeorſim abiit, qui ſub Veſpaſiano floruiſſe in Variis probavit. quem non te-

mere rejiciendum, & cum cura adeund[illegible] cenſeo. Quanquam, ne de veritate q[illegible]dem amplius quærendum videretur, ſi [illegible]bendam Catanæo fidem, omnibus c[illegible]ſtaret. qui in manu exarato exempl[illegible], ipſam hanc hiſtoriam de geſtis Alexan[illegible] ſcriptam, Q. Curtio, & quidem Rufo, [illegible] Auguſto Cæſare ac Tiberio floruerit, [illegible]ſcribi ſic teſtatur: *Legi in fide digno [illegible]emplari, Hiſtoriam de geſtis Alexand[illegible], compoſitam à Q. Curtio Rufo, qui inibi [illegible]tetur, ſe fuiſſe ſub Auguſto & Tiberio, [illegible] ſub Veſpaſiano, quantum conjectura a[illegible]qui poſſumus.* Cætera incerta ſunt. & q[illegible] cætera, hoc ipſum. Imo & hoc ipſum [illegible]gis, quia cæteris Veſpaſianum jungit. Ja[illegible], qui politiſſimum dicendi genus, & pu[illegible]ſimam Latinitatem, certum æui argum[illegible]tum arbitrantur; neminem Latine ſub V[illegible]ſpaſiano, qui antiquitatem accurate exp[illegible]meret, ſcripſiſſe, quomodo probabu[illegible]? Quam ſi æuo noſtro ac parentum, eleg[illegible]ter quidam expreſſerunt, nondum vid[illegible], cur à Romanis id removeamus, quod [illegible] noſtris quidem, ex felici imitatione [illegible]ctenus negatum eſt. Quippe, & hodie [illegible]tatem quiſque aut ſcriptorem eligit qu[illegible] imitetur, vt cum cura imitetur, quem e[illegible]

it. Vt omittam principem hiſtoriæ Sal-
ſtium, ætate integra à ſcriptis C. Cæſa-
s,coævi, abiiſſe; cum diverſum in dicen-
o, tum qui Græcis ſuis, tanquam peregri-
us, hæret. Vt & maximus ſcriptorum Ta-
itus poſt illum. Librum primum ac ſe-
undum, facile recentioribus aſſcribes;
ui hiſtoriam, quam Curtium, facilius
upplere potuerunt. Et hoc ipſi produnt.
Hujus quoque bono: vt diverſitas, vide-
icet, ſcribendi, pro encomio autoris ſit,
ı quo longiſſime abſunt. Porro, vt in
viam redeamus: In autore lacteo ac mini-
me fucato, bonum nobis factum videba-
tur, ſi ſimpliciter ac ſine apparatu ſcenico
prodiret: ideoque ornatum adhibuimus,
qui nudum commendare poſſet. Opti-
mam editionem, ſed cum aliis collatam,
damus. Regis expeditionem, quam de-
ſcribit, accurate expreſſam, aliaque ejuſ-
dem generis, addidimus; de cæteris ſecuri.
Ne vel Obſervationibus vel Notis, hac præ-
ſertim forma, commendetur, qui ſine iſtis
voluit intelligi ac poteſt. Denique, vt ver-
bo dicam omnia, matronam exhibemus;
ſed pudicam. quæ in publicum ſic prodit, vt
non alio quam ſuo cultu commendetur.

ALEXAN-

ALEXANDER MAGNVS,
ex nummo argenteo.



ΕἾΔΟΣ ἈΛΕΞΆΝΔΡΟΥ ΤΌΔ᾽ ἜΗΝ
ΚΌΣΜΟΙΟ ΤΡΌΠΑΙΟΝ·
ἘΚ ΓΕΝΕΗ͂Σ, ΘΝΗΤΩ͂Ν, ΤΟΥ͂ ΔΙΌΣ
ἘΚ ΚΕΡΆΤΩΝ.

HEINSIVS.


ALEXANDRI MAGNI MA:
CEDONIS EXPEDITIO.
✻ Erythræum ſiue Rubrum Mare, ſic dictum non à colore; ſed ab Erythro rege. Extatq; haud procul à conti: nenti inſula quædam, palmetis frequentibus conſita, et in medio ferè nemore columna eminet regis Erythri monumentum, litteris gentis ejus inſcripta. teſtis Q. Curtius. Oaracta vocatur hæc inſula, apud Arrianum. Hoc mare margaritiferum eſſe ſcribunt Plinius, Aelianus, Philoſtratus, alijq;.
Mare Hyrcanum ſiue Caſ: pium, quod et Ponticum non ſemel à Curtio 4. vocatur Mag: num etiam ab Arriano 3.
Paropamiſus mons quem Macedones Caucaſum in Alexandri gloriam vo: cabant: nulli in Aſia altitudine ſecundus in quo præter terebinthum et ſilphium, nihil naſci tradidit Ariſtobulus.
Orxantes fl. Tanais dictus ab Alexandri militibus. A Scythis Silyn vocari, ſcribit Plinius.
Abij Scythæ, omnium barbarorum iuſtiſſimi.
Scythæ Europæi.
Scythæ Aſiatici.
Pontus Euxinus.
Mare Græcum.
Maris Mediterranei Pars.
Libyæ ſiue Africæ Pars.
Ægyptus.
Aſia Minor.
Armenia Maior.
Meſopotamia.
Babylonia.
Arabia.
Media.
Parthia.
Hyrcania.
Sogdiana.
Bactriana.
Margiana.
Carmania.
Drangiana.
Gadroſia.
Paropamiſadæ.
Arachoſia.
Sinus Perſicus.
Arabiæ Felicis Pars.
Indiæ intra Gangem Pars.
Brachmanes, qui et Gymnoſophiſtæ.
Muſicani, et Dachinabades.
Sodræ, qui et Sabracæ.
Maſſani.
Præſtæ.
Xatri.
Sambaſtæ.
Abaſtani.
Adraiſtæ.
Malli.
Oxydracæ.
Colchis.
Cercetæ.
Chalybes.
Leucoſyri.
Amazonum Campi.
Getæ.
Triballi.
Autariatæ.
Phœnicia.
Syria.
Paleſtina.
Bythemanei.
Orcheni.
Cadusi.
Mardi.
Dai.
Sacæ.
Alexandria
Gaugamela
Ecbatana
Hecatompylos
Perſepolis regia
Babylon
Pura Gadroſiorum regia
Paſargada ubi Cyri regis ſepultura
Araæ Alexandri et expeditionis terminus

SVPPLEMENTI IN Q. CVRTIVM,

De rebus geſtis ALEXANDRI MAGNI

LIBER PRIMVS.

PHILIPPVS MACEDO (*qui primus omnium regum ejus gentis, Macedoniæ regnum, ſubacta tota Græcia, ad ſummam potentiam evexit*) *Amyntæ, viri prudentiſſimi, omnibuſque imperatoriis virtutibus inſtructi, filius fuit. Is Amyntas ex Eurydice uxore tres filios ſuſceperat; Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri Magni patrem. atque filiam, Euryonem. Inſidiis autem Eurydices uxoris, quæ nuptias generi, mariti morte pacta, occidendum virum, regnumque adultero tradendum ſuſceperat, oppreſſus fuiſſet, ni filia pellicatum matris, & ſceleris conſilia prodidiſſet. Poſt mortem Amyntæ, Alexander, major natu filius, regno potitus eſt. Qui inter initia regni, cogente ſane duriſſimo neceſſitatis telo, bellum ab Illyriis pacta mercede, datoq; Philippo fratre obſide, redemit. Interjecto quoq; tempore, per eundem obſidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat. Quæ res Philippo ad maxima egregiæ indolis incrementa profuit. Siquidem tota*

cuſtodiendi pueri cura, Epaminondæ, ſtrenuiſſim Thebanorum duci, atque philoſopho præſtantiſſim hac conditione demandata eſt, ut commiſſum ſi puerum diligenter ſervaret, & ſummo ſtudio in juxta incumberet, ut moribus principe dignis atq honeſtis diſciplinis quam optime imbueretur. Fou bat ea tempeſtate laudatiſſimus princeps domi fil ſuo Epaminondæ præceptorem Pythagoricum, ſu quo Philippus multum profecit. Interea tempor Alexander, inſidiis matris Eurydices adpetitus, oc cubuit: cui tamen antea Amyntas, in ſcelere depre henſo propter communes liberos, ignarus iiſden quandoque exitioſam fore, pepercerat. Frater quoq ejus Perdiccas, ſimili inſidiarum fraude, relict parvulo filio, decipitur. Sub idem tempus, Philippu commodum è cuſtodia elapſus, diu, non regem, ſe tutorem pupulli egit. At ubi graviora bella immi nebant, ſerumque auxilium in expectatione infan tis erat, compulſus à populo, regnum Macedonicum male affectum, cum bellicis artibus tum philoſophia præceptis præmunitus, adprehendit, anno CCCC. ab urbe condita, Olympiade CV. Circa prima itaque regni primordia, rerum infinita multitudine in diverſas trahente partes, finitimis undique in Macedoniam irruentibus populis, belliſque veluti conſpiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diverſis locis, uno tempore confluentibus, rex Philippus cautius omnino agendum eſſe conſiderans, (omnibus enim par eſſe non poterat) alia interpoſita pactione compoſuit, alia redemit, facillimis aggreſſis, ut militum trepidos firmaret animos, & ſibi hoſtium contemptum demeret. Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit, quibus per inſidias victis, metu gravioris belli cum interficere poſſet, omnes incolumes ſine pretio dimiſit:

quæ

ia res illi magnam & gratiam & autoritatem nciliavit. Captis deinde Pæonibus, bellum in Illy- os tranſtulit: ibi multis hoſtium millibus cæſis, La- ſſæam urbem nobiliſſimam cepit:

Hinc Theſſalos, non cupiditate prædæ, ſed quod xercitui ſuo robur Theſſalorum equitum adjungere eſtiebat, nihil minus quam bellum metuentes, ado- itur. Quibus ex improviſo præoccupatis, atque in oteſtatem redactis, jungendo equitum peditumque ortiſſimas turmas & copias, invictiſſimum fecit xercitum. Quibus rebus feliciter geſtis, Olympiada, Neoptolemi regis Moloſſorum filiam, uxorem ducit, conciliante nuptias altore virginis Ariba rege Mo- loſſorum, qui ſororem Olympiadis, Troadam, in ma- trimonio habebat: quæ cauſa illi exitii malorumque omnium fuit. Nam dum regni incrementa affinitate Philippi ſe acquiſiturum ſperat, proprio regno ab eodem privatus, in exilio conſenuit. Poſt nuptias autem Philippus per quietem viſus eſt, conjugis alvo inſignem affixiſſe bullam, cujus ſculptura, quemad- modum is exiſtimaverat, leonis haberet imaginem. Quod vates ita ſunt interpretati; Ipſam quidem eſſe gravidam, animoſum quoque & leonis natura præ- ditum infantem parituram. Deinde cum Philippus urbem Methonem expugnaret, jactu ſagittæ dex- trum amiſit oculum. Nihilominus tamen pacem de- precantibus dedit, mitiſque etiam adverſus victos fuit. Pagas etiam capiens, imperio ſuo adjecit. Tri- ballorum quoque gentem, & quicquid præterea ter- rarum in proximo erat, invadens omnia, uno velut impetu devicit. Debellatis finitimis, atque confirma- to jam Macedoniæ regno, cum domum rediiſſet, na- tus eſt ipſi Alexander filius ex Olympiade uxore, VIII. idus Aprilis, dicit Plutarchus: ab eo autem qui illum in Latinum convertit, ſcribitur, circa

idus Auguſti, quod ſane, cujus ſit error, dubium eſt. Porro Philippus, veluti è ſpecula quadam, liberta[te] omnium inſidiatus, Græcorum civitates, quæ domi[nandi] libidine ſingulæ imperare cogitaverant, omne[s] in ſuam redegit poteſtatem. Inferioribus enim contr[a] ſuperiores ſuadens certamina, omnibus ad invicem callide incitatis, à Thebanis etiam (qui tamen ante[a] eum, tanquam hoſtem, repellere conabantur) contra Lacedæmonios & Phocenſes, qui templo Apollini[s] ſpoliato, milites conduxerant, neceſſitate urgente, dux electus oppreſſis ſacrilegis, magnamq; inde apud omnes nationes gloriam adeptus, omnium ad ultimum efficitur dominus ac princeps, & victos pariter atque victores ſervitutem ſubire coëgit. Inde in Cappadociam traiiciens, captis & occiſis finitimis regibus, univerſam provinciam imperio Macedoniæ adjecit. Olyntho quoque expugnata, Thraciam invaſit. Nam cum eum fratres duo Thraciæ reges, de terminis regni ambigentes, diſceptationum ſuarum judicem eligerent, Philippus ad judicium velut ad bellum, inopinantibus fratribus, inſtructo exercitu venit, & utrumque regno, de quo diſceptabant, ſpoliavit. Omnes ſane principes docens, concordiam maximum, ad conſervanda imperia atque principatus ſtabiliendos, adminiculum eſſe.

Alexander autem factus annorum duodecim, rebus bellicis admodum delectari, & excelſæ indolis manifeſtiſſima proferre indicia, cœpit. Cumque ex æqualibus nonnulli ex eo percunctarentur, ad Olympicum nunquid ſtadium libens decertaret? (plurimum enim pedum celeritate pollebat) Libens equidem, inquit, ſi decertaturos mecum reges ſim habiturus. Olim cum forte abſente Philippo, legati à Perſarum rege veniſſent, eos cum hoſpitio tum conſuetudine captos, jucundiſſima ſibi familiaritate conjunxit:

it:admirantes quod is nihil aut humile aut puerile ciſcitaretur, ſed aut viarum longitudinem, aut ſu- eriorum itinerum modos perquirebat, multa ſuper ege qualis in hoſtes eſſet, nunc ſuper Perſis, quæ vi- es, aut quæ eſſet potentia, rogitabat. Quas res ad- nirati legati, late diffuſam Philippi gravitatem ni- hil præ hujus pueri indole & majore quam ætas pa- teretur animi magnitudine, duxerunt. Quoties à Philippo aut nobile quoddam captum oppidum, aut memorabili prælio parta victoria nũciabatur, haud magnopere lætabatur, cæterum ad ſuos ajebat æqua- les, Omnia, ô pueri, genitor occupabit, ita ut ne vo- biſcum grande ullum ac inſigne facinus oſtentare mihi ſit reliquum. Non enim ipſum ulla illecebra- rum, aut pecuniæ, ſed ſola virtutis ac gloriæ cupido tenebat: quoque majores à patre facultates acciperet, eo ſe minora gerere poſſe exiſtimabat. Quocirca, creſcente dominio, gerendis præclaris rebus materiam magna ex parte exhauſtam iri ratus, non opes, non deliciarum uſus, verum certamina & pugnas arde- bat, & principatum unde ſibi ob virtutem, gloriam, nominiſque immortalitatem (quæ ſpes nec Alexan- drum, nec quenquam alium bonum, unquam fefel- lit) compararet: affectabat. Quamobrem ipſius cura, compluribus (uti par erat) nutritoribus, pædagogis, ac præceptoribus eſt demandata: in primis tamen Ariſtoteli, ex cujus diſciplina decem ferme annis in- formatus eſt. Eodem fere tempore Philippus Delphos miſit, conſulens de ſucceſſore, reſponſumque tale ac- cepiſſe ferunt: Is demum tuo imperio omnique orbe potietur, quemcunque Bucephalus ſeſſorem paſſus fuerit. Erat autem Bucephalus equus forma ſpecta- bilis atque ferociſſimus, quem Philonicus Theſſalus Philippo XIII. *talentis emerat. Hunc diu Philippus ſub clauſtris præferratis aſſervari juſſit, manſit ta-*

men ita ferus, ut plane nullus eum ne tangere quidem auſus fuerit. Quare factum eſt, ut eum Philippus removeri atque abiici juſſerit. Alexander vero dum forte adeſſet, Qualem, inquit, iſti equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem uti neſciunt: Cumque mira arte ſine verberibus tractaſſet equum, tandemque conſcenſum ad curſum admiſiſſet, tum calcibus uſus eſt, ac molliter flexis habenis quum equum reduxiſſet, deſcendentis caput exoſculatus pater, emiſſis lacrymis, Aliud, inquit, ô fili, tibi par regnum quære, quando te jam Macedonia non capit. Præſagiit vir prudens tam excelſæ indoli non ſuffecturam paternam ditionem. Poſt hæc Philippus toti Græciæ bellum inferre ſtatuit. ad quod percommodum ratus, ſi Byzantium, nobilem & maritimam urbem, in poteſtatem redegiſſet; eandem ſibi reſiſtentem, obſidione cinxit. relicto domi ad regni curam filio Alexandro, tum XVI. *annos nato. Hæc urbs à Pauſania Spartanorum rege condita, à Conſtantino poſtmodum gloria opibusque aucta atque renovata, & à nomine ſuo Conſtantinopolis dicta, circiter* MCL. *annos ſacratiſſimi Imperii ſedes totiusque Orientis caput fuit. Nunc tamen (proh dolor) fœdiſſimæ atque impiiſſimæ Turcarum gentis imperio ſubjacet. Sed ut ad Philippum redeam. Exhauſtis in obſidione opibus, piraticam aggreditur, centumque ſeptuaginta navium ſpolia rapuit, atque militibus ſuis diſtribuit. Ne autem in unius urbis obſidione tantus exercitus teneretur, profectus cum fortiſſimis, multas Cherſoneſi urbes expugnavit; filium deinde Alexandrum* XVIII. *annos natum, virtutis & promptitudinis in rebus agendis manifeſtiſſimæ, ut ſub patris militia tyrocinii rudimenta deponeret, ad ſe accerſivit. Cum quo in Scythiam prædandi cauſa, more negotiantium, impenſas belli alio bello refecturus, eſt profectus.*

Eaque

[Urb]ſque expugnata, viginti millia puerorum ac fœ[m]inarum capta, pecoris magna vis, auri argentique [n]ihil, xx. millia nobilium equarum ad genus fa[c]iendum in Macedoniam miſſa ſunt. Sed revertenti [à] Scythia Philippo Triballi occurrunt, negantes ſe [t]ranſitum daturos, ni portionem accipiant prædæ. Hinc jurgium, mox & prœlium, in quo ita in fœmore vulneratus eſt Philippus, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cum omnes occiſum putarent, præda amiſſa eſt. Quamprimum ex vulnere convaluit, diu diſsimulatum bellum Athenienſibus infert. Cujus cauſa Thebani ſe junxere, metuentes, ne victis Athenienſibus, veluti vicinum belli incendium, ad ſe tranſiret. Inita ſocietate inter civitates paulo ante infeſtiſsimas, legationibus totam fatigant Græciam, communem hoſtem communibus viribus ſummovendum putantes. Quædam civitates motæ, Athenienſibus ſeſe jungunt: quaſdam autem belli metus ad Philippum traxit. In hac pugna Philippus Alexandrum filium alteri cornu præfecit. Ubi laudatiſſimi herois virtus clariſsime emicuit. Talem enim in eadem pugna ſe præſtitit, ut non inferior patre, imo etiam nulli ſecundus extiterit: poſtea quoque eam victoriam ſibi invidia ac fraude patris præreptam fuiſſe conqueſtus ſit. Commiſſo itaque apud Chæroneam prœlio, etſi Athenienſes numero militum longe præſtarent, à Macedonibus tamen, continuo ac diuturno bellandi uſu exercitatiſsimis, vincuntur. Non autem immemores priſtinæ gloriæ cecidere. Hic dies univerſæ Græciæ, & gloriam dominationis, & vetuſtiſsimam libertatem finiit. Cæterum cum Philippus ſemper erga Alexandrum optime affectus fuiſſet, tandem ex Cleopatra noverca, Olympiadi ſuperinducta, diſcordia orta eſt. Cauſam adhibuit Attalus avunculus Cleopatræ, qui cum in nuptiis

Macedones exhortaretur, deos orarent, ut ad regni ſucceſſionem, legitimus ex Philippo & Cleopatra crearetur hæres; excandeſcens Alexander, O improbum caput, inquit, nos vero tibi nothi videmur: ſimulque in eum conjecit poculum. Inſurgens inde pater contra Alexandrum, ſtricto eum petiit ferro: ictus tamen, inclinatione corporis ab Alexandro evitatus inanis excidit. Tunc Alexander convitiis patrem adortus, receptam Olympiadem matrem ſecum in Epirum duxit. Eum tamen Philippus, exprobrata ſibi à Demarato Corinthio hac eorum diſcordia, paulo poſt multis precibus ægre revocavit. Inter hæc nuptias Cleopatræ filiæ, & Alexandri fratris Olympiadis, quem pulſo Ariba, regem Epiri fecerat, Philippus celebrat. Dies erat pro magnificentia duorum regum, & collocantis filiam, & uxorem ducentis, inſignis. Sed nec ludorum celebritas deerat. ad quorum ſpectaculum Philippus, cum ſine cuſtodibus medius inter duos Alexandros, filium generumque procederet, Pauſanias, nobilis ex Macedonibus nemini ſuſpectus adoleſcens, occupatum anguſtiis Philippum, in tranſitu obtruncavit, diemque lætitiæ deſtinatum, fœdum luctu funeris fecit. Hic puer ſtuprum per injuriam paſſus ab Attalo fuerat, qui eum etiã poſtea, tanquam vile ſcortum, libidini convivarum ſubjecit. De quo Philippo conqueſtus, qui multum quidem ex rei turpitudine eſt motus, ſed Attalo, ob magnam familiaritatem, & quod ejus opera tunc uteretur, ut noceret induci haud potuit. Erat etiam Attalus, ob Cleopatram, proxime à rege in matrimonium acceptam, arctiſſima ei junctus cognatione, copiarumque in Aſiam præmiſſarum dux fuerat delectus; vir in rebus bellicis egregiæ fortitudinis. Idcirco rex potius, ut Pauſaniæ animum juſtiſſimo dolore incenſum mulceret, eſt conatus: datiſque ei

magnis

magnis muneribus, loco inſuper honeſtiori, inter corporis ſui cuſtodes, honoravit. Sed ille implacabili ardens ira, decrevit, non tantum de eo qui ſibi injuriam intuliſſet, ſed & qui ulciſci illatam noluiſſet, pœnam ſumere. Vixit Philippus annos XLVII. *regnavit* XXV. *Macedonum rex viceſimus tertius: cui maximæ opes erant inſtrumenta bellorum; divitiarum quæſtu quam cuſtodia ſolertior: itaque inter quotidianas rapinas ſemper inops erat. Miſericordia in eo & perfidia pari jure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter & inſidioſus alloquio: qui plura promitteret quam præſtaret: in ſeria & jocos artifex. Amicitias utilitate non fide colebat. Gratiam fingere in odio, inſtruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, ſolemnis illi conſuetudo. Inter hæc eloquentia, & inſignis oratio, acuminis & ſolertiæ plena, ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deeſſet ornatus.*

LIBER II.

ANNO *ab urbe condita* CCCC. XXVI. *mortuo Philippo, Alexander filius, (ob magnitudinem rerum geſtarum Magnus appellatus) vigeſimo ætatis anno, plenum invidia, & graviſſimis odiis ac periculis undique circumſeptum, aſſequutus eſt imperium. Nec enim vicinæ barbarorum provinciæ & nationes modeſte ſervitutem ferebant, avita vero dominia patrioſque principatus affectabant. Primo omnium autem quotquot paternæ cædis cauſa fuerant, gravibus affecit pœnis. Deinde ſepulturæ ejuſdem maximam impendit curam. Principatum vero multo melius quam quiſquam exiſtimaſſet confir-*

mavit. Iuvenis enim, atque ob ætatem adhuc teneram, ab aliquibus contemptui habitus, vulgus ipſum humaniſſimis ſermonibus ita in ſui benevolentiam traxit, ut & ſpem maximam omnibus faceret, & metum ſimul atque contemptum ſui univerſis demeret. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem, dedit. Quo facto tantum ſibi conciliavit favorem, ut alii corpus non virtutem, alii vero nomen regis ſolum immutatum eſſe dicerent. Et quum initio tumultus undique contra ipſum exorti eſſent, audacia & animi conſtantia incredibili, citiſſime motus omnes compreſſit. Profectus deinde Corinthum in Peloponeſum, generali totius Græciæ concilio, contra Perſas, (quorum erat eo tempore ſummum in terris imperium, quique Græciam ſæpe multis cladibus afflixerant) Imperator eſt deſignatus. Siquidem pater ejus idem bellum inchoaverat, morte tamen præventus, conſummare haud potuerat. In hujus belli apparatu nunciatur, Athenienſes, Thebanos, & Lacedæmonios, ab eo ad Perſas defeciſſe, autoremque ejus defectionis, magno auri pondere à Perſis corruptum, Demoſthenem oratorem extitiſſe. Quibus motibus occurſurus, tanta celeritate, inſtructo paratoque exercitu, Græciam oppreſſit, ut quem venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent. In tranſitu hortatus Theſſalos, beneficiorum patris commonefaciens, commemorata etiam veteri cognatione, quæ ſibi cum illis per Herculem eſſet, ſermonibuſque humaniſſimis, ut magna â ſe ſperarent, perſuaſos induxit, ut communi totius Theſſaliæ decreto, univerſæ gentis dux crearetur, omniaque vectigalia atque reditus ſuos ei traderent. Tanta autem in juvene celeritas, tamque efficax in rebus agendis diligentia, omnes qui per contemptum ab eo erant alienati perterrefecit. Athenienſes itaque

ſicuti

ſicuti primi defecerunt, ita etiam primi pœnitere cæperunt; pueritiam Alexandri antea ſpretam ſupra virtutem veterum ducum extollentes; miſſiſque legatis bellum deprecabantur. Quibus auditis & graviter increpatis, bellum remiſit. In ea legatione Demoſthenem quoque fuiſſe ferunt, ſed cum cæteris ad Alexandrum non pervenit: ſiquidem à Cytherone Athenas reverſus eſt: ſive correptus timore, quod frequenter Philippum cum ſuis vituperaſſet, atque in ſua republica contra Macedones verba feciſſet, ſive ut regi Perſarum (à quo magnam auri ſummam, ut Macedonum cauſam oppugnaret, accepiſſe dicebatur) omnem de ſe ſuſpicionem eximeret. Hoc quoque ipſi ab Æſchine exprobratum ajunt, qui in oratione quadam de acceptis muneribus ita dicit: In præſens ſane regium aurum ſumptus huic ſuppeditat. Sed hoc deinceps haud ſufficiet, cum nullæ opes moribus improbis ſatis eſſe poſſint. Alexander ſedatis motibus qui in Græcia erant exorti, antequam in Aſiam cum exercitu traiiceret, per Thraciam iter faciens, Pæones, Triballos Illyrios, alioſque finitimos petere inſtituit, quos novis rebus ſtudere acceperat. Nam quod regno ejus tum finitimi tum maxime infidi erant, minime negligendos cenſuit, præſertim cum in tam longinquas à domo regiones cum exercitu profecturus eſſet. Ex Amphipoli igitur cum copiis profectus in Thraces, (quos Græci Autonomos vocant, nullius imperio, nullius legibus obnoxios) decem dierum itinere ad Hæmum montem pervenit: ibi circa aditus anguſtias, negotiatorum atq; Thracum ingentem manum collectam, obviam habuit. Inſederant montis verticem, curribuſque pro vallo, qua patebat aditus, utebantur; inde pugnaturi, ſi neceſſitas poſtulaſſet. Sin autem ex adverſa montis parte peterentur, currus in Alexandri phalangem ma-

gno

gno impetu erant immiſſuri, quod & fecerunt. Sed milites ab Alexandro edocti, alii laxatis ordinibus, alii corpora humiſtrata ſcutis contegentes, periculum omne devitarunt. Hinc alacriores facti, ingenti clamore in hoſtes feruntur, eoſque uno impetu ſuperavere. Alexander, protinus ſuperato jugo, per Hæmum montem in Triballos ad flumen Lygium profectus eſt. Syrmus Triballorum rex erat: is cognito Alexandri adventu, uxores ac pueros, cæteramque imbellem turbam, ad Danubium in inſulam Peucam confeſtim miſit. quo & Thraces Triballis finitimi ſe receperant. Nec multo poſt & ipſe Syrmus eodem fugit. Reliqua Triballorum multitudo ad alteram inſulam ſe contulerat, eo in loco, ex quo pridie Alexander moverat ſitum. Alexander Triballos repetens, hoſtes ex ſilvis in aperta provocatos ſuperat, tribus millibus cæſis, reliquis in fugam conjectis, pauciſque captis. Poſt hanc pugnam Alexander ad Danubium profectus, ad inſulam in quam Triballi ac Thraces confugerant, contendit: cui tamen barbari ſumma vi reſtiterunt, quod erat iis facilius, quoniam & naves paucæ erant, & inſulæ maxima pars prærupta ac præceps, & fluminis curſus, utpote in anguſto concluſus, concitatior. Quapropter Alexander abductis inde navibus, trajecto noctu flumine, M.CCCCC. equitibus, peditibuſque IV. millibus, Getas (quorum circiter IV. millia equitum, peditumq; ſupra X. millia prohibendi animo in adverſa ripa armatos viderat) petiit. Quo facto territi Getæ, ne primum quidem impetum ſuſtinuere. Res prorſus ingentis audaciæ iis viſa, Alexandrum tam facile unica nocte Danubium, omnium Europæ fluminum ampliſſimum atque altiſſimum, nullo ponte injecto, tranſiiſſe. Confugientibus igitur illis in ſilvarum ſolitudines atq; latebras, Rex urbem vacuam nactus, cepit,

cepit, ſoloque æquavit. Huc loci venere legati à cæteris Danubii accolis, à Syrmo Triballorum rege, atque Germanis, ad Alexandrum, ut cum eo amicitiæ fœdus inirent. Quibus in fidem & amicitiam acceptis, è Germanis quæſivit, Quidnam in humanis rebus præ cæteris extimeſcerent; ratus nominis ſui magnitudinem ante omnia ipſis formidoloſam videri. Illi hoc ſe in primis timere reſponderunt, ne forte in ſeſe aliquando cœlum rueret. Alexander nihil motus reſponſi ſuperbia, tantum adjecit: Germanos ſuperbos eſſe, eoſque domum remiſit. Inde in Agrianos & Pæonas iter perſequenti nunciatum eſt, Clytum Bardyles ab eo defeciſſe, Glauciamque Taulantiorum regem, ſe ei conjunxiſſe. Erant & qui nunciarent fore, ut Autariatæ ipſum in itinere adorirentur. Proinde negotio de Autariatis Lagaro Agrianorum regi (qui patri Philippo admodum charus, Alexandro quoque perquam familiaris erat) commiſſo, inſuper Cyna ſorore, ubi Pellam revertiſſet, ultro in uxorem promiſſa, ipſe ad Clytum Glauciamque magna celeritate contendit, eoſque vario prœlio vicit atque proſtravit. Hæc agenti, ſuperveniunt nuncii, multos in Græcia res novas moliri, civitateſque non paucas, & in primis Thebanos, ab eo defeciſſe. Qua re motus Alexander, in Macedoniam eſt reverſus, ut factum in Græcia tumultum reprimeret. Thebanis autem, conantibus præſidium Macedonicum ex arce Thebana (quam Cadmeam vocant) depellere, ipſamque præaltis foſſis, & munitiſſimo vallo cinctam, obſidentibus, rex cum exercitu magnis itineribus profectus, non longe à Thebis, cum omnibus copiis inſedit. Itaque Thebanorum duces, quoniam Alexander præter ſpem omnium advenerat, ac incertum erat, utrum auxilia, ſicuti à nonnullis civitatibus petierant, illis adventura eſſent, de

belli

belli ratione conſultare cœperunt. Omnibus tande
conſentientibus belli diſcrimen ſubire conſtituerui
Sed rex ſuos continuit, illis ſpatium pœnitendi mi
tandique conſilii exhibens, nullo pacto futurum ex
ſtimans, ut una civitas contra tantas copias eſſet pu
gnatura. Habebat enim ultra XXX. millia peditun
equitumque ad III. millia, omnes laboribus bellic
exercitatiſſimos. Quorum virtuti confiſus, Perſicu
bellum ſuſceperat. Sane ſi Thebani temporum fortu
næ cedentes, pacem petiiſſent, rex eorum poſtulatis li
bentiſſime annuiſſet. Nam tum mirifico ſtudio a
Perſas in Aſiam tranſire properabat. Cum tamen ar
mis non precibus uti decreviſſet, Alexander Mace
dones ad prælium inſtruxit. A Thebanis, contra ho
ſtes numero longe ſuperiores, ſummis viribus atqu
impigre decertatum eſt. Interim Macedonibus, qu
cuſtodiæ Cadmeæ arcis præerant, à tergo invadenti-
bus, circumventi Thebani, in ipſa pugna ceciderunt.
Capta civitas & direpta, urbs everſa funditus eſt.
Qua quidem in re ea ſpes idque conſilium extitit
Alexandro, ut hujuſmodi caſu ac terrore compreſſi
Græci, quietius dum abeſſet agerent: cum alioqui in-
cuſantibus Thebanos ſociis Phocenſibus ac Platæen-
ſibus morem gerere gratificariq; concupiſceret. Plu-
res ſex millibus oppetiere. Triginta millia vendidit,
ex quibus quadringentorum quadraginta talento-
rum argenti ſummam coëgit. Pindari vatis tamen
ſtirpi pepercit; ſummum in doctos favorem maniſe-
ſtiſſimo exemplo teſtatus. Non omittendum videtur
quod hic rerum geſtarum Alexandri ſcriptores de
Timoclea referunt, quam inſignem Thebanam fœ-
minam Thracius quidam dux conſtupraſſe dicitur.
Quumque poſt id eam poſceret pecuniam, ſolus à
muliere ad puteum ſeductus fuiſſe, in quo diceret
pretioſiora rerum ſuarum occultari. Ducem igitur
ſuper

ſuper os putei, ſpectandi cauſa inclinatum, illa in profundum detruſit. ſuperneque injectis lapidibus oppreſſit. Ob id facinus adductam ad ſe in vinculis fœminam, percunctatus eſt Alexander quænam eſſet? Ea imperterrita, Theagenis inquit, ſum ſoror, qui contra Philippum electus imperator fortiter pugnans pro Græciæ libertate occubuit. Magnanimitatem mulieris & conſtantiam admiratus rex, liberam eam cum filiis dimiſit. Athenienſes Thebarum caſum moleſte & cum ſumma commiſeratione ferentes, profugis portas contra regis edictum aperuerunt. Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut ſecunda legatione, denuo bellum deprecantibus, ita demum remiſerit, ut oratores & duces, quorum fiducia toties rebellent, ſibi dedantur. Eò tamen demum res eſt deducta, ut retentis oratoribus, duces in exilium agerentur. qui confeſtim ad Darium regem Perſarum profecti ſunt. Cæterum coactis in Iſthmo Græcis, & expeditionem in Perſas decernentibus, Alexandro plures philoſophi & oratores occurrunt, præter Diogenem Cynicum, qui tum verſabatur Corinthi, & Alexandrum parvifaciens, in Cranio habitabat: miratus Alexander, ad eum in ſole apricantem venit, rogans, rei ne cujuſquam indigeat: at ille, Ut paulum, inquit, à ſole diſcedas. Quo reſponſo Alexandrum adeo delectatum ferunt, ut ad ſuos converſus dixerit, ſe Diogenem eſſe velle, ſi Alexander non eſſet.

Rebus Græciæ compoſitis, adventante vere, ipſaq; Græcia cum Macedonia Antipatro (cui ex amicis maxime fidebat) commiſſis, ad Helleſpontum cum exercitu profectus, in Aſiam incredibili ardore mentis accenſus trajecit. Cum autem delati in continentem eſſent, primus Alexander jaculum, velut in hoſtilem terram, conjecit, armatuſque, de navi, tripudiant;

dianti ſimilis, proſiluit, atque ita hoſtias cædit, precatus, ne ſe regem illæ terræ invitæ accipiant. Inde hoſtem petens, milites à populatione Aſiæ prohibuit; parcendum ſuis rebus præfatus: nec perdenda ea quæ poſſeſſuri venerint. In exercitu ejus fuerunt XXXII. *millia peditum, non ſupra* V. *millia equitum, naveſque* CLXXX. *Hac tam parva manu univerſum terrarum orbem utrum ſit admirabilius quod vicerit, an quod aggredi auſus fuerit, incertum eſt: cum ad tam periculoſum bellum, non juvenes robuſtos, nec primo ætatis flore, ſed veteranos, pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruiſque militaverant, elegit: ut non tam milites, quam militiæ magiſtros, electos putares. Ordines quoque nemo niſi ſexagenarius duxit. ut ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum te alicujus priſcæ Reipub. videre diceres. Itaque nemo in prœlio fugam, ſed omnes victoriam animis conceperant, nec in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit. Alexander deinde paſſim peractis ſacrificiis, maxime apud Trojam ad Achillis tumulum, in quem genus ſuum ex materna linea referebat, eum ob id feliciſſimum adoleſcentem prædicans, quod ſuarum virtutum præconem Homerum inveniſſet, ad interiora Darii regis Perſarum contendit. Hunc Darium Arſani filium, qui decimus quartus à Cyro, totius orientis monarchiam tenebat, hac potiſſimum cauſa aggredi voluit, quod à patre ſuo Philippo tributum requiſierat. Darius autem, miſſa prius ſuperba, contumelioſa, atque imperioſiſſima legatione, ſe regem regum, ac conſanguineum Deorum, Alexandrum vero famulum ſuum appellans, Satrapis ſuis id negotii dederat, ut inſanientem iſtum Philippi adoleſcentulum (ſic enim eum per contemptum appellabat) verberibus puerilibus graviter cæſum, indutumque poſt veſte purpurea,*

rea, ſibi vinctum traderent, navibuſque una cum nautis ſubmerſis, omnes ejus milites ad ulteriora maris rubri tranſportarent. Qui mandatum regis exequi volentes, ad Granicum amnem (qui Troadem à Propontide diſterminat) magna manu, videlicet viginti millibus peditum, & pari equitum numero, confluxerunt, & præruptam fluminis ripam, qua Alexandro omnino traiiciendum erat, obſederunt. Alexander, etiamſi præſentiſſimum periculum inſtare cerneret: quippe cum ſuis ex inferiore atque inſtabili loco (erat enim cum udus tum cœno lubricus) utpote ex flumine adverſus hoſtes in eminenti ripa ſtantes, dimicandum foret, ſuæ tamen fortunæ ac virtuti ſimulque fortitudini militum confiſus, amnem trajecit. Et primo quidem non ſpernenda difficultate preſſus, tandem tamen hoſtes, non tam ſua arte, quam virtute Macedonum, vicit atq; proſtravit. In eo conflictu Perſarum viginti millia peditum, & CCL. equites, cæſa, Macedonum non plus triginta quatuor interfecti ſunt. Ea pugna magnum ad res Alexandri momentum peperit. Sardeis enim, maritimi barbarorum imperii propugnaculum cepit, iiſque ac cæteris Lydiæ populis, ut legibus uterentur ſuis, conceſſit. Epheſum, quarto poſt pugnam die, lapſo inde præ metu præſidio, occupavit. Interim ex Magneſia & Trallibus legati venerunt, urbium ſuarum deditionem pollicentes, ad quas in fidem recipiendas Parmenionem cum duobus millibus & quingentis mercenariis; parique Macedonum numero, equitibus ex amicis circiter ducentis miſit. Miletum deinde ſibi reſiſtentem oppugnavit: eaque potitus, verſus Halicarnaſſum iter ingreditur. Omnibus interjacentibus oppidis primo impetu captis, Halicarnaſſum urbem permunitam obſedit, eamque non ſine labore expugnatam, ſolo æquavit. Ingreſſus Cariam.

riam, Ada Cariæ regina, (quæ regno ab Orontobat[e], quam Darius miſerat, pulſa, nihil quicquam i[n] tota Caria, præter Alinda, ejus provinciæ urbe[m] munitiſſimam, tenebat) Alexandro obviam profe[-]cta, Alindis urbe tradita, eum in filium adoptavi[t]. Rex nec liberalitatem fœminæ nec filii nomen aſper[-]natus, urbem eidem cuſtodiendam reliquit. Tot[a] deinde Caria ſubacta, memor accepti beneficii, ea[m] univerſam Adæ imperio ſubjecit. Hinc in Lycia[m] & Pamphyliam tendit, eo conſilio, ut ora maritim[a] ad Phœniciam & Ciliciam uſque in poteſtatem re-dacta, navales copias hoſtibus inutiles redderet. De-victiſque rebellibus Piſidiæ populis, ſummo menti[s] ardore, nec minore alacritate, adverſus Darium, quem cum multis militantium millibus adventar[e] conſtabat, contendens Phrygiam, per quam exercitus traducendus erat, eſt ingreſſus.

LIBER III.

BREVIARIUM LIBRI.

1. *CElænarum urbe & arce recepta, primariam Phrygiæ urbem Alexander ingreditur: in qua fatalem Gordii nodum ſoluit. ac deinde obviam Dario ire ſtatuit.*

2. *Exercitus Perſici luſtratio. de quo quum Darii juſſu Charidemus Athenienſis, verum liberumq; protuliſſet judicium; capite mulctatus eſt.*

3. *Pompa Perſarum regum, orto Sole, domum procedentium, tum copiarum Alexandri deſcriptio.*

4. *Deſertas ab Arſane Darii præfecto Ciliciæ fauces Alexander opportune occupat.*

5. *Cum in Cydnum flumen abluendi corporis gratia*

gratia intempeſtive deſcendiſſet, graviſſimo morbo corripitur rex ipſe.

6. *Qui à fido ſapientique medico Philippo, cui à toto exercitu ingentes gratiæ habentur, priſtinæ valetudini mox reſtituitur.*

7. *Vegetior factus, Darium aggredi cogitat, Siſenemque Perſam, imprudentia delinquentem, occidi jubet.*

8. *Darii ante pugnam conſilia: tum exercitus Perſici conſternatio; proximæ internecionis præſagium.*

9. *Utriuſque exercitus membra præcipua & collocatio.*

10. *Alexandri oratio ad milites.*

11. *Pugna cruenta, in qua* 100000. *peditum ac* 10000. *equitum Perſarum millia occumbunt: reliquis fuſis fugatiſque.*

12. *Caſtris Darii ingenti præda potitur Alexander.*

13. *Matris, & uxoris Darii, nec non aliarum nobilium captivarum luctum, ob regem quem putabant interfectum, regio prorſus animo levat Alexander.*

14. *Darii gazam immenſam, cum ingenti nobilium numero, Parmenioni proditorie Damaſci præfectus tradit.*

INTER hæc, Alexander ad conducendum ex Peloponneſo militem Cleandro cum pecunia miſſo, Lyciæ Pamphyliæque rebus compoſitis, ad urbem Celænas exercitum admovit. Media illa tempeſtate mœnia interfluebat Marſyas amnis, fabuloſis Grçcorum carminibus inclytus. fons ejus ex ſummo montis cacumine

cacumine excurrens, in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit: inde diffuſus, circumjectos rigat campos, liquidus, & ſuas duntaxat undas trahens. Itaque color ejus placido mari ſimilis, locum poëtarum mendacio fecit: quippe traditum eſt, nymphas amore amnis retentas, in illa rupe conſidere. Cæterum quam diu intra muros fluit, nomen ſuum retinet. At cum extra munimenta ſe evolvit, majore vi ac mole agentem undas, Lycum appellant. Alexander quidem urbem deſtitutam à ſuis intrat: arcem vero, in quam confugerant, oppugnare adortus, caduceatorem præmiſit, qui denunciaret, ni dederent, ipſos ultima eſſe paſſuros. Illi caduceatorem in turrim, & ſitu & opere multum editam, perductum, quanta eſſet altitudo, intueri jubent, ac nuntiare Alexandro, non eadem ipſum & incolas æſtimatione munimenta metiri: ſe ſcire inexpugnabiles eſſe: ad ultimum pro fide morituros. Cæterum, ut circunſideri arcem, & omnia ſibi in dies arctiora viderunt eſſe: ſexaginta dierum inducias pacti, ut niſi intra eos auxilium Darius ipſis miſiſſet, dederent urbem: poſtquam nihil inde præſidii mittebatur, ad præſtitutam diem permiſere ſe regi. Superveniunt deinde legati Athenienſium, petentes, ut capti apud Granicum amnem redderentur ſibi. Ille non hos modo, ſed etiam cæteros Græcos reſtitui ſuis, juſſurum reſpondit, finito Perſico bello. Cęterum Dario imminens, quem nondum Euphratem ſuperaſſe cognoverat, undique omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli diſcrimen aditurus. Phrygia erat, per quam ducebatur exercitus pluribus vicis quam urbibus frequens. Tunc habebat quondam

dam nobilem Midæ regiam, Gordium nomen eſt urbi, quam Sangarius amnis præterfluit, pari intervallo Pontico & Cilicio mari diſtantem. Inter hæc maria, anguſtiſſimum Aſiæ ſpatium eſſe comperimus; utroq; in arctas fauces compellente terram. Quæ quia continenti adhæret, ſed magna ex parte cingitur fluctibus, ſpeciem inſulę prębet: ac, niſi tenue diſcrimen obiiceret, maria, quæ nunc dividit, committeret. Alexander, urbe in ſuam ditionem redacta, Iovis templum intrat. vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum eſſe conſtabat, adſpexit, cultu haud ſane à vilioribus vulgatiſque uſu abhorrens. Notabile erat vinculum adſtrictum, compluribus nodis in ſemetipſos implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam eſſe oraculo ſortem, Aſiæ potiturum qui inexplicabile vinculum ſolviſſet: cupido inceſſit animo ſortis ejus explendæ. Circa regem erat & Phrygum turba, & Macedonum; illa explicatione ſuſpenſa, hæc ſolicita ex temeraria regis fiducia: quippe ſeries vinculorum erat ita adſtricta, ut unde nexus inciperet, quove ſe conderet, nec ratione, nec viſu percipi poſſet. Solvere aggreſſus injecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis, Nihil, inquit, intereſt quomodo ſolvatur, gladioque ruptis omnibus loris, oraculi ſortem vel eluſit, vel implevit. Cum deinde Darium ubicunque eſſet, occupare ſtatuiſſet: ut à tergo tuta relinqueret, Amphoterum claſſi ad oram Helleſponti, copiis autem præfecit Hegelochum, Leſbum, & Chium, & Con, præſidiis hoſtium liberaturos. His talenta ad belli uſum quingenta attributa. Ad

Anti-

Antipatrum, & eos, qui Græcas urbes tueban-tur,ſexcenta miſſa. Ex fœdere naves ſociis imperat, quæ Helleſponto præſiderent. Nondum enim Memnonem vita exceſſiſſe cognoverat in quem omnes intenderat curas; ſatis gnarus cuncta in expedito fore, ſi nihil ab eo moveretur. Iamque ad urbem Ancyram ventum erat ubi numero copiarum initio, Paphlagoniam intrat. Huic juncti erant Heneti: unde quidam Venetos trahere originem credunt: omniſque hæc regio paruit regi,datiſque obſidibus, tributum (quod ne Perſis quidem tuliſſent) pendere ne cogerentur, impetraverunt. Calas huic regioni præpoſitus eſt. ipſe, aſſumptis qui ex Macedonia nuper advenerāt,Cappadociam petiit.

2. At Darius, nunciata Memnonis morte, haud ſecus quam par erat, motus, omiſſa omni alia ſpe, ſtatuit ipſe decernere. quippe quæ per duces ſuos acta erant, cuncta damnabat; ratus pluribus curam, omnibus abfuiſſe fortunam. Igitur caſtris ad Babylonem poſitis,quo majore animo capeſſerent bellum, univerſas vires in conſpectum dedit: & circundato vallo, quod decem millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo, numerū copiarum iniit. Orto ſole, ad noctem agmina, ſicut deſcripta erant, intravere vallum. inde occupaverant emiſſa Meſopotamiæ campos. equitum peditumq; propemodum innumerabilis turba, majorem quam pro numero ſpeciem gerens. Perſarum erant centum millia. In quib⁹ eques triginta millia implebat. Medi decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant. Barcanorum equitum duo millia fuere, armati bipennibus, levibuſque ſcutis cetræ maximæ ſpe-

ciem

ciem reddentibus. peditum decem millia pari armatura ſequebantur. Armenii quadraginta millia miſerant peditum, additis ſeptem millibus equitum. Hyrcani egregii, ut inter illas gentes, ſex millia expleverãt, equis militatura. Derbices quadraginta millia peditum armaverant. Pluribus hęrebant ferro præfixæ haſtæ, quidam lignum igni duraverant. hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata ſunt. A Caſpio mari octo millium pedeſter exercitus venerat: ducenti equites. Cum his erant ignobiles Aſiæ gentes, duo millia peditum. equitum duplicem paraverant numerum. His copiis triginta millia Græcorum mercede conducta, egregiæ juventutis adjecta ſunt. Nam Bactrianos & Sogdianos, & Indos, cæteroſque rubri maris accolas, ignota etiam ipſi gentium nomina, feſtinatio prohibebat acciri. Nec quicquam illi minus, quam multitudo militum, defuit: cujus tum univerſæ aſpectu admodum lætus, purpuratis ſolita vanitate ſpem ejus inflantibus, converſus ad Eudemum Athenienſem belli peritum & ob exilium infeſtum Alexandro, (quippe Athenis jubente eo, fuerat expulſus) percunctari cœpit. Satis ne ei videretur inſtructus ad obterendum hoſtem. At ille, & ſuæ ſortis & regiæ ſuperbiæ oblitus: *Verum*, inquit, *& tu forſan audire nolis, & ego, niſi nunc dixero, alias nequaquam confitebor, hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium, & totius orientis excita ſedibus ſuis moles, finitimis poteſt eſſe terribilis: nitet purpura, aurumque fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non ſubjecere, animis concipere non poſſunt. Sed Macedonum acies torva ſane & inculta, clypeis haſtiſque immobiles, cuneos, & conferta robora virorum reget.*

Ipſi

Ipſi phalangem vocant peditum ſtabile agmen. Vir viro, armis arma conſerta ſunt: ad nutum monentis intenti, ſequi ſigna, ordines ſervare didicere. Quod imperatur, omnes exaudiunt: obſiſtere, circuire, diſcurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quam milites callent. Et ne auri argentique ſtudio teneri putes, adhuc illa diſciplina paupertate magiſtra ſtetit. Fatigatis humus cubile eſt: cibus, quem occupant, ſatiat. tempora ſomni arctiora quam noctis ſunt. Iam Theſſali equites & Acarnanes, Ætoliique, invicta bello manus, fundis, credo, & haſtis igni duratis, repellentur: pari robore opus eſt. In illa terra quæ hos genuit, auxilia quærenda ſunt. Argentum iſtud atque aurum, ad conducendum militem mitte. Erat Dario mite ac tractabile ingenium, niſi etiam ſuam naturam plerunque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hoſpitem ac ſupplicem, tunc maxime utilia ſuadentem abſtrahi juſſit ad capitale ſupplicium. Ille, ne tum quidem libertatis oblitus: *Habeo*, inquit, *paratum mortis meæ ultorem. expetet pœnas mei conſilii ſpreti ipſe, contra quem tibi ſuaſi. Tu quidem licentia regni ſubito mutatus, documentum eris poſteris; homines, cum ſe permiſere fortunæ, etiam naturam dediſcere.* Hæc vociferantem, quibus erat imperatum, jugulant. Sera deinde pœnitentia ſubiit regem: ac vera dixiſſe confeſſus, eum ſepeliri juſſit.

3. Thymodes erat Mentoris filius, impiger juvenis, cui præceptum eſt à rege, ut omnes peregrinos milites, in quos plurimum habebat ſpei, à Pharnabazo acciperet; opera eorum uſurus in bello. Ipſi Pharnabazo tradit imperium, quod ante Memnoni dederat. Anxium de inſtantibus curis, agitabant etiam per ſomnum ſpecies

ſpecies imminentium rerum: ſive illas ægritudo, ſive divinatio animi præſagientis accerſit. Caſtra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei viſa ſunt, & paulo poſt Alexander adduci ad ipſum, in eo veſtis habitu, quo ipſe fuiſſet: equo deinde per Babylonem vectus, ſubito cum ipſo equo oculis eſſe ſubductus. Ad hæc vates varia interpretatione curam diſtrinxerant: alii lætum id regi ſomnium eſſe dicebant, quod caſtra hoſtium arſiſſent, quod Alexandrum, depoſita regia veſte, in Perſico & vulgari habitu perductum eſſe vidiſſet. Quidam non ita augurabantur: quippe illuſtria Macedonum caſtra viſa, fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Aſiæ occupaturum eſſe, haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuiſſet, cum appellatus eſt rex. Vetera quoque omnia, ut fit, ſolicitudo revocaverat. Darium enim in principio imperii vaginam acinacis Perſicam juſſiſſe mutari in eam formam, qua Græci uterentur, protinuſq; Chaldæos interpretatos, imperium Perſarum ad eos tranſiturum, quorum arma eſſet imitatus. Cæterum ipſe & vatum reſponſo, quod edebatur in vulgus, & ſpecie, quæ per ſomnum oblata erat, admodum lætus, caſtra ad Euphratem movere jubet. Patrio more Perſarum traditum eſt, orto ſole demum procedere. Die jam illuſtri ſignum è tabernaculo regis buccina dabatur. ſuper tabernaculum, unde ab omnibus conſpici poſſet, imago ſolis cryſtallo incluſa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis, quem ipſi ſacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur. Magi proximi, patrium carmen canebant. Magos trecenti & ſexaginta quinque juvenes ſe-

quebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero. quippe Perſis quoque in totidem dies deſcriptus eſt annus. Currum deinde Iovi ſacratum albentes vehebant equi. hos eximiæ magnitudinis equus, quem ſolis appellabant, ſequebatur. Aureæ virgæ & albæ veſtes, regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque cælata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium, variis armis & moribus. Proximi ibant, quos Perſę immortales vocant, ad decem millia. cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honeſtabat. Illi aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant, manicataſque tunicas, gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos cognatos regis appellant, decem & quinque millia hominum. Hæc vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis, quam decoris armis conſpicua erat. Doryphori vocabantur. Proximum his agmen, ſoliti veſtem excipere regalem. Hi currum regis anteibant, quo ipſe eminens vehebatur. Vtrumque currus latus deorum ſimulachra ex auro argentoque expreſſa decorabant. Diſtinguebant internitentes gemmæ jugum: ex quo eminebant duo aurea ſimulachra cubitalia; quorum alterum pacis, alterum belli gerebat effigiem. Inter hæc auream aquilam pinnas extendenti ſimilem, ſacraverant. Cultus regis, inter omnia, luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat. Pallam auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant: & zona aurea muliebriter cinctus, acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina. Cydarim Perſæ regium capitis vocabant
inſigne:

inſigne: hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat. Currum decem millia haſtatorum ſequebantur. haſtas argento exornatas, ſpicula auro præfixa geſtabant. Dextera lævaq; regem ducenti ferme nobiliſſimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum. quos equi regis quadringenti ſequebantur. Intervallo deinde unius ſtadii, matrem Darii Syſigambim currus vehebat. & in alio erat conjunx. Turba fœminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim inde, quas armamaxas appellant, ſequebantur. In his erant liberi regis, & qui educabant eos, ſpadonumque grex, haud ſane illis gentibus vilis. Tum regiæ pellices trecentę ſexaginta vehebantur, & ipſæ regali cultu, ornatuque. poſtquas pecuniam regis ſexcenti muli & trecenti cameli vehebant; præſidio ſagittariorum proſequente. Propinquorum amicorumque conjuges huic agmini proximæ, lixarumq; & calonum greges vehebantur. Vltimi erant cum ſuis quiſque ducibus, qui cogerent agmen, leviter armati. Contra, ſi quis aciem Macedonum intueretur, diſpar acies erat; equis, viriſq; non aurea, non diſcolori veſte, ſed ferro atque ære fulgentibus. Agmen & ſtare paratum, & ſequi, nec turba, nec ſarcinis prægrave; intentum ad ducis non ſignum modo, ſed etiam nutum. Et caſtris locus, & exercitui commeatus ſuppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit.

4. Darius autem tantæ multitudinis rex, loci, in quo pugnavit, anguſtiis redactus eſt ad paucitatem quam in hoſte contempſerat. Interea Alexander, Abiſtamene Cappadociæ præ-

poſito Ciliciam petens, cum omnibus copiis in regionem, quę Caſtra Cyri appellatur, pervenerat. Stativa illic habuerat Cyrus, cum adverſus Crœſum in Lydiam exercitum duceret. Aberat ea regio quinquaginta ſtadia ab aditu, quo Ciliciam intramus: Pylas incolæ dicunt arctiſſimas fauces, munimenta quæ manu ponimus naturali ſitu imitante. Igitur Arſanes, qui Ciliciæ præerat, reputans quid in initio belli Memnon ſuaſiſſet, quondam ſalubre conſilium ſero exſequi ſtatuit: igne ferroque Ciliciam vaſtat, ut hoſti ſolitudinem faciat: quicquid uſui eſſe poteſt, corrumpit: ſterile ac nudum ſolum, quod tueri nequibat, relicturus. Sed longe utilius fuit, anguſtias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare præſidio, jugumque opportune itineri imminens obtinere; unde inultus ſubeuntem hoſtem aut prohibere, aut opprimere potuiſſet. Tunc paucis, qui callibus præſiderent, relictis, retro ipſe conceſſit; populator terræ, quam à populationibus vindicare debuerat. Ergo qui relicti erant, proditos ſe rati, ne conſpectum quidem hoſtis ſuſtinere voluerunt, cùm vel pauciores locum obtinere potuiſſent. Namque perpetuo jugo montis aſperi ac prærupti Cilicia includitur: quod quum à mari ſurgat, velut ſinu quodam flexuque curvatum, rurſus altero cornu in diverſum litus excurrit. Per hoc dorſum, qua maxime introrſum mari cedit, aſperi tres aditus, & peranguſti ſunt, quorum uno Cilicia intranda eſt, campeſtris eadé, qua vergit ad mare, planiciem ejus crebris diſtinguentibus rivis. Pyramus & Cydnus inclyti amnes fluunt. Cydnus, non ſpacio aquarum, ſed liquore memorabilis: quippe leni tractu è

fontibus

fontibus labens, puro ſolo excipitur. Nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidiſſimus, quippe multa riparum amœnitate inumbratus, ubique fontibus ſuis ſimilis in mare evadit. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetuſtas exederat. Monſtrabantur urbium ſedes Lyrniſſi & Thebes; Typhonis quoque ſpecus, & Corycium nemus, ubi crocum gignitur, cæteraque in quibus nihil præter famam duraverat. Alexander fauces jugi, quæ Pylæ appellantur, intravit: contemplatus locorum ſitum, non alias magis dicitur admiratus eſſe felicitatem ſuam: obrui potuiſſe vel ſaxis confitebatur, ſi fuiſſent qui ſubeuntes propellerent. Iter vix quaternos capiebat armatos. Dorſum montis imminebat viæ, non anguſtæ modo, ſed plerunque præruptæ, crebris oberrantibus rivis, qui ex radicibus montium manant. Thracas tamen leviter armatos præcedere juſſerat, ſcrutarique calles, ne occultus hoſtis in ſubeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupaverat jugum: intentos arcus habebant, moniti, non iter ipſos inire, ſed præliũ. Hoc modo agmen pervenit ad urbem Tarſon, cui tum maxime Perſæ ſubiiciebant ignem, ne opulentum oppidum hoſtis invaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu pręmiſſo, poſteaquam Barbaros adventu ſuorum fugatos eſſe cognoverat, urbem à ſe conſervatam intrat.

5. Mediam Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum eſt, interfluit; & tunc æſtas erat, cujus calor non aliam magis quã Ciliciæ oram vapore ſolis accendit, & diei fervidiſſimum

tempus cœperat. Pulvere ac ſudore ſimul perfuſum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veſte depoſita, in conſpectu agminis (decorum quoque futurum ratus, ſi oſtendiſſet ſuis, levi ac parabili cultu corporis ſe eſſe contentum) deſcendit in flumen, vixque ingreſſi ſubito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde ſuffuſus eſt, & totum propemodum corpꝰ vitalis calor reliquit. Expiranti ſimilem, miniſtri manu excipiunt, nec ſatis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens ſolicitudo, & pene jam luctus in caſtris erat. Flentes querebantur, in tanto impetu curſuque rerum, omnis ætatis ac memoriæ clariſſimum regem non in acie ſaltem, non ab hoſte dejectum, ſed abluentem aqua corpus, ereptum eſſe, & extinctum: inſtare Darium, victorem antequam vidiſſet hoſtem. Sibi eaſdem terras quas victores peragraſſent, repetendas: omnia aut ipſos, aut hoſtes populatos: per vaſtas ſolitudines, etiam ſi nemo inſequi vellit, euntes, fame atque inopia debellari poſſe. Quem ſignum daturum fugientibus? quem auſurum Alexandro ſuccedere? Iam ut ad Helleſpontum fuga penetrarent, claſſem qua tranſeant, quem præparaturum? Rurſus in ipſum regem miſericordia verſa. illum florem juventæ, illam vim animi, eundem regem & commilitonem divelli à ſe & abripi, immemores ſui querebantur. Inter hæc liberius meare ſpiritus cœperat. allevabat rex oculos, & paulatim redeunte animo circumſtantes amicos agnoverat. Laxataque vis morbi ad hoc ſolum videbatur, quia magnitudinem mali ſentiebat. Animum autem ægritudo corporis urgebat. quippe Darium

Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur. Vinctum ergo ſe tradi, & tantam victoriam eripi ſibi è manibus, obſcuraque & ignobili morte in tabernaculo extingui ſe, querebatur. Admiſſiſque amicis, pariter & medicis: *In quo me*, inquit, *articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hoſtilium armorum exaudire videor: & qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo, cum tam ſuperbas literas ſcriberet, fortunam meam in conſilio habuit. ſed nequicquam, ſi mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia & ſegnes medicos non expetunt tempora mea. Vel mori ſtrenue, quam tarde convaleſcere, mihi melius eſt. Proinde, ſi quid opis, ſi quid artis in medicis eſt; ſciant, me non tam mortis, quam belli remedium quærere.* Ingentem omnibus incuſſerat curam tam præceps temeritas ejus. Ergo pro ſe quiſque precari cœpere, ne feſtinatione periculum augeret, ſed eſſet in poteſtate medentium. Inexperta remedia haud injuria ipſis eſſe ſuſpecta, quum ad perniciem ejus etiam à latere ipſius pecunia ſolicitaret hoſtis. Quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum ſe pronunciari juſſerat. Itaque ne auſurum quidem quenquam arbitrabatur experiri remedium, quod propter novitatem poſſet eſſe ſuſpectum.

6. Erat inter nobiles medicus è Macedonia regem ſecutus, Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi; puero comes, & cuſtos ſalutis datus, qui non ut regem modo, ſed etiam ut alumnum eximia charitate diligebat; is non præceps ſe, ſed ſtrenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum eſſe promiſit. Nulli promiſſum ejus placebat, præter ipſum cujus periculo pollicebatur.

Omnia quippe facilius, quam moram, perpeti poterat. Arma & acies in oculis erant, & victoriam in eo poſitam eſſe arbitrabatur, ſi tantum ante ſigna ſtare potuiſſet: id ipſum, quod poſt diem tertium medicamentum ſumpturus eſſet (ita enim medicus prædixerat) ægre ferens. Inter hęc à Parmenione fidiſſimo purpuratorum literas accipit, quibus ei denunciabat, ne ſalutem ſuam Philippo committeret: mille talentis à Dario, & ſpe nuptiarum ſororis ejus eſſe corruptum. Ingentem animo ſolicitudinem literæ incuſſerant, & quicquid in utramque partem aut metus, aut ſpes ſubjecerat, ſecreta æſtimatione penſabat. Bibere perſeverem? ut ſi venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quicquid acciderit, eveniſſe videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At ſatius eſt, alieno me mori ſcelere, quam metu noſtro. Diu animo in diverſa verſato, nulli quid ſcriptum eſſet enunciat, epiſtolamque ſigillo anuli ſui impreſſo, pulvino, cui incubabat, ſubjecit. Inter has cogitationes biduo abſumpto, illuxit à medico deſtinatus dies. Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viſo, Alexander, levato corpore in cubitum, epiſtolam à Parmenione miſſam ſiniſtra manu tenens, accipit poculum, & haurit interritus: tum epiſtolam Philippum legere jubet, nec à vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conſcientiæ notas in ipſo ore poſſe deprehendere. Ille epiſtola perlecta, plus indignationis, quam pavoris oſtendit: projectiſque amiculo & litteris ante lectum: *Rex*, inquit, *ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc vero (arbitror) ſacro & venerabili ore trahitur. Crimen parri-*

parricidii, quod mihi objectum eſt, tua ſalus diluet. Servatus à me vitam mihi dederis, oro, quæſoque: omiſſoque metu, patere medicamentum concipi venis. Laxa pauliſper animum, quem ſolicitudine intempeſtiva amici ſane fideles, ſed moleſte ſeduli turbant. Non ſecurum modo hæc vox, ſed etiam lætum Regem, ac plenum bonæ ſpei fecit. *Itaq;, ſi dii,* inquit, *Philippe, tibi permiſiſſent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluiſſes. Sed certiore, quam expertus es, ne optaſſes quidem. Hac epiſtola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: & nunc credo, te non minus pro tua fide, quam pro mea ſalute eſſe ſolicitum.* Hæc elocutus, dexteram Philippo offert. Cæterum tanta vis medicaminis fuit, ut quæ ſequuta ſunt, criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus ſpiritus arcte meabat, nec Philippus quidquam inexpertum omiſit. Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore, excitavit. Atque ut primum mentis compotem eſſe ſenſit, modo matris, ſororumque, modo tantę victorię appropinquantis admonere non deſtitit. Vt vero medicamentum ſe diffudit in venas, & ſenſim toto corpore ſalubritas percipi potuit: primo animus vigorem ſuum, deinde corpus quoque exſpectatione maturius recuperavit. Quippe poſt tertium diem, quam in hoc ſtatu fuerat, in conſpectum militum venit. Nec avidius ipſum Regem, quam Philippum intuebatur exercitus: pro ſe quiſque dexteram ejus amplexi, grates habebant, velut præſenti Deo. Namque haud facile dictu eſt, pręter ingenitam illi genti erga Reges ſuos venerationem, quantum hujus quoque Regis vel admirationi dediti fuerint, vel charitate flagraverint. Iam primum

nihil, niſi divina ope, aggredi videbatur. Nam cum eſſet præſto ubique fortuna, temeritas in gloriam ceſſerat: ætas quoque vix tantis matura rebus, ſed abunde ſufficiens, omnia etiam ejus opera honeſtabat: & quæ leviora haberi ſolent, plerunque in re militari gratiora vulgo ſunt; exercitatio corporis inter ipſos, cultus habituſque, paululum à privato abhorrens, militaris vigor, queis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter charus ac venerandus eſſet, effecerat.

7. At Darius nuntio de adverſa valetudine ejus accepto, celeritate quanta poterat, tam grave agmen ad Euphratem contendit: junctoque eo pontibus, quinque tamen diebus trajecit exercitum, Ciliciam occupare feſtinans. Iamque Alexander viribus corporis receptis, ad urbem Solos pervenerat: cujus potitus, ducentis talentis, nomine mulctæ, exactis, arci præſidium militum impoſuit. Vota deinde pro ſalute ſuſcepta, per ludum atque otium reddens, oſtendit quanta fiducia Barbaros ſperneret: quippe Æſculapio, & Minervæ ludos celebravit. Spectanti nuntius lætus affertur ex Halicarnaſſo, Perſas acie à ſuis eſſe ſuperatos, Myndios quoque & Caunios, & pleraque tractus ejus, ſuę facta ditionis. Igitur edito ſpectaculo ludicro, caſtriſque motis, & Pyramo amne ponto juncto, ad urbem Mallon pervenit: inde alteris caſtris ad oppidum Caſtabalum. Ibi Parmenio Regi occurrit, quem præmiſerat ad explorandum iter ſaltus, per quem ad urbem Iſſon nomine penetrandum erat. Atque ille anguſtiis ejus occupatis, & prȩſidio modico relicto, Iſſon quoque deſertam à Barbaris ceperat. Inde progreſſus

greſſus, deturbatis qui interiora montium obſidebant, præſidiis cuncta firmavit: occupatoque itinere, ſicut paullo ante dictum eſt, idem & author & nuntius venit. Iſſon inde Rex copias admovit: ubi conſilio habito, utrumne ultra progrediendum foret, an ibi opperiendi eſſent milites novi, quos ex Macedonia adventare conſtabat: Parmenio, non alium locum prœlio aptiorem eſſe cenſebat. quippe illic utriuſque Regis copias numero futuras pares, cum anguſtię multitudinem non caperent. planitiem ipſis campoſque eſſe vitandos, ubi circuiri, ubi ancipiti acie opprimi poſſent: timere, ne non virtute hoſtium, ſed laſſitudine ſua vincerentur: Perſas recentes inde ſucceſſuros, ſi laxius ſtare potuiſſent. Facile ratio tam ſalubris conſilii accepta eſt. Itaque inter anguſtias ſaltus hoſtem opperiri ſtatuit. Erat in exercitu Regis, Siſenes Perſes, quondam à Prætore Ægypti miſſus ad Philippum, doniſque, & omni honore cultus exſilium patria ſede mutaverat: ſecutus deinde in Aſiam Alexandrum, inter fideles ſocios habebatur. Huic epiſtolam Cretenſis miles obſignatam anulo, cujus ſignum haud ſane notum erat, tradidit. Nabarzanes Prætor Darii miſerat eam, hortabaturque Siſenem, ut dignum aliquid nobilitate ac moribus ſuis ederet: magno id ei apud Regem honori fore. Has litteras Siſenes, utpote innoxius, ad Alexandrum ſæpe deferre tentavit. Sed cum tot curis apparatuq; belli Regem videret urgeri, aptius ſubinde tempus exſpectans, ſuſpicionem initi ſceleſti conſilii præbuit. Namque epiſtola, priuſquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamq; eam ignoti anuli ſigillo impreſſo, Siſeni dari juſſerat,

juſſerat, ad æſtimandam fidem Barbari. Qui quia per complures dies non adierat Regem, ſceleſto conſilio eam viſus eſt ſuppreſſiſſe, & in agmine à Cretenſibus haud dubie juſſu Regis occiſus eſt.

8. Iamque Græci milites, quos Thymondas à Pharnabazo acceperat, præcipua ſpes, & propemodum unica, ad Darium pervenerant. Hi magnopere ſuadebant, ut retro abiret, ſpatioſoſque Meſopotamiæ campos repeteret. Si id conſilium damnaret, at ille divideret ſaltem copias innumerabiles, neu ſub unum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur. Minus hoc conſilium Regi, quam purpuratis ejus diſplicebat: ancipitem fidem, & mercede venalem proditionem imminere, & dividi non ob aliud copias velle, quam ut ipſi in diverſa digreſſi, ſi quid commiſſum eſſet, traderent Alexandro. Nihil tutius eſſe, quam circundatos eos exercitu toto obrui telis; documentum non inultæ perfidiæ futuros. At Darius, ut erat ſanctus & mitis, ſe vero tantum facinus negat eſſe facturum, ut ſuam ſecutos fidem, ſuos milites jubeat trucidari. Quam deinde amplius nationum exterarum, ſalutem ſuam credituram ſibi, ſi tot militum ſanguine imbuiſſet manus? Neminem ſtolidum conſilium capite luere debere. Defuturos eos qui ſuaderent, ſi ſuaſiſſe periculum eſſet. Denique, ipſos quotidie ad ſe vocari in conſilium, variaſque ſententias dicere, nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius ſuaſerint. Itaque Græcis nuntiari jubet, ipſum quidem benevolentiæ illorum gratias agere. cæterum ſi retro ire pergat, haud dubie regnum hoſtibus traditurum. Fama bella ſtare: & eum

qui

qui recedat, fugere credi. Trahēdi vero belli vix ullam eſſe rationem. Tantæ enim multitudini, utique cum jam hyems inſtaret, in regione vaſta, & invicem à ſuis, atque hoſte vexata, non ſuffectura alimenta. Ne dividi quidem copias poſſe, ſervato more majorum, qui univerſas vires ſemper diſcrimini bellorum obtulerant. Et hercule, terribilem antea Regem, & abſentia ſua ad vanam fiduciam elatum, poſteaquam adventare ſe ſenſerit, cautum pro temerario factum, delituiſſe inter anguſtias ſaltus; ritu ignobilium ferarum, quæ ſtrepitu prętereuntium audito, ſylvarum latebris ſe occuluerunt. Iam etiam valetudinis ſimulatione fruſtrari ſuos milites, ſed non amplius ipſum eſſe paſſurum detrectare certamen. In illo ſpecu, in quem pavidi receſſiſſent, oppreſſurum eſſe cunctantes. Hæc magnificentius jactata, quam verius. Cęterum pecunia omni, rebuſque precioſiſſimis, Damaſcum Syriæ, cum modico præſidio militum miſſis, reliquas copias in Ciliciam duxit, inſequentibus, more patrio, agmen, conjuge & matre. Virgines quoque cum parvo filio comitabantur patrem. Forte eadem nocte & Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, & Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, pervenit. Nec dubitavere Perſæ, quin Iſſo relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam ſaucii quidam & invalidi, qui agmen non poterant perſequi, excepti erant. Quos omnes, inſtinctu purpuratorum barbara feritate ſævientium, præciſis aduſtiſque manibus circumduci, ut copias ſuas noſcerent: ſatiſque omnibus ſpectatis nuntiare, quæ vidiſſent, Regi ſuo juſſit. Motis ergo caſtris, ſuperat Pyramum amnem,

nem, in tergis, ut credebat, fugientium hęſuru
At illi, quorum amputaverat manus, ad caſtr
Macedonum penetrant, Darium, quam max
mo curſu poſſet, ſequi nuntiantes. Vix fid
habebatur. Itaque ſpeculatores, in maritima
regiones præmiſſos explorare jubet, ipſene ade
ſet, an præfectorum aliquis ſpeciem tribuiſſe
univerſi venientis exercitus. Sed cum ſpecula
tores reverterentur, procul ingens multitud
conſpecta eſt. Ignes deinde totis campis collu
cere cœperunt, omniaque velut continenti in
cendio ardere viſa, cum incondita multitud
maxime propter jumenta laxius tenderet. Ita
que eo ipſo loco metari ſuos caſtra juſſerat, læ
tus, quod omni expetiverat voto, in illis potiſſi
mum anguſtiis decernendum eſſe. Cæterum, u
ſolet fieri, cum ultimi diſcriminis tempus ad
ventat, in ſollicitudinem verſa fiducia eſt. Illam
ipſam fortunam, qua aſpirante res tam proſpe
re geſſerat, verebatur: nec injuria, ex his qua
tribuiſſet ſibi, quam mutabilis eſſet, reputabat
Vnam ſupereſſe noctem, quæ tanti diſcrimini
moraretur eventum. Rurſus occurrebant majora periculis præmia: &, ſicut dubium eſſet an vinceret, ita illud utique certum eſſe, honeſte & cum magna laude moriturum. Itaque corpora milites curare juſſit, ac deinde tertia vigilia inſtructos & armatos eſſe. Ipſe in jugum editi montis aſcendit, multiſque collucentibus facibus patrio more, ſacrificium Diis præſidibus loci fecit. Iamq; tertium, ſicut præceptum erat, ſignum tuba miles acceperat, itineri ſimul paratus & prçlio: ſtrenueque juſſi procedere, oriente luce pervenerunt ad anguſtias, quas occupare decreverant. Darium triginta inde ſtadia abeſſe,
præ-

præmiſſi judicabant. Tunc conſiſtere agmen jubet, armiſque ipſe ſumptis aciem ordinabat. Dario adventum hoſtium pavidi agreſtes nuntiaverunt: vix credenti, occurrere etiam, quos ut fugientes ſequebatur. Ergo non mediocris omnium animos formido inceſſerat. quippe itineri quam prœlio aptiores erant, raptimque arma capiebant. Sed ipſa feſtinatio diſcurrentium, ſuoſque ad arma vocantium, majorem metum incuſſit. Alii in jugum montis evaſerant, ut hoſtium agmen inde proſpicerent: equos plerique frænabant: diſcors exercitus, nec ad unum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbaverat. Darius initio montis jugum cum parte copiarum occupare ſtatuit; & à fronte, & à tergo circumiturus hoſtem: à mari quoque, quo dexterum ejus cornu tegebatur, alios objecturus, ut undique urgeret. Præter hæc viginti millia præmiſſa cum ſagittariorum manu, Pyramum amnem, qui duo agmina interfluebat, tranſire, & objicere ſeſe Macedonum copiis juſſerat. Si id præſtare non poſſent, retrocedere in montes, & occulte circumire ultimos hoſtium. Cæterum deſtinata ſalubriter omni ratione, potentior fortuna diſcuſſit: quippe alii præ metu imperium exſequi non audebant, alii fruſtra exſequebantur: quia ubi partes labant, ſumma turbatur.

9. Acies autem hoc modo ſtetit: Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur, additis funditorum ſagittariorumq; viginti ferme millibus. In eodem Thymondas erat; Græcis peditibus mercede conductis triginta millibus præpoſitus. Hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicæ phalangi acies. In

lævo

lævo cornu Ariſtomedes Theſſalus viginti millia Barbarorum peditum habebat. In ſubſidiis pugnaciſſimas locaverat gentes. Ipſum Regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum aſſueta corporis cuſtodiæ, & pedeſtris acies quadraginta millia ſequebantur. Hyrcani deinde Medique equites: his proximi cæterarum gentium equites dextera lævaque diſpoſiti. Hoc agmen, ſicut dictum eſt, inſtructum, ſex millia jaculatorum funditorumque antecedebant. Quidquid in illis anguſtiis adiri poterat, impleverant copiæ: cornuaque hinc à jugo, illinc à mari ſtabant: uxorem matremque Regis, & alium fœminarum gregem, in medium agmen acceperant. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte conſtituit. dexterum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi ſtabant Cœnos, & Perdiccas, & Meleager, & Ptolemæus, & Amyntas, ſui quiſque agminis duces. In lævo, quod ad mare pertinebat, Craterus & Parmenio erant; ſed Craterus Parmenioni parere juſſus. Equites ab utroque cornu locati: dexterum Macedones Theſſalis adjunctis, lævum Peloponnenſes tuebantur. Ante hanc aciem poſuerat funditorum manum ſagittariis admixtis. Thraces quoque & Cretenſes ante agmen ibant, & ipſi leviter armati. At iis, qui præmiſſi à Dario jugum montis inſederant, Agrianos oppoſuit, ex Græcia nuper advectos. Parmenioni autem præceperat, ut quantum poſſet, agmen ad mare extenderet, quo longius abeſſet montibus, quos occupaverant Barbari. At illi, neque obſtare venientibus, nec circumire prætergreſſos auſi, funditorum

maxime

maxime aſpectu territi profugerant. Eaque res Alexandro tutum agminis latus, quod ne ſuperne inceſſeretur timuerat, præſtitit. Triginta & duo armatorum ordines ibant. neque enim latius extendi aciem patiebantur anguſtiæ. Paulatim deinde ſe laxare ſinus montium, & majus ſpatium aperire cœperant. ita ut non pedes ſolum pluribus ordinibus incedere, ſed etiam à lateribus circumfundi poſſet equitatus.

10. Iam in conſpectu, ſed extra teli jactum utraque acies erat, cum priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulere clamorem. Redditur & à Macedonibus major exercitus, impar numero, ſed jugis montium vaſtiſque ſaltibus repercuſſus, quippe ſemper circumjecta nemora petræque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato ſono referunt. Alexander ante prima ſigna ibat; identidem manu ſuos inhibens, ne impenſius ob nimiam feſtinationem concitato ſpiritu capeſſerent bellum. Cumque agmen obequitaret, varia oratione, ut cujuſque animis aptum erat, milites alloquebatur. *Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad ſubigendam Aſiam, atque ultima Orientis, non ipſius magis, quam ſuo ductu profecti, inveteratæ virtutis admonebantur. Illos terrarum orbis liberatores, emenſoſque olim Herculis, & Liberi patris terminos, non Perſis modo, ſed etiam omnibus gentibus impoſituros jugum. Macedonum Bactra, & Indos fore: minima eſſe, quæ nunc intuerentur, ſed omnia victoria parari. Non præruptis petris Illyricorum, & Thraciæ ſaxis ſterilem laborem fore, ſpolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus. Totam aciem ſuo pavore fluctuantem umbonibus poſſe propelli. Victor ad hæc Athenienſium Philippus pater*

pater invocabatur, domitaque nuper Bœotia, & urbis in ea nobiliſſima ad ſolum diruta ſpecies re praſentabatur animis: jam Granicum amnem, jam tot urbes aut expugnatas, aut in fidem acceptas, omniaque qua poſt tergum erant ſtrata, & pedibus ipſorum ſubjecta, memorabat. Cum adierat Gracos, admonebat, ab iis gentibus illata Gracia bella Darii prius, deinde Xerxis inſolentia, aquam ipſam terramque populantium, ut neque fontium hauſtum, nec ſolitos cibos relinquerent. Dein Deûm templa ruinis & ignibus eſſe deleta. Urbes eorum expugnatas, fœdera humani divinique juris violata, referebat. Illyricos vero & Thracas, rapto vivere aſſuetos, aciem hoſtium, auro purpuraque fulgentem, intueri jubebat, pradam non arma geſtantem. Irent & imbellibus fœminis aurum viri eriperent. Aſpera montium ſuorum juga, nudoſque colles, & perpetuo rigentes gelu, ditibus Perſarum campis agriſque mutarent.

11. Iam ad teli jactum pervenerant, cum Perſarum equites ferociter in lævum cornu hoſtium invecti ſunt. Quippe Darius equeſtri prœlio decernere optabat; phalangem Macedonici exercitus robur eſſe conjectans. Iamque etiam dextrum Alexandri cornu circuibatur: quod ubi Macedo conſpexit, duabus alis equitum ad jugum montis juſſis ſubſiſtere; cæteros in medium belli diſcrimen ſtrenue transfert. Subductis deinde ex acie Theſſalis equitibus, Præfectum eorum occulte circuire tergum ſuorum jubet, Parmenionique conjungi, & quod is imperaſſet, impigre exſequi. Iamque ipſi in medium Perſarum undique circumfuſi egregie ſe tuebantur: conferti, & quaſi cohærentes, tela vibrare non poterant. Simul ut erant emiſſa,

in

in eoſdem concurrentia implicabantur,levique & vano ictu pauca in hoſtem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo cominus pugnam coacti conſerere, gladios impigre ſtringunt. Tum vero multum ſanguinis fuſum eſt: duæ quippe acies ita cohærebant, ut armis arma pulſarent, mucrones in ora dirigerent: non timido, non ignavo ceſſare tum licuit: collato pede, quaſi ſinguli inter ſe dimicarent, in eodem veſtigio ſtabant, donec vincendo locum ſibi facerent. Tum demum ergo promovebant gradum,cum hoſtem proſtraverant. At illos novus excipiebat adverſarius fatigatos.nec vulnerati,ut alias ſolent, acie poterant excedere, cum hoſtis inſtaret à fronte,à tergo ſui urgerent. Alexander, non ducis magis, quam militis, munera exſequebatur; opimum decus cæſo Rege expetens. quippe Darius curru ſublimis eminebat, & ſuis ad ſe tuendum,& hoſtibus ad inceſſendum, ingens incitamentum. Ergo frater ejus Oxyatres cum Alexandrum inſtare ei cerneret, equites, quibus præerat,ante ipſum currum Regis objecit,armis & robore corporis multum ſuper cæteros eminens,animo vero & pietate in pauciſſimis; illo utique prœlio clarus,alios improvide inſtantes proſtravit, alios in fugam avertit. At Macedones, ut circa Regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipſo in equitum agmē irrumpunt. Tum vero ſimilis ruinæ ſtrages erat. Circa currum Darii jacebant nobiliſſimi duces, ante oculos Regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, ſicut dimicantes procubuerant,adverſo corpore vulnerib⁹ acceptis. Inter hos Aticies,& Trountes, & Sabaces Prætor Ægypti, magnorum exercituum præfecti, noſci-

noſcitabantur: circa eos cumulata erat pec
tum equitumq; obſcurior turba. Macedonu
quoque, non quidem multi, ſed promptiſſir
tamen, cæſi ſunt. Inter quos Alexandri dext
rum femur leviter mucrone perſtrictum e
Iamque, qui Darium vehebant, equi confo
haſtis, & dolore efferati, jugum quatere, & R
gem curru excutere cœperant: cum ille, verit
ne vivus veniret in hoſtium poteſtatem, deſili
& in equum, qui ad hoc ipſum ſequebatur, im
ponitur: inſignibus quoque Imperii, ne fugar
proderent, indecorè abjectis. Tum vero, cæte
diſſipantur metu. & quæ cuique patebat ad fu
gam via erumpunt, arma jacientes, quæ paull
ante ad tutelam corporum ſumpſerant: ade
pavor etiam auxilia formidabat. Inſtabat fu
gientibus eques à Parmenione miſſus, & fort
in id cornu omnes fuga abſtulerat. At in dextr
Perſæ Theſſalos equites vehementer urgebant
Iamque una ala ipſo impetu proculcata erat
cum Theſſali ſtrenue circumactis equis dilapſi
rurſus in prœlium redeunt, ſparſoſque & in-
compoſitos victoriæ fiducia Barbaros ingent
cæde proſternunt. Equi pariter equiteſque Per-
ſarum, ſerie laminarum graves, agmen, quod
celeritate maxime conſtat, ægre moliebantur:
quippe in circumagendis equis ſuis Theſſali
multos occupaverant. Hac tam proſpera pu-
gna nuntiata, Alexander non ante auſus perſe-
qui Barbaros, utrinque jam victor inſtare fu-
gientibus cœpit. Haud amplius Regem quam
mille equites ſequebantur: cum ingens multi-
tudo hoſtium caderet. Sed quis aut in victoria
aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo à
tam paucis pecorum modo, & idem metus,
qui

qui cogebat fugere, fugientes morabatur. At Græci, qui in Darii partibus ſteterant Amynta duce (Prætor hic Alexandri fuit, nunc transfuga) abrupti à cæteris, haud ſane fugientibus ſimiles evaſerant. Barbari longe diverſam fugam intenderunt, alii qua rectum iter in Perſidem ducebat: quidam circuitus, rupes, ſaltuſq; montium occultos petivere, pauci caſtra Darii. Sed jam illa quoque hoſtis victor intraverat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri argentique pondus, non belli, ſed luxuriæ apparatum diripuerant milites. Cumq; plus raperent, paſſim ſtrata erant itinera vilioribus ſarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempſerat. Iamque ad fœminas perventum erat. quibus, quò chariora ornamenta ſunt, violentius detrahebantur: nec corporibus quidem vis, ac libido parcebat. Omnia planctu, tumultuque, prout cuique fortuna erat, caſtra repleverant: nec ulla facies mali deerat, cum per omnes ordines ætateſque victoris crudelitas ac licentia vagaretur. Tunc vero impotentis fortunæ ſpecies conſpici potuit, cum ii, qui tum Dario tabernaculum exornaverant, omni luxu & opulentia inſtructum, eadem illa Alexandro, quaſi veteri domino, reſervabant. Namque id ſolum intactum omiſerant milites; ita tradito more, ut victorem victi Regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos animoſque in ſemet converterant, captiva mater, conjunxque Darii. Illa non majeſtate ſolum, ſed etiam ætate venerabilis: hæc formæ pulchritudine. nec illa quidem ſorte corrupta, acceperat in ſinum filium, nondum ſextum ætatis annum egreſſum, in ſpem tantæ fortunæ, quantam paullo ante

pater

pater ejus amiſerat, genitum. At in gremio an
aviæ jacebant adultæ virgines duæ, non ſu
tantum, ſed illius mœrore etiam confectæ. Ii
gens circa eam nobilium fœminarum turt
conſtiterat, laceratis crinibus, abſciſſaque veſt
priſtini decoris immemores. Reginas, domina
que, veris quondam, tunc alienis nominibu
vocantes. Illæ ſuæ calamitatis oblitæ, utro co
nu Darius ſtetiſſet, quæ fortuna diſcrimin
fuiſſet, requirebant. Negabant ſe captas, ſi vive
ret Rex. Sed illum, equos ſubinde mutantem
longius fuga abſtulerat. In acie autem cæſa ſun
Perſarum peditum centum millia: decem ver
millia interfecta equitum. At ex parte Alexan
dri quatuor & quingenti ſaucii fuere, trigint
omnino & duo ex peditibus deſiderati ſunt
equitum centum quinquaginta interfecti. Tan
tulo impendio ingens victoria ſtetit.

12. Rex, qui diu Darium perſequendo fati
gatus erat, poſteaquam & nox appetebat, &
eum aſſequendi ſpes non erat, in caſtra paull
ante à ſuis capta pervenit. Invitari deinde amicos, quibus maxime aſſueverat, juſſit: quippe
ſumma duntaxat cutis in femore perſtricta
non prohibebat intereſſe convivio. Tum repente è proximo tabernaculo lugubris clamor
barbaro ululatu, planctuq; permixtus, epulantes conterruit. Cohors quoque, quæ excubabat
ad tabernaculum Regis, verita ne majoris motus principium eſſet, armare ſe cœperat. Cauſa
pavoris ſubiti fuit, quod mater uxorque Darii,
cū captivis mulieribus nobilibus Regem, quem
interfectum eſſe credebant, ingenti gemitu ejulatuque deflebant. Vnus namque è captivis ſpadonibus, qui forte ante ipſarum tabernaculum
ſteterat,

ſteterat, amiculum, quod Darius (ſicut paullo ante dictum eſt) ne cultu proderetur, abjecerat, in manibus ejus, qui repertum ferebat, agnovit: ratuſque interfecto detractum eſſe, falſum nuntium mortis ejus attulerat. Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunæ Darii, & pietati earum illachrimaſſe fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardeis prodiderat, peritum Perſicæ linguæ, ire ad conſolandas eas juſſerat. Veritus deinde, ne proditor, captivarum iram doloremque gravaret, Leonatum ex purpuratis ſuis miſit, juſſum indicare, falſo lamentari eas Darium vivum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captivæ erant, pervenit, miſſumque à Rege ſe nuntiare jubet. At ij, qui in veſtibulo erant, ut armatos conſpexere, rati actum eſſe de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes, adeſſe ſupremam horam, miſſoſque qui occiderent captas. Itaque, ut quæ nec prohibere poſſent, nec admittere auderent, nullo reſponſo dato, tacite opperiebantur victoris arbitrium. Leonatus, exſpectato diu qui ſe intromitteret, poſteaquam nemo producere audebat, relictis in veſtibulo ſatellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipſa res turbaverat fœminas, quod irrupiſſe non admiſſus videbatur. Itaque mater & conjunx provolutæ ad pedes orare cœperunt, ut prius quam interficerentur, Darii corpus ipſis patrio more ſepelire permitteret: functas ſupremo in Regem officio ſe impigre morituras. Leonatus, & vivere Darium, & ipſas non incolumes modo, ſed etiam apparatu priſtinæ fortunæ Reginas fore. Tum mater Darii allevari ſe paſſa eſt. Alexander poſtera die, cum curam ſepeliendis militibus

tibus impenderet, quorum corpora invenerat Perſarum quoque nobiliſſimis eundem hono rem haberi jubet; matriq; Darii permittit, quo vellet, patrio more ſepeliret. Illa paucos arct. propinquitate conjunctos pro habitu pręſenti fortunæ humari juſſit; apparatum funerum quo Perſæ ſuprema officia celebrarent, invidio ſum fore exiſtimans, cum victores haud pre tioſe cremarentur. Iamque juſtis defunctorun corporibus ſolutis, præmittit ad captivas, qu nuntiarent ipſum venire; inhibitaque comitan tium turba, tabernaculum cum Hephæſtion intrat. Is longe omnium amicorum chariſſi. mus erat Regi: cum ipſo pariter educatus, ſe. cretorum omnium arbiter. libertatis quoqu in admonendo eo non alius jus habebat, quoc tamen ita uſurpabat, ut magis à Rege permiſ ſum, quam vindicatum ab eo videretur. & ſic. ut ætate par erat Regi, ita corporis habitu præ. ſtabat. Ergo Reginæ illum Regem eſſe ratæ, ſuo more veneratæ ſunt. Inde ex ſpadonibus captivis, quis Alexander eſſet, monſtrantibus, Syſi. gambis advoluta eſt pedibus ejus; ignoratio. ne nunquam antea viſi Regis excuſans. Quam manu allevans Rex, Non erraſti, inquit, mater: nam & hic Alexander eſt. Equidem, ſi hac continentia animi ad ultimum vitæ perſeverare potuiſſet, feliciorem fuiſſe crederem, quam viſus eſt eſſe, cum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Helleſponto uſque ad Oceanum omnes gentes victoria emenſus: ſi viciſſet profecto ſuperbiam atque iram; mala invicta: ſi abſtinuiſſet inter epulas cædibus amicorum; egregioſque bello viros, & tot gentium ſecum domitores indicta cauſa veritus eſſet occidere.

Sed

Sed nondum fortuna ſe animo ejus infuderat. Itaque orientem eam, moderate & prudenter tulit. ad ultimum magnitudinem ejus non cepit. Tum quidem ita ſe geſſit, ut omnes ante eum Reges, & continentia & clementia vincerentur: virgines, & Reginas excellentis formæ, tam ſancte habuit, quam ſi eodem, quo ipſe, parente genitæ forent. Conjugem ejuſdem, quam nulla ætatis ſuæ pulchritudine corporis vicit, adeo ipſe non violavit, ut ſummam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet. Omnem cultum reddi fœminis juſſit, nec quidquam ex priſtinæ fortunæ magnificentia captivis, præter fiduciam, defuit. Itaque Siſygambis, *Rex*, inquit, *mereris, ut ea precemur tibi, quæ Dario noſtro quondam precatæ ſumus: & (ut video) dignus es, qui tantum Regem non felicitate ſolum, ſed etiam æquitate ſuperaveris. Tu quidem matrem me & Reginam vocas, ſed ego me tuam famulam eſſe confiteor. Et præteritæ fortunæ faſtigium capio, & præſentis jugum pati poſſum. Tua intereſt; quantum in nos licuerit, ſi id potius clementia quam ſævitia, vis eſſe teſtatum.* Rex bonum animum habere eas juſſit: Darii deinde filium collo ſuo admovit. Atque nil ille conſpectu tunc primum à ſe viſi conterritus, cervicem ejus manibus amplectitur. Motus ergo Rex conſtantia pueri, Hephæſtionem intuens, *Quam vellem*, inquit, *Darius aliquid ex hac indole hauſiſſet.* Tum tabernaculo egreſſus, tribus aris in ripa Pyrami amnis, Iovi, atque Herculi, Minervæque ſacratis, Syriam petit, Damaſcum, ubi Regis gaza erat, Parmenione præmiſſo.

13. Atque is, cùm præceſſiſſe Darii ſatapram comperiſſet, veritus, ne paucitas ſuorum ſper-

neretur,accerſere majorem manum ſtatuit.Sed forte in exploratores ab eo præmiſſos incidit, nomine Mardus, qui ad Parmenionem perductus, litteras ad Alexandrum, à Præfecto Damaſci miſſas, tradit ei: nec dubitare eum, quin omnem regiam ſupellectilem cum pecunia traderet,adiecit.Parmenio,aſſervari eo juſſo,litteras aperit: in queis erat ſcriptum, ut mature Alexander aliquem ex ducibus ſuis mitteret cum manu exigua. Itaque re cognita, Mardum datis comitibus ad proditorem remittit. Ille è manibus cuſtodientium lapſus, Damaſcum ante lucem intrat.Turbaverat ea res Parmenionis animum inſidias timentis, & ignotum iter ſine duce non audebat ingredi. Felicitati tamen Regis ſui confiſus, agreſtes, qui duces itineris eſſent, excipi juſſit: quibus celeriter repertis, quarto die ad urbem pervenit, jam metuente Præfecto, ne ſibi fides habita non eſſet. Igitur, quaſi parum munimentis oppidi fidens, ante ſolis ortum pecuniam regiam, quam gazam Perſæ vocant, cum precioſiſſimis rerum efferri jubet, fugam ſimulans,revera ut prædam hoſti offerret. Multa millia virorum fœminarumque excedentem oppido ſequebantur; omnibus miſerabilis turba,præter eum,cujus fidei commiſſa fuerat: quippe quo major proditoris merces foret, obiicere hoſti parabat gratiorem omni pecunia prædam, nobiles viros, prætorum Darii conjuges,liberoſque;præter hos urbium Græcarum legatos, quos Darius,velut in arce tutiſſima,in proditoris reliquerat manibus. Gangabas Perſæ vocant humeris onera portantes: hi cum frigus tolerare non poſſent,quippe & procella ſubito nivem effuderat, & humus rigebat gelu,

gelu, tum aſtrictas veſtes, quas cum pecunia portabant, auro, & purpura inſignes induunt, nullo prohibere auſo, cum fortuna Regis, etiam humillimis, in ipſum licentiam faceret. Præbuere ergo Parmenioni non ſpernendi agminis ſpeciem, qui intentiore cura ſuos quaſi ad juſtum prœlium paucis adhortatus, equis calcaria ſubdere jubet, & acri impetu in hoſtem invehi. At illi, qui ſub oneribus erant, omiſſis illis, per metum capeſſunt fugam. Armati quoque, qui eos ſequebantur, eodem metu arma jactare, ac nota diverticula petere cœperunt. Præfectus quaſi & ipſe conterritus, ſimulans, cuncta pavore compleverat. Iacebant totis campis opes regiæ. Illa pecunia ſtipendio ingenti militum præparata: ille cultus tot nobilium virorum, tot illuſtrium fœminarum, aurea vaſa, aurei fræni, tabernacula regali magnificentia ornata, vehicula quoque à ſuis deſtituta ingentis opulentiæ plena. facies etiam prædantibus triſtis, ſi qua res avaritiam moraretur: quippe tot annorum incredibili, & fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia ſtirpibus dilacerata: alia in cœnum demerſa eruebantur. Non ſufficiebant prædantium manus prædæ. Iamque etiam ad eos, qui primi fugerant, ventum erat. Fœminæ pleræque parvos trahentes liberos ibant, inter quas tres fuere virgines, Ochi, qui ante Darium regnaverat, filiæ, olim quidem ex faſtigio paterno rerum mutatione detractę, ſed tum ſortem earum crudelius aggravante fortuna. In eodem grege uxor quoque ejuſdem Ochi fuit, Oxathriſque (frater hic erat Darii) filia, & conjunx Artabazi principis purpuratorum: & filius, cui Ilioneo fuit nomen. Pharnabazi quo-

que, cui ſummum imperium maritimæ oræ Rex dederat, uxor cum filio excepta eſt; Mentoris filiæ tres, ac nobiliſſimi ducis Memnonis conjunx, & filius: vixque ulla domus purpurati fuit tantæ cladis expers. Lacedæmonii quoque, & Athenienſes ſocietatis fide violata, Perſas ſecuti, Ariſtogiton, Dropides, & Eleutherius, inter Athenienſes, genere famaque longe clariſſimi: Lacedæmonii, Periſippus, & Onomaſtorides, cum Omajo & Callicratide, ii quoque domi nobiles. Summa pecuniæ ſignatæ fuit, talentorum duo millia & ſexaginta. facti argenti pondus quingenta æquabat. Præterea xxx. millia hominum, cum ſeptem millibus jumentorum, dorſo onera portantium, capta ſunt. Cæterum, Dii, tantæ fortunæ proditorem, ſepulturæ celeriter debita pœna perſecuti ſunt. Namque unus è conſciis ejus, credo, Regis vicem etiam in illa ſorte reveritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum ſolatium prodito: quippe & ultus inimicum erat, & nondum in omnium animis memoriam majeſtatis ſuæ exoleviſſe cernebat.

LIBER IV.

BREVIARIUM LIBRI.

1. *Alexander, literis à Dario ſuperbe ſcriptis regiè reſpondet. Abdolonymum Sidoniis regem præficit. Amyntas transfuga, miro modo à Perſis ipſis occiditur. Variæ variis locis præfectorum Darii clades.*

2. *Tyrii, Alexandrum recipere recuſantes, obſidentur.*

3. *Du-*

3. *Dubiis belli eventibus Tyri obſidio nobilitatur.*

4. *Tandem Tyrus, vi capta, maximaque hominum ſtrage corrupta, luctuoſo deformatur incendio.*

5. *Darii iterata de pace ad Alexandrum ſubmiſſior legatio. qua repudiata, Græci Alexandrum corona aurea donant: ille autem, per præfectos, multas in poteſtatem ſuam redigit provincias.*

6. *Ad bellum dum ſe accingit Darius, Alexander Gazam expugnat: ejuſque præfectum Batim crudeli afficit ſupplicio.*

7. *Profectio, & varia Alexandri quæſita, ad Iovis Hammonis oraculum.*

8. *In Ægypto Alexandria condita; variæque Alexandri bellicæ expeditiones.*

9. *Darius ad Arbellas pervenit, eoque invito Alexander Granicum ſuperat.*

10. *Milites, ob Lunæ defectum turbatos, per Ægyptios vates confirmat Alexander: Perſas vaſtatores coniicit in fugam. Darii uxor captiva, mœrore confecta, ſupremum diem claudit, unde Alexandri lachrymæ. Darii ſuſpiciones, luctus & vota.*

11. *Pacem tertio quæſitam Darius non impetrat. imo ad deditionem, aut ad bellum, ab Alexandro provocatur.*

12. *Ad prœlium dum Perſarum ingens exercitus paratur, Macedones Panico quodam defuncti terrore, arma alacriter capeſſunt.*

13. *Conſilia de nocturno prœlio Parmenionis & Polypercontis Alexander damnat: ſomnoq́ʒ refectus, interrito vultu ſuos ad pugnam accendit.*

14. *Alexandri ad Græcorum, Dariique ad Perſarum exercitus, ante pugnam orationes.*

15. *Cruenti ad Arbellas prœlii deſcriptio. Victor Alexander, Darium victum perſequitur.*

16. *Parmenio in diſcrimine conſtitutus, Alexan-*

drum retrahit. Tandem integra victoria potiti Macedones, reliquos Perſas, multis ſuorum millibus deſideratis, fuga ſibi quarere ſalutem cogunt.

DARIUS tanti modo exercitus Rex, qui triumphãtis magis, quam dimicantis more curru ſublimis inierat prœlium, per loca, quæ prope immenſis agminibus compleverat, jam inania, & ingenti ſolitudine vaſta fugiebat. Pauci Regem ſequebantur. nam nec eodem omnes fugam intenderant, & deficientibus equis, curſum eorum, quos Rex ſubinde mutabat, æquare non poterant. Vnchas deinde pervenit, ubi excepere eum Græcorum quatuor millia, cum quibus ad Euphratem contendit, id demum credens fore ipſius, quod celeritate præripere potuiſſet. At Alexander Parmenionem, per quem apud Damaſcum recepta erat præda, juſſum eam ipſam, & captivos diligenti aſſervare cuſtodia, Syriæ, quam Cœlen vocant, præfecit. Novum imperium Syri, nondum belli cladibus ſatis domiti, aſpernabantur: ſed celeriter ſubacti, obedienter imperata fecerunt. Nardus quoq; inſula deditur Regi. Maritimam tamen oram, & pleraque longius etiam à mari recedentia, Rex ejus inſulæ Strato poſſidebat: quo in fidem accepto, caſtra movit ad urbem Marathon. Ibi illi litteræ à Dario redduntur: quibus ut ſuperbe ſcriptis vehementer offenſus eſt. Præcipue eum movit, quod Darius ſibi Regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adſcripſerat. Poſtulabat autem magis, quam petebat, ut accepta pecunia quantamcunque tota Macedonia caperet, matrem ſibi, ac conjugem,

liberoſque

liberoſque reſtitueret. De regno, æquo, ſi vellet, Marte contenderet. Si ſaniora conſilia tandem pati potuiſſet, contentus patrio, cederet alieni imperii finibus: ſocius amicuſque eſſet. in ea ſe fidem & dare paratum, & accipere. Contra Alexander in hunc maxime modum reſcripſit: REX ALEXANDER DARIO. *Ille, cujus nomen ſumpſiſti, Darius, Græcos, qui oram Helleſponti tenent, coloniaſque Græcorum Ionias, omni clade vaſtavit, cum magno deinde exercitu mare trajecit, illato Macedoniæ, & Græciæ bello. Rurſus Rex Xerxes gentis ejuſdem, ad oppugnandos nos cum immanium Barbarorum copiis venit: qui, navali prælio victus, Mardonium tamen reliquit in Græcia, ut abſens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero parentem meum quis ignorat ab his interfectum eſſe, quos ingentis pecuniæ ſpe ſollicitaverant veſtri? Impia enim bella ſuſcipitis, & cum habeatis arma, licitamini hoſtium capita, ſicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus Rex, percuſſorem in me emere voluiſti. Repello igitur bellum, non infero. Et Diis quoque pro meliore ſtantibus cauſa, magnam partem Aſiæ in ditionem redegi meam, te ipſum acie vici. quem etſi nihil à me impetrare oportebat, quod petieras; utpote qui ne belli quidem in me jura ſervaveris; tamen ſi veneris ſupplex, & matrem, & conjugem, & liberos, ſine pretio recepturum te eſſe promitto. Et vincere, & conſulere victis ſcio. Quod ſi te nobis committere times, dabimus fidem impune venturum. De cætero, cum mihi ſcribes, memento non ſolum Regi te, ſed etiam tuo, ſcribere.* Ad hanc perferendam Therſippus miſſus, ipſe in Phœnicen deinde deſcendit, & oppidum Biblon traditum recepit. Inde ad Sidona ventum eſt, urbem vetuſtate famaque condito-

rum inclytam. Regnabat in ea Strato, Dari opibus adjutus: ſed quia deditionem magis popularium, quam ſua ſponte fecerat, regno viſus indignus: Hephæſtionique permiſſum, ut quem eo faſtigio Sidones digniſſimum arbitrarentur, conſtitueret Regem. Erant Hephæſtioni hoſpites, clari inter ſuos juvenes, qui facta ipſis poteſtate regnandi, negaverunt quemquam patrio more in id faſtigium recipi, niſi regia ſtirpe ortum. Admiratus Hephæſtio magnitudinem animi ſpernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent, *Vos quidem macti virtute*, inquit, *eſtote, qui primi intellexiſtis quanto majus eſſet regnum faſtidire, quam accipere. Cæterum date aliquem regiæ ſtirpis, qui meminerit, à vobis acceptum habere ſe regnum.* At illi cum multos imminere tantæ ſpei cernerent, ſingulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, ſtatuunt, neminem eſſe potiorem, quam Abdolonymum quendam, longa quidem cognatione ſtirpi regiæ annexum: ſed ob inopiam ſuburbanum hortum exigua colentem ſtipe. Cauſa ei paupertatis, ſicut pleriſque, probitas erat: intentuſque operi diurno, ſtrepitum armorum, qui totam Aſiam concuſſerat, non exaudiebat. Subito deinde, de quibus ante dictum eſt, cum regiæ veſtis inſignibus hortum intrant: quem forte, ſteriles herbas eligens, Abdolonymus repurgabat. Tunc rege eo ſalutato, alter ex his, *Habitus*, inquit, *hic, quem cernis in meis manibus, cum iſto ſqualore permutandus tibi eſt. Ablue corpus illuvie, æterniſque ſordibus ſqualidum. Cape Regis animum, & in eam fortunam, qua dignus es, iſtam continentiam profer. Et cum in regali ſolio reſidebis, vitæ neciſque omnium civium dominus,*

cave

cave obliviſcaris hujus ſtatus, in quo accipis regnũ: imo hercule, propter quem. Somnio ſimilis res Abdolonymo videbatur. Interdum ſatiſne ſani eſſent qui tam proterve ſibi illuderent, percunctabatur. Sed ut cunctanti ſqualor ablutus eſt, & injecta veſtis purpura, auroque diſtincta, & fides à jurantibus facta ſerio: jam Rex iiſdem comitibus in regiam pervenit. Fama, ut ſolet, ſtrenue totas urbes diſcurrit: aliorum ſtudium, aliorum indignatio eminebat. Ditiſſimus quiſq; humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum Rex protinus juſſit, diuque contemplatus, *Corporis*, inquit, *habitus, fama generis non repugnat: ſed libet ſcire, inopiam qua patientia tuleris. Tum ille, Utinam*, inquit, *eodem animo regnum pati poſſim. Hæ manus ſuffecere deſiderio meo: nihil habenti, nihil defuit.* Magnæ indolis ſpecimen ex hoc ſermone Abdolonymi cepit. Itaque non Stratonis modo regiam ſupellectilem attribui ei juſſit, ſed pleraque etiam ex Perſica præda: regionem quoque urbi appoſitam, ditioni ejus adjecit. Interea Amyntas, quem ad Perſas ab Alexandro transfugiſſe diximus, cum quatuor millibus Græcorum, ipſum ex acie perſecutis, fuga Tripolim pervenit. Inde in naves militibus impoſitis, Cyprum tranſmiſit: & cum in illo ſtatu rerum idquemque, quod occupaſſet, habiturum arbitraretur, velut certo jure poſſeſſum, Ægyptum petere decrevit. Vtrique Regi hoſtis, & ſemper ex ancipiti mutatione temporum pendens, hortatuſque milites ad ſpem tantæ rei, docet Sabacem Prætorem Ægypti cecidiſſe in acie: Perſarum præſidium, & ſine duce eſſe, & invalidum; Ægyptios ſemper Prætoribus eorum

rum infenſos, pro ſociis ipſos non pro hoſtibus æſtimaturos. Omnia experiri neceſſitas cogebat: quippe cum primas ſpes fortuna deſtituit, futura præſentibus videntur eſſe potiora. Igitur conclamant, duceret, quo videretur. Atque ille utendum animis, dum ſpe calerent ratus, ad Peluſii oſtium penetrat, ſimulans à Dario ſe eſſe præmiſſum. Potitus ergo Peluſii, Memphin copias promovit, ad cujus famam Ægyptii, vana gens, & novandis quam gerendis aptior rebus, ex ſuis quiſque vicis urbibuſque ad hoc ipſum concurrunt, ad delenda præſidia Perſarum: qui territi, tamen ſpem obtinendi Ægyptum non amiſerunt. Sed eos Amyntas prœlio ſuperatos in urbem compellit, caſtriſque poſitis victores ad populandos agros eduxit, ac velut in medio poſitis omnibus, hoſtium cuncta agebantur. Itaque Mazeces, quanquam infelici prœlio ſuorum animos territos eſſe cognoverat: tamen palantes, & victoriæ fiducia incautos oſtentans, perpulit, ne dubitarent ex urbe erumpere, & res amiſſas recuperare. Id conſilium non ratione prudentius, quam eventu felicius fuit. Ad unum omnes cum ipſo duce occiſi ſunt. Has pœnas Amyntas utrique Regi dedit, nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus, quam illi, quem deſeruerat. Darii prætores, qui prœlio apud Iſſon ſuperfuerunt, cum omni manu, quæ fugientes ſecuta erat, aſſumpta etiam Cappadocum & Paphlagonum juventute, Lydiam recuperare tentabant. Antigonus Prętor Alexandri Lydiæ præerat: qui, quanquam pleroſque militum ex præſidiis ad Regem dimiſerat, tamen Barbaris ſpretis in aciem ſuos eduxit. Eadem illinc quoque fortuna partium fuit: tribus

prœ-

prœliis alia atque alia regione commiſſis, Perſæ funduntur. Eodem tempore claſſis Macedonum, ex Græcia accita, Ariſtomenem, qui ad Helleſponti oram recuperandam à Dario erat miſſus, captis ejus aut demerſis navibus ſuperat. A Mileſiis deinde Pharnabazus Præfectus Perſicæ claſſis pecunia exacta, & præſidio in urbem Chium introducto, centum navibus Andrum, & inde Syphnum petiit: is quoque inſulas præſidiis occupat, pecunia mulctat. Magnitudo belli, quod ab opulentiſſimis Europæ Aſiæque Regibus in ſpem totius orbis occupandi gerebatur, Græciæ quoque & Cretæ arma commoverat. Agis Lacedæmoniorum Rex octo millibus Græcorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniæ præfecto moliebatur. Cretenſes, has aut illas partes ſecuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præſidiis occupabantur. Sed leviora inter illos fuere diſcrimina: unum certamen, ex quo cætera pendebant, intuente fortuna.

2. Iam tota Syria, jam Phœnice quoque excepta Tyro, Macedonum erant: habebatque Rex caſtra in continenti, à quo urbem anguſtum fretum dirimit. Tyrus & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phœniceſq; memorabilis, facilius ſocietatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Coronam igitur auream legati domum afferebant, commeatuſque large & hoſpitaliter ex oppido adduxerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi juſſit, benigneque legatos allocutus, Herculi (quem præcipue Tyrii colerent) ſacrificare velle ſe dixit. Macedonum Reges credere, ab illo Deo ipſos

ſos genus ducere: ſe vero, ut id faceret, etian oraculo monitum. Legati reſpondent, eſſe tem plum Herculis extra urbem, in ea ſede quan Palætyron ipſi vocant. Ibi Regem Deo ſacrun rite facturum. Non tenuit iram Alexander, cu jus alioquin potens non erat. Itaq;, *Vos quidem* inquit, *fiducia loci, quod inſulam incolitis, pede ſtrem hunc exercitum ſpernitis: ſed brevi oſtendam in continenti vos eſſe. Proinde ſciatis licet, aut intra turum me urbem, aut oppugnaturum.* Cum hoc reſponſo dimiſſos monere amici cœperunt, u Regem, quem Syria, quem Phœnice recepiſſet ipſi quoque urbem intrare paterentur. At illi loco ſatis ſiſi, obſidionem ferre decreverunt namq; urbem à continenti quatuor ſtadiorun fretum dividit, Africo maxime objectum, cre bros ex alto fluctus in litus evolvens: nec acci piendo operi, quo Macedones continenti inſu lam jungere parabant, quidquam magis, quam ille ventus, obſtabat. Quippe, vix leni & tran quillo mari, moles agi poſſunt. Africus vero prima quæque congeſta pulſu illiſa mari ſub ruit: nec ulla tam firma moles eſt, quam non exedant undæ per nexus operum manantes, & ubi acrior flatus exſtitit, ſummi operis faſtigio ſuperfuſæ. Præter hanc difficultatem, haud mi nor alia erat: muros turreſque urbis præaltum mare ambiebat. Non tormenta, niſi è navibus procul excuſſa, emitti; non ſcalæ mœnibus ap plicari poterant. Præceps in ſalum murus pede ſtre interceperat iter, naves nec habebat Rex, & ſi admoviſſet, pendentes & inſtabiles miſſilibus arceri poterant. Inter quæ, haud parva dictu res, Tyriorum fiduciam accendit. Carthagi nenſium legati, ad celebrandum anniverſarium

ſacrum

ſacrum more patrio tunc venerant : quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, ſemper parentum loco culti. Hortari ergo Pœni cœperunt, ut obſidionem forti animo paterentur, brevi Carthagine auxilia ventura : namque ea tempeſtate magna ex parte Punicis claſſibus maria obſidebantur. Igitur bello decreto, per muros turreſque tormenta diſponunt, arma junioribus dividunt, opificeſque, quorum copia urbs abundabat, in officinas diſtribuunt. Omnia belli apparatu ſtrepunt: ferreæ quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hoſtium iniicerent, corvique, & alia tuendis urbibus excogitata, præparabantur. Sed cum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impoſitum eſſet, admotiſque follibus ignem flatu accenderent, ſanguinis rivi ſub ipſis flammis exſtitiſſe dicuntur. idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quoque, cum forte panem quidam militum frangeret, manantis ſanguinis guttas notaverunt. Territoque Rege, Ariſtander peritiſſimus vatum reſpondit, ſi extrinſecus cruor fluxiſſet, Macedonibus id triſte futurum. Contra, cum ab interiore parte manaverit, urbi, quam obſidere deſtinaſſent, exitium portendere. Alexander cum & claſſem procul haberet, & longam obſidionem magno ſibi ad cætera impedimento videret fore, caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, miſit : quos Tyrii contra jus gentium occiſos præcipitaverunt in altum. Atq; ille ſuorum tam indigna nece commotus, urbem obſidere ſtatuit. Sed ante jacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret. Ingens ergo animos militum deſperatio inceſſit, cernen-

cernentium profundum mare, quod vix divi[i] ope poſſet impleri: quæ ſaxa tam vaſta, qu[æ] tam proceras arbores poſſe reperiri? exha[u]riendas eſſe regiones, ut illud ſpatium agger[e]retur, & exæſtuare ſemper fretum, quoque a[r]ctius volutetur inter inſulam & continente[m] hoc acrius furere. At ille haudquaquam ruc[lis] tractandi militares animos, *ſpeciem ſibi Hercu[lis] in ſomno oblatam eſſe pronuntiat, dexteram porr[i]gentis: illo duce, illo aperiente, in urbem intrare viſum. Inter hæc caduceatores interfectos, gentiu[m] jura violata referebat. Vnam eſſe urbem, quæ cu[r]ſum victoris morari auſa eſſet.* Ducibus deinc[eps] negotium datur, ut ſuos quiſquè caſtiget: ſ[a]tiſque omnibus ſtimulatis, opus orſus eſt. Ma[]gna vis ſaxorum ad manum erat, Tyro vete[ri] præbente. materies ex Libano monte ratib[us] & turribus faciendis vehebatur. Iamque à fun[]do maris in altitudinem montis opus excreve[]rat, nondum tamen aquæ faſtigium æquabat & quo longius moles agebatur à littore, ho[c] magis quicquid ingerebatur, præaltum abſor[]bebat mare: cum Tyrii, parvis navigiis admo[]tis, per ludibrium exprobrabant, illos, armis in[]clytos, dorſo, ſicut jumenta, onera geſtare. In[]terrogabant etiam, num major Neptuno eſſe Alexander. Hæc ipſa inſectatio alacritatem mi[]litum accendit. Iamq; paululum moles aquam eminebat, & ſimul aggeris latitudo creſcebat urbique admovebatur: cum Tyrii, magnitudi[]ne molis, cujus incrementum eos ante fefelle[]rat, conſpecta, levibus navigiis nondum com[]miſſum opus circuire cœperunt: miſſilibus eo[s] quoque, qui pro opere ſtabant, inceſſere. Multi[s] ergo impune vulneratis, cum & removere, &

appel-

appellere ſcaphas in expedito non eſſet, ad curam ſemetipſos tuendi ab opere converterant. Igitur ex jumentis coria velaque juſſit obtendi, ut extra teli jactum eſſent, duaſque turres ex capite molis erexit, è quibus in ſubeuntes ſcaphas tela ingeri poſſent. Contra, Tyrii navigia procul à conſpectu hoſtium littori appellunt, expoſitiſque militibus, eos, qui ſaxa geſtabant, obtruncant. In Libano quoque Arabum agreſtes, incompoſitos Macedonas aggreſſi, triginta fere interficiunt, paucioribus captis.

3. Ea res Alexandrum dividere copias coëgit. Et ne ſegniter aſſidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Craterumque præfecit: ipſe cum expedita manu Arabiam petiit. Inter hæc Tyrii navem magnitudine eximia, ſaxis arenaque à puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac ſulphure illitam remis concitaverunt: & cum magnam vim venti vela quoque concepiſſent, celeriter ad molem ſucceſſit. Tunc prora ejus accenſa, remiges deſilire in ſcaphas, quæ ad hoc ipſum præparatæ ſequebantur. Navis autem, igne concepto, latius fundere incendium cœpit, quod, priuſquam poſſet occurri, turres, & cætera opera in capite molis poſita comprehendit. At qui deſilierant in parva navigia, faces, & quidquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Iamque non modo Macedonum turres, ſed etiam ſumma tabulata, conceperant ignem. cum ii, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omiſſis in mare ſemetipſi immitterent. At Tyrii, qui capere eos, quam interficere mallent, natantium manus ſtipitibus ſaxiſque lacerabant, donec debilitati impune navi-

giis

giis excipi poſſent : nec incendio ſolum oper
conſumpta, ſed forte eodem die vehementio
ventus motum ex profundo mare illiſit i
molem, crebriſque fluctibus compages oper
verberatæ ſe laxavere, ſaxaque interfluens un
da, medium opus rupit. Prorutis igitur lap
dum cumulis, quibus injecta terra ſuſtinebatu
præceps in profundum ruit, tantæque molis vi
ulla veſtigia invenit ab Arabia rediens Alexan
der. Hic (quod in adverſis reb⁹ ſolet fieri) alius i
alium culpam referebat, cùm omnes verius d
ſævitia maris queri poſſent. Rex novi operi
molem orſus, in adverſum ventum, non latere
ſed recta fronte, direxit, quod cætera opera ve
lut ſub ipſo latentia tuebatur. Latitudinen
quoque aggeri adjecit, ut turres in medio ere
ctæ, procul teli jactu abeſſent. Totas autem ar
bores cum ingentibus ramis in altum jacie
bant. deinde ſaxis onerabant. Rurſus cumul
eorum alias arbores iniiciebant. Tum humu
aggerebatur. ſuper quæ alia ſtrue ſaxorum ar
borumque cumulata, velut quodam nexu con-
tinens opus junxerant. Nec Tyrii, quidquid a
impediendam molem excogitari poterat, ſe
gniter exſequebantur. Præcipuum auxiliun
erat, qui procul hoſtium conſpectu ſubiban
aquam, occultoque lapſu ad molem uſque pe-
netrabant, falcibus palmites arborum eminen-
tium ad ſe trahentes : quæ ubi ſecutæ erant
pleraque ſecum in profundum dabant : tum le-
vatos onere ſtipites truncoſque arborum hau
ægre moliebantur. Deinde totum opus, quo
ſtipitibus fuerat innixum, fundamento lapſo
ſequebatur. Ægro animi Alexandro, & utrum
perſeveraret an abiret, ſatis incerto, claſſis Cy-
pro

pro advenit. Eodemque tempore Cleander, cum Grçcis militibus in Aſiam nuper advectus, centum & octoginta navium claſſem in duo dividit cornua. Lævum Pythagoras, Rex Cypriorum, cum Cratero tuebatur: Alexandrum in dextero quinqueremis regia vehebat. Nec Tyrii, quanquam claſſem habebant, auſi navale inire certamen, triremes omnes ante ipſa mœnia oppoſuerunt, quibus Rex invectus, ipſas demerſit. Poſtera die, claſſe ad mœnia admota, undique tormentis, & maxime arietum pulſu, muros quatit: quos Tyrii raptim obſtructis ſaxis refecerunt. Interiorem quoq; murum, ut ſi prior fefelliſſet, illo ſe tuerentur, undiq; orſi. Sed undiq; vis mali urgebat: moles intra teli jactum erat: claſſis mœnia circuibat: terreſtri ſimul navalique clade obruebantur. quippe binas quadriremes Macedones inter ſe ita junxerant, ut proræ cohærerent; puppes intervallo, quantum capere poterant, diſtarent. Hoc puppium intervallum, antennis aſſeribuſque validis deligatis, ſuperque eos pontibus ſtratis, qui militem ſuſtinerent, impleverant. ſic inſtructas quadriremes ad urbem agebant: inde miſſilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, cum claſſem, ſicuti dictum eſt, paratam circuire urbem jubet: jamque naves urbi undique admovebantur, & Tyrii deſperatione torpebant, cum ſubito ſpiſſæ nubes intendere ſe cœlo, & quidquid lucis internitebat, effuſa caligine, extinctum eſt. Tum inhorreſcens mare paulatim levari, deinde acrius vento concitatum fluctus ciere, & inter ſe navigia collidere. Iamque ſcindi cœperant vincula, quibus connexæ quadriremes erant, ruere tabulata,

tabulata,& cum ingenti fragore in profundu ſecum milites trahere. Neque enim conſert navigia ulla ope in turbido regi poterant. Mil miniſteria nautarum, remex militis offici turbabat, & quod in hujuſmodi caſu accidi periti ignaris parebant : quippe gubernator alias imperare ſoliti, tum metu mortis juſſa ex ſequebantur. Tandem remis pertinacius ever beratum mare, veluti eripientibus navigia cla ſicis ceſſit, appulſaque ſunt littori lacerata ple raque. Iiſdem diebus forte Carthaginenſiun legati triginta ſuperveniunt; magis obſeſſis ſo latium, quam auxilium: quippe domeſtico bell Pœnos impediri, nec de imperio, ſed pro ſalut dimicare nuntiabant. Syracuſani tunc African urebant, & haud procul Carthaginis muris lo caverant caſtra. Non tamen defecere animi Tyrii, quanquam ab ingenti ſpe deſtituti erant ſed conjuges liberoſque devehendos Carthagi nem tradiderunt; fortius quidquid accidere laturi, ſi chariſſimam ſui partem extra commu nis periculi ſortem habuiſſent. Cumque unus civibus concioni indicaſſet, oblatam eſſe pe ſomnum ſibi ſpeciem Apollinis, quem eximi religione colerent, urbem deſerentis, molemq à Macedonibus jactam in ſalo, in ſylveſtrem ſaltum eſſe mutatam, quanquam author levi erat, tamen ad deteriora credenda proni, metu aurea catena devinxere ſimulacrum, aræque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inſeruere vinculum, quaſi illo Deo Apollinem retenturi. Syracuſis id ſimulacrum devexerant Pœni, & in majore locaverant patria, multiſque aliis ſpoliis urbium à ſemet captarum, non Carthaginem magis quam Tyrum, ornaverant. Sacrum

crum quoque, quod quidem Diis minime cordi eſſe crediderim, multis ſeculis intermiſſum, repetendi autores quidam erant; ut ingenuus puer Saturno immolaretur. quod ſacrilegium verius, quam ſacrum, Carthaginenſes, à conditoribus traditum, uſque ad excidium urbis ſuæ feciſſe dicuntur: ac niſi ſeniores obſtitiſſent, quorum conſilio cuncta agebantur, humanitatem dira ſuperſtitio viciſſet. Cæterum efficacior omni arte imminens neceſſitas, non uſitata modo præſidia, ſed quędam etiam nova admovit. Namque ad implicanda navigia, quæ muros ſubibant, validis aſſeribus corvos & ferreas manus cum uncis ac falcibus illigaverant, ut cum tormento aſſeres promoviſſent, ſubito laxatis funibus iniicerent. Vnci quoque & falces ex iiſdem aſſeribus dependentes, aut propugnatores, aut ipſa navigia lacerabant. Clypeos vero æneos multo igne torrebant, quos repletos fervida arena cœnoque decocto, è muris ſubito devolvebant, nec ulla peſtis magis timebatur. Quippe ubi loricam corpuſque fervens arena penetraverat, nec ulla vi excuti poterat, & quidquid attigerat, perurebat: jacienteſque arma, laceratis omnibus, queis protegi poterant, vulneribus inulti patebant. Corvi vero, & ferreæ manus tormentis emiſſæ, pleroſque rapiebant.

4. Hic Rex fatigatus, ſtatuerat, ſoluta obſidione, Ægyptum petere: quippe cum Aſiam ingenti celeritate percurriſſet, circa muros unius urbis hærebat, tot maximarum rerum opportunitate dimiſſa. Cæterum tam diſcedere irritum, quam morari pudebat. Famam quoque, qua plura, quam armis everterat, ratus leviorem

rem fore, ſi Tyrum, quaſi teſtem ſe poſſe vin
reliquiſſet. Igitur ne quid inexpertum omitt
ret, plures naves admoveri jubet, delectoſq
militum imponi. Et forte bellua inuſitatæ m
gnitudinis ſuper ipſos fluctus dorſo eminens
molem, quam Macedones jecerant, ingens co
pus applicuit, diverberatiſque fluctibus all
vans ſemet, utrinque conſpecta eſt. Deinde
capite molis, rurſus alto ſe immerſit: ac mod
ſuper undas eminens magna ſui parte, mod
ſuperfuſis fluctibus condita, haud procul mu
nimentis urbis emerſit. Vtriſque lætus fuit be
luæ aſpectus. Macedones iter jaciendo ope
monſtraſſe eam augurabantur. Tyrii, Neptu
num occupati maris vindicem abripuiſſe be
luam, ad molem brevi profecto ruituram: læti
que omine eo; ad epulas dilapſi, oneravere ſ
vino: quo graves, orto ſole navigia conſcen
dunt, redimita coronis floribuſque: adeo vi
ctoriæ non omen modo, ſed etiam gratulatio
nem præceperant. Forte Rex claſſem in diver
ſam partem agi juſſerat, triginta minoribus na
vigiis relictis in littore, è quibus Tyrii duobu
captis, cætera ingenti terruerant metu: done
ſuorum clamore audito, Alexander claſſem li
tori, à quo fremitus acciderat, admovit. Prima
è Macedonum navibus quinqueremis, velocita
te inter cæteras eminens, occurrit: quam u
conſpexere Tyrii, duæ è diverſo in latera eju
invectæ ſunt, in quarum alteram quinqueremis
eadem concitata, & ipſa roſtro icta eſt, & illam
invicem tenuit. Iamque ea, quæ non cohære
bat, libero impetu evecta in aliud quinqueremis
latus invehebatur, cum opportunitate mira
triremis è claſſe Alexandri, in eam ipſam, quæ
quin-

quinqueremi imminebat, tanta vi impulſa eſt, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur è puppi. Plures deinde Macedonum naves ſuperveniunt; & Rex quoque aderat. cum Tyrii inhibentes remos, ægre evellere navem quæ hærebat, portumque omnia ſimul navigia repetunt. Confeſtim Rex inſequutus, portum quidem intrare non potuit, cum procul è muris miſſilibus ſubmoveretur: naves autem omnes fere aut demerſit, aut cepit. Biduo deinde ad quietem dato militibus, juſſiſque & claſſem & machinas pariter admovere, & undique territis inſtare, ipſe in altiſſimam turrim aſcendit; ingenti animo, periculo majore. quippe regio inſigni, & armis fulgentibus conſpicuus, unus præcipue telis petebatur. & digna prorſus ſpectaculo edidit: multos è muris propugnantes haſta transfixit, quoſdam etiam cominus gladio clypeoque impulſos præcipitavit. quippe turris, ex qua dimicabat, muris hoſtium propemodum cohærebat. Iamque crebris arietibus ſaxorum compage laxata, munimenta defecerant. & claſſis intraverat portum, & quidam Macedonum in turres hoſtium deſertas evaſerant; cum Tyrii, tot ſimul malis victi, alii ſupplices in templa confugiunt, alii foribus ædium obſeratis occupant liberum mortis arbitrium: nonnulli ruunt in hoſtem, haud inulte tamen perituri. Magna pars ſumma tectorum obtinebat; ſaxa, & quidquid manibus fors dederat, ingerentes ſubeuntibus. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis iniici jubet. His per præcones pronunciatis, nemo tamen armatus opem à Diis petere ſuſtinuit. Pueri virgineſque templa compleve-

pleverant: viri in veſtibulo ſuarum quiſque a
dium ſtabant; parata ſævientibus turba. Mult
tamen ſaluti fuere Sidonii, qui intra Maced
num præſidia erant. Hi urbem quidem int
victores intraverant, ſed cognationis cum T
riis memores (quippe utramque urbem Agen
rem condidiſſe credebant) multos Tyrioru
etiam protegentes ad ſua perduxere navigi
quibus occultatis, Sidona devecti ſunt. Qui
decim millia hoc furto ſubducta ſævitiæ ſun
Quantumque ſanguinis fuſum ſit, vel ex h
exiſtimari poteſt, quod intra munimenta urbi
ſex millia armatorum trucidata ſunt. Triſte d
inde ſpectaculum victoribus ira præbuit Regi
Duo millia, in quibus occidendis defecerat r
bies, crucibus affixi, per ingens litoris ſpatiu
pependerunt. Carthaginenſium legatis pepe
cit, addita denuntiatione belli, quod præſe
tium rerum neceſſitas moraretur. Tyrus ſept
mo menſe, quam oppugnari cœpta erat, cap
eſt: urbs & vetuſtate originis, & crebra fortun
varietate ad memoriam poſteritatis inſigni
condita ab Agenore, diu mare, non vicinu
modo, ſed quodcunque claſſes ejus adierun
ditionis ſuæ fecit: & ſi famæ libet credere, hæ
gens literas prima aut docuit, aut didicit. Colo
niæ certe ejus pene orbe toto diffuſæ ſunt. Ca
thago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades a
Oceanum. Credo, libero commeantes mar
ſæpiuſque adeundo cæteris incognitas terra
elegiſſe ſedes juventuti, qua tunc abundabant
ſeu quia crebris motibus terræ (nam hoc quoq
traditur) cultores ejus fatigati, nova, & extern
domicilia armis ſibimet quærere cogebantu
Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidiur
renata

renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, ſub tutela Romanæ manſuetudinis acquieſcit.

5. Iiſdem ferme diebus Darii litteræ allatæ ſunt, tandem ut Regi ſcriptæ. *Petebat uti filiam ſuam (Saptinæ erat nomen) nuptiis Alexander ſibi adjungeret. Dotem fore omnem regionem inter Helleſpontum & Halyn amnem ſitam. inde orientem ſpectantibus terris contentum ſe fore. Si forte dubitaret, quod offerretur, accipere, nunquam diu eodem veſtigio ſtare fortunam, ſemperque homines, quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen ſentire majorem. Vereri ſe, ne avium modo, quas naturalis levitas ageret ad ſidera, inani ac puerili mentis affectu efferret. Nihil difficilius eſſe, quam in illa ætate tantam capere fortunam. Multas ſe adhuc reliquias habere, nec ſemper in anguſtiis poſſe deprehendi. Tranſeundum eſſe Alexandro Euphratem, Tigrimque, & Araxen, & Hydaſpen, magna munimenta regni ſui. Veniendum in campos, ubi paucitate ſuorum erubeſcendum ſit. Mediam, Hyrcaniam Bactra, & Indos, Oceani accolas, quando aditurum, vel Sogdianos, & Arachoſios, nomine tantum notos? cæteraſque gentes, ad Caucaſum & Tanaim pertinentes? Seneſcendum fore, tantum terrarum vel ſine prœlio obeunti. Se vero ad ipſum vocare deſineret. namque illius exitio eſſe venturum.* Alexander his, qui litteras attulerant, reſpondit: *Darium ſibi aliena promittere, quod totum amiſerit, velle partiri. Doti ſibi dari Lydiam, Ioniam, Æolidem, Helleſponti oram, victoriæ ſuæ præmia: leges autem à victoribus dici; accipi à victis. In utro ſtatu ambo eſſent, ſi ſolus ignoraret, quamprimum Marte decerneret: ſe quoque, cum tranſiſſet mare non Ciliciam aut Lydiam; quippe tanti belli exiguam hanc eſſe merce-*

mercedem; ſed Perſepolim, caput regni ejus, Bactr. deinde, Ecbatana, ultimique Orientis oram imperi ſuo deſtinaſſe, quocunque ille fugere potuiſſet, ipſum ſequi poſſe. deſineret terrere fluminibus, quem ſcire maria tranſiſſe. Reges quidem invicem hæc ſcri pſerant. Sed Rhodii, urbem ſuam portuſqu dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tra diderat; Philota regioni circa Tyrum juſſo pr ſidere: Syriam, quæ Cœle appellatur, Andro macho Parmenio tradiderat; bello, quod ſuper erat, interfuturus. Rex, Hephæſtione Phœnice oram claſſe prætervehi juſſo, ad urbem Gazan cum omnibus copiis venit. Iiſdem fere diebu ſolenne erat ludicrum Iſthmiorum, quod con ventu totius Græciæ celebratur. In eo concilio ut ſunt Græcorum temporaria ingenia, decer nunt, ut duodecim legarentur ad Regem, qu ob res pro ſalute Græciæ ac libertate geſtas, co ronam auream donum victoriæ ferrent. Iiden paulo ante incertæ famæ captaverant auram ut quocunque pendentes animos tuliſſet fortu na, ſequerentur. Cæterum non ipſe modo Re obibat urbes, imperii jugum adhuc recuſante ſed Prætores quoque ipſius, egregii duces, plera que invaſerant. Calas Paphlagoniam, Antigo nus Lycaoniam, Balacrus, Idarne Prætore Dari ſuperato, Miletum cepit: Amphoterus & Hegi lochus, centum ſexaginta navium claſſe, inſu las inter Achajam atque Aſiam, in ditionen Alexandri redegerunt; Tenedon quoque rece ptum, incolis ultro vocantibus. Statuerant & Chion occupare. Sed Pharnabazus Darii Præ tor, comprehenſis qui res ad Macedonas trahe bant, rurſus Apollonidi & Athenagoræ, ſuarum partium viris, urbem cum modico pręſidio mi litum

litum tradit. Præfecti Alexandri in obſidione urbis perſeverabant; non tam ſuis virib9,quam ipſorum, qui obſidebantur, voluntate. nec feſellit opinio. Namque inter Apollonidem, & duces militum, orta ſeditio, irrumpendi in urbem occaſionem dedit. Cumque porta effracta cohors Macedonum intraſſet, oppidani olim conſilio proditionis agitato, aggregant ſe Amphotero & Hegilocho, Perſarumque præſidio cæſo, Pharnabazus cum Apollonide & Athenagora, vincti traduntur, XII. triremes cum ſuo milite ac remige, præter eas triginta naves, & piratici lembi, Græcorumque tria millia à Perſis mercede conducta. His in ſupplementum copiarum ſuarum diſtributis, piratiſque ſupplicio affectis, captivos remiges adjecere claſſi ſuæ. Forte Ariſtonicus Methymnæorum Tyrannus, cum piraticis navibus, ignarus omnium, quæ ad Chium acta erant, prima vigilia ad portus clauſtra ſucceſſit: interrogatuſque à cuſtodibus, quis eſſet; Ariſtonicum ad Pharnabazum venire reſpondit. Illi Pharnabazum quidem jam quieſcere, & non poſſe tum adiri: cæterum patere ſocio atque hoſpiti portum, & poſtero die Pharnabazi copiam fore, affirmant. Nec dubitavit Ariſtonicus primus intrare. Secuti ſunt ducem piratici lembi, ac dum applicant navigia crepidini portus, obiicitur à vigilib9 clauſtrum, & qui proximi excubabant, ab iiſdem excitantur: nulloque ex his auſo repugnare, omnibus catenæ injectæ ſunt: Amphotero deinde, Hegilochoque traduntur. Hinc Macedones tranſiere Mitylenem, quam Chares Athenienſis nuper occupatam duorum millium Perſarum præſidio tenebat: ſed cum obſidionem tolerare non

poſſet, urbe tradita pactus eſt, ut incolumi abire liceret. Imbrum petit. deditis Macedones pepercerunt.

6. Darius deſperata pace, quam per litteras legatoſque impetrari poſſe crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit. Duces ergo copiarum Babyloniam convenire, Beſſum quoque Bactrianorum ducem, perquam maxime poſſet exercitu coacto, deſcendere ad ſe jubet. Sunt autem Bactriani inter illas gentes promptiſſimi, horridis ingeniis, multumque à Perſarum luxu abhorrentibus, ſiti haud procul Scytharum bellicoſiſſima gente, & rapto vivere aſſueta, ſemperque in armis errant. Sed Beſſus ſuſpecta perfidia, haud ſane æquo animo in ſecundo ſe continens gradu, Regem terrebat. Nam cum regnum affectaret, proditio, qua ſola id aſſequi poterat, timebatur. Cæterum Alexander, quam regionem Darius petiiſſet, omni cura veſtigans, tamen explorare non poterat: more quodam Perſarum arcana Regum mira celantium fide. non met⁹, non ſpes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus diſciplina Regum, ſilentium vitæ periculo ſanxerat. Lingua gravius caſtigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit: quod homini facillimum voluerit eſſe natura. Ob hanc cauſam Alexander omnium, quæ apud hoſtem gererentur, ignarus, urbem Gazam obſidebat. Præerat ei Batis eximiæ in Regem ſuum fidei, modicoque præſidio muros ingentis operis tuebatur. Alexander æſtimato locorum ſitu agi cuniculos juſſit, facili ac levi humo acceptante occultum opus. quippe multam are-

arenam vicinum mare evomit,nec ſaxa coteſq; quæ interpellent ſpecus, obſtabant. Igitur ab ea parte, quam oppidani conſpicere non poſſent,opus orſus,ut à ſenſu ejus averteret, turres muris admoveri jubet. Sed eadem humus admovendis inutilis turribus, deſidente ſabulo, agilitatem rotarum morabatur, & tabulata turrium perfringebat:multique vulnerabantur impune,cum idem recipiendis, qui admovendis, turribus, labor eos fatigaret. Ergo receptui ſigno dato, poſtero die muros corona circundari juſſit. Ortoque ſole,prius quam admoveret exercitum opem Deum expoſcens, ſacrum patrio more faciebat.Forte prætervolans corvus, glebam, quam unguibus ferebat, ſubito amiſit: quæ cum Regis capiti incidiſſet, reſoluta defluxit. Ipſa autem avis in proxima turre conſedit. Illita erat turris bitumine ac ſulphure, in qua alis hærentibus fruſtra ſe allevare conatus, à circumſtantibus capitur. Digna res viſa,de qua vates conſulerentur, & erat non intactus ea ſuperſtitione mentis. Ergo Ariſtander, cui maxima fides habebatur, urbis quidem excidium augurio illo portendi; cæterum periculum eſſe, ne Rex vulnus acciperet. Itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille, quanquam unam urbem ſibi,quo minus ſecurus Ægyptum intraret, obſtare ægre ferebat, tamen paruit vati, ſignumque receptui dedit. Hinc animus crevit obſeſſis, egreſſique porta, recedentibus inferunt ſigna: cunctationem hoſtium fore ſuam occaſionem rati. Sed acrius quam conſtantius prœlium inierunt.quippe ut Macedonum ſigna circumagi videre,repente ſiſtunt gradum. Iamque ad Regem prœliantium clamor pervenerat,cum

rat,cum denuntiati periculi haud ſane memor, loricam tamen,quam raro induebat, amicis orantibus, ſumpſit, & ad prima ſigna pervenit. Quo conſpecto, Arabs quidam Darii miles,majus fortuna ſua facinus auſus, clypeo gladium tegens, quaſi transfuga genibus Regis advolvitur. Ille aſſurgere ſupplicem, recipique inter ſuos juſſit. At gladio Barbarus ſtrenue in dextram tranſlato,cervicem appetit Regis,qui exigua corporis declinatione evitato ictu, in vanum manum Barbari lapſam, amputat gladio; denuntiato in illum diem periculo (ut arbitrabatur ipſe)defunctus.Sed,ut opinor,inevitabile eſt fatum: quippe dum inter primores promptius dimicat, ſagitta ictus eſt; quam per loricam adactam,ſtantem in humero,medicus ejus Philippus evellit. Plurimus deinde ſanguis manare cœpit; omnibus territis, quia quam alte penetraſſet telum, lorica obſtante, non cognoverant. Ipſe, nec oris quidem colore mutato, ſupprimi ſanguinem, & vulnus obligari juſſit. Diu ante ipſa ſigna,vel diſſimulato vel victo dolore,perſtiterat,cum ſuppreſſus paulo ante ſanguis medicamento, quo retentus erat, manare latius cœpit,& vulnus, quod recens adhuc dolorem non moverat, frigente ſanguine intumuit. Linqui deinde animo, & ſubmitti genu cœpit.quem proximi exceptũ in caſtra receperunt. Et Batis interfectum ratus, urbem ovans victoria repetit. At Alexander, nondum percurato vulnere, aggerem, quo mœnium altitudinem æquaret, exſtruxit, & pluribus cuniculis muros ſubrui juſſit. Oppidani ad priſtinum faſtigium murorum, novum exſtruxere munimentum: ſed ne id quidem turres aggeri impo-
ſitas

ſitas æquare poterat. Itaque interiora quoque urbis infeſta telis erant. Vltima peſtis urbis fuit, cuniculo ſubrutus murus; per cujus ruinas hoſtis intravit. Ducebat ipſe Rex anteſignanos, & dum incautius ſubit, ſaxo crus ejus affligitur. Innixus tamen telo, nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat: ira quoque accenſus, quod duo in obſidione urbis ejus acceperat vulnera. Batim, egregia edita pugna, multiſque vulneribus confectum, deſeruerant ſui: nec tamen ſegnius prœlium capeſſebat, lubricis armis; ſuo pariter atque hoſtium ſanguine. cùm undique telis circumducto Alexander, inſolenti gaudio juvenis elatus, alias virtutem etiam in hoſte miratus: Non, ut voluiſti, inquit, morieris Bati: ſed quidquid tormentorum in captivum inveniri poteſt, paſſurum eſſe te cogita. Ille, non interrito modo, ſed contumaci quoque vultu intuens Regem, nullam ad minas ejus reddidit vocem. Tum Alexander, Videtiſne obſtinatum ad tacendum? inquit. num genu poſuit? num ſupplicem vocem miſit? Vincam tamẽ ſilentium, & ſi nihil aliud, certe gemitu interpolabo. Iram deinde vertit in rabiem; jam tum peregrinos ritus nova ſubeunte fortuna. Per talos enim ſpirantis lora trajecta ſunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi; gloriante Rege, Achillem, à quo genus ipſe deduceret, imitatum ſe eſſe, pœna in hoſtem capienda. Cecidere Perſarum Arabumque circa decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obſidio certe non tam claritate urbis nobilitata eſt, quam geminato periculo Regis, qui Ægyptum adire feſtinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedo-


niam ad inquiſitionem novorum militum miſit. Namque prœliis etiam ſecundis atterebantur copiæ, devictarumque gentium militi minor, quam domeſtico, fides habebatur.

Ægyptii olim Perſarum opibus infenſi, quippe avare & ſuperbe imperitatum ſibi eſſe credebant, ad ſpem adventus ejus erexerant animos, utpote qui Amyntam quoque transfugam, & cum precario imperio venientem, læti recepiſſent. Igitur ingens multitudo Peluſium, qua intraturus Rex videbatur, convenerat. Atque ille ſeptimo die, poſteaquam à Gaza copias moverat, in regionem Ægypti, quam nunc Caſtra Alexandri vocant, pervenit. Deinde pedeſtribus copiis Peluſium petere juſſis, ipſe cum expedita delectorum manu, Nilo amne vectus eſt. Nec ſuſtinuere adventum ejus Perſæ, defectione quoque perterriti. Iamque haud procul Memphi erat, in cujus præſidio Aſtaces prætor Darii relictus, Oxio amne ſuperato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam ſupellectilem tradidit. A Memphi, eodem flumine vectus, ad interiora Ægypti penetrat; compoſitiſque rebus, ita ut nihil ex patrio Ægyptiorum more mutaret, adire Iovis Ammonis oraculum ſtatuit. Iter, expeditis quoque & paucis vix tolerabile, ingrediendum erat: terra cœloque aquarum penuria eſt: ſteriles arenæ jacent: quas ubi vapor ſolis accendit, fervido ſolo exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit: luctandumque eſt non tantum cum ardore & ſiccitate regionis, ſed etiam cum tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum, & veſtigio cedens, ægre moliuntur pedes. Hæc Ægyptii vero majora jactabant. Sed ingens cupido animum ſtimulabat adeundi

Iovem,

Iovem, quem generis ſui autorem, haud contentus mortali faſtigio, aut credebat eſſe, aut credi volebat. Ergo cum iis, quos ducere ſecum ſtatuerat, ſecundo amne deſcendit ad Mareotim paludem. Eo legati Cyrenenſium dona attulere; pacem, & ut adiret urbes ſuas, petentes. Ille, donis acceptis, amicitiaque conjuncta, deſtinata exſequi pergit. Ac primo quidem & ſequenti die, tolerabilis labor viſus; nondum tam vaſtis nudiſque ſolitudinibus aditis: jam tamen ſterili & emoriente terra. Sed ut aperuere ſe campi alto obruti ſabulo, haud ſecus quam profundum æquor ingreſſi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti ſoli occurrebat veſtigium. Aqua etiam defecerat, quam utribus cameli devexerant, & in arido ſolo ac fervido ſabulo nulla erat. Ad hæc ſol omnia incenderat, ſiccáque & aduſta erant omnia; cum repente, ſive illud Deorum munus ſive caſus fuit, obductæ cœlo nubes condidere ſolem; ingens æſtu fatigatis, etiamſi aqua deficeret, auxilium. Enimvero ut largum quoque imbrem excuſſerunt procellæ, pro ſe quiſque excipere eum, quidam ob ſitim impotentes ſui, ore quoque hianti captare cœperunt. Quatriduum per vaſtas ſolitudines abſumptum eſt. Iamque haud procul oraculi ſede aberant, cum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima ſigna antecedentes: & modo humi reſidebant, cum lentius agmen incederet, modo ſe pennis levabant, antecedentium iterque monſtrantium ritu. Tandem ad ſedem conſecratam Deo ventum eſt. Incredibile dictu, inter vaſtas ſolitudines, ita undique ambientibus ramis vix in denſam umbram cadente ſole contecta eſt: multi-

que fontes, dulcibus aquis paſſim manantibus, alunt ſylvas. Cœli quoque mira temperies, verno tempori maxime ſimilis, omnes anni partes pari ſalubritate percurrit. Accolæ ſedis ſunt ab Oriente proximi Æthiopum: Meridiem verſus, Arabes. Troglodytis cognomen eſt. Horum regio uſque ad Rubrum mare excurrit. At quæ vergit ad Occidentem, alii Æthiopes colunt, quos Scenitas vocant: à Septentrione Naſamones ſunt; gens Syrtica, navigiorum ſpoliis quæſtuoſa. Quippe obſident littora, & æſtu deſtituta navigia, notis ſibi vadis occupant. Incolæ nemoris, quos Ammonios vocant, diſperſis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circundatum. Prima munitio tyrannorum veterem regiam clauſit. in proxima, conjuges eorum cum liberis & pellicibus, habitant. Hic quoque Dei oraculum eſt. Vltima munimenta, ſatellitum armigerorumq; ſedes erant. Eſt etiam aliud Ammonis nemus. in medio habet fontem: aquam Solis vocant. ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit: inclinato in veſperam, caleſcit: media nocte, fervida exæſtuat. quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tepore languescat. Id, quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt. Vmbilico tenus, arieti ſimilis eſt habitus; ſmaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc, cum reſponſum petitur, navigio aurato geſtant ſacerdotes; multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus. Sequuntur matronæ, virgineſque, patrio more incondi-


IOVIS AMMO- NIS ORACULUM.

inconditum quoddam carmen canentes. quo propitiari Iovem credunt, ut certum edat oraculum. At tum quidem Regem, propius adeuntem, maximus natu è ſacerdotibus filium appellat. hoc nomen illi parentem Iovem reddere affirmans. Ille vero & accipere ſe ait, & agnoſcere, humanæ ſortis oblitus. Conſuluit deinde, an totius orbis imperium fatis ſibi deſtinaret pater. Vates, æque in adulationem compoſitus, terrarum omnium rectorem fore oſtendit. Poſt hæc inſtitit quærere, an omnes parentis ſui interfectores, pœnas dediſſent. Sacerdos, parentem ejus negat ullius ſcelere poſſe violari: Philippi autem omnes interfectores luiſſe ſupplicia. adjecit, invictum fore, donec excederet ad Deos. Sacrificio deinde facto, dona & Sacerdotibus & Deo data ſunt: permiſſumque amicis, ut ipſi quoque conſulerent Iovem. Nihil amplius quæſiverunt, quam an autor eſſet ſibi divinis honoribus colendi ſuum Regem. Hoc quoque acceptum fore Iovi vates reſpondit, ut ipſi victorem Regem divino honore colerent. Vere & ſalubriter ęſtimanti fidem oraculi, vana profecto reſponſa videri potuiſſent: ſed fortuna, quos uni ſibi credere coëgit, magna ex parte, avidos gloriæ magis, quam capaces facit. Iovis igitur filium ſe non ſolum appellari paſſus eſt, ſed etiam juſſit: rerumque geſtarum famam dum augere vult, tali appellatione corrumpit. Et Macedones, aſſueti quidem regio imperio, ſed majore libertatis umbra quam cæteræ gentes, immortalitatem affectantem contumacius, quam aut ipſis expediebat, aut Regi, averſati ſunt. Sed hæc ſuo quoque tempori reſerventur. Nunc cætera exſequi pergam.

8. Alc-

8. Alexander ab Ammone rediens, ut ad Mareotim paludem haud procul inſula Pharo ſitam venit, contemplatus loci naturam, primum in ipſa inſula ſtatuerat urbem novam condere. Inde, ut apparuit magnæ ſedis inſulam haud capacem, elegit urbi locum, ubi nunc eſt Alexandria, appellationem trahens ex nomine autoris: complexus quidquid loci eſt inter paludem & mare, octoginta ſtadiorum muris ambitum deſtinat. & qui ædificandæ urbi præeſſent relictis, Memphim petit. Cupido, haud injuſta quidem, cæterum intempeſtiva, inceſſerat, non interiora modo Ægypti, ſed etiam Æthiopiam inviſere. Memnonis Titonique celebrata regia cognoſcendæ vetuſtatis avidum trahebat, pene extra terminos Solis. Sed imminens bellum, cujus multo major ſupererat moles, otioſę peregrinationi tempora exemerat. Itaque Ægypto pręfecit Æſchylum Rhodium, & Peuceſtem Macedonem, quatuor millibus militum in præſidium regionis ejus datis: clauſtra Nili fluminis Polymenem tueri jubet, triginta ad hoc triremes datæ. Africæ deinde, quæ Ægypto juncta eſt, præpoſitus Apollonius; vectigalibus ejuſdem Africæ Ægyptique, Cleomenes. Ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam juſſis, novam urbem magna multitudine implevit. Fama eſt, cum Rex urbis futuris muris polentam, ut Macedonum mos eſt, deſtinaſſet, avium greges advolaſſe, & polenta eſſe paſtas. Cumq; id omen pro triſti à plerisque eſſet acceptum, reſpondiſſe vates, magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multiſque eam terris alimenta præbituram. Regem, cum ſecundo amne deflueret, aſſequi cupiens Hector,

Parme-

Parmenionis filius, eximio ætatis flore in pa
cis Alexandro charus, parvum navigium con
ſcendit; pluribus quam capere poſſet impoſiti
Itaque merſa navis omnes deſtituit. Hector d
flumini obluctatus, cum madens veſtis, & aſtr
cti crepidis pedes natare prohiberent, in ripa
tamen ſemianimis evaſit: & ut primum fatiga
tus ſpiritum laxavit, quem metus & periculu
intenderant, nullo adjuvante (quippe in dive
ſum evaſerant alii) exanimatus eſt. Rex ami
ejus deſiderio vehementer afflictus eſt, repe
tumque corpus magnifico extulit funere. On
ravit hunc dolorem nuntius mortis Andro
machi, quem præfecerat Syriæ. Vivum Samar
tæ cremaverant. Ad cujus interitum vindican
dum, quanta maxime celeritate potuit, con
tendit: advenientique ſunt traditi tanti ſceleri
autores. Andromacho deinde Memnona ſub
ſtituit, affectis ſupplicio, qui prætorem inter
emerãt. Tyrannos, (inter eos, Methymnęorum
Ariſtonicum, & Chryſolaum) popularibus ſui
tradidit, quos illi ob injurias tortos, necave
runt. Athenienſium deinde, Rhodiorumque
& Chiorum legatos audit. Athenienſes victo-
riam gratulabantur, &, ut captivi Græcorum
ſuis reſtituerentur, orabant. Rhodii & Chii,
de præſidio querebantur. omnes ea, quę deſide-
rare viſi, impetraverunt. Mitylenæis quoque
ob egregiam in partes ſuas fidem, & pecuniam,
quam in bellum impenderant, obſides reddidit,
& magnam regionem finibus eorum adjecit.
Cypriorum quoque regibus, qui & à Dario de-
fecerant ad ipſum, & oppugnanti Tyrum miſe-
rant claſſem, pro merito honos habitus eſt.
Amphoterus deinde claſſis præfectus ad libe-
randam

randam Cretam miſſus (namque & Perſarum & piratarum armis pleræque ejus inſulæ obſidebantur.) Ante omnia mare à piraticis claſſibus vindicare juſſus: quippe obnoxium prædonibus erat, in bellum utroque Rege converſo. His compoſitis, Herculi Tyrio, ex auro crateram, cum triginta pateris, dicavit: imminenſq; Dario, iter ad Euphratem pronuntiari juſſit.

9. At Darius cum ab Ægypto divertiſſe in Africam hoſtem comperiſſet, dubitaverat, utrumne circa Meſopotamiam ſubſiſteret, an interiora regni ſui peteret; haud dubie potentior autor præſens futurus ultimis gentibus impigre bellum capeſſendi, quas ægre per Præfectos ſuos moliebatur. Sed ut idoneis autoribus fama vulgavit, Alexandrum cum omnibus copiis, quamcunque ipſe adiiſſet regionem, peti-turus, haud ignarus quam cum ſtrenuo res eſſet, omnia longinquarum gentium auxilia Babylonem contrahi juſſit. Bactriani, Scythæque, & Indi convenerant. Nam & cæterarum gentium copiæ partibus ſimul affuerunt. Cæterum cum dimidio ferme major eſſet exercitus, quam in Cilicia fuerat, multis arma deerant, quæ ſumma cura comparabantur. Equitibus equiſque tegumenta erant ex ferreis laminis, ſerie inter ſe connexis. Queis antea præter jacula nihil dederat, ſcuta gladiique adiiciebantur. Equorum domandi greges peditibus diſtributi ſunt: ut major priſtino eſſet equitatus, ingenſque, ut crediderat, terror hoſtium ducentæ falcatæ quadrigæ, unicum illarum gentium auxilium ſecutæ ſunt. Ex ſummo temone, haſtæ præfixæ ferro, eminebant. Vtrinque à jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum

plura

plura ſpicula eminebant in adverſum. Aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hęrebant & aliæ in terram demiſſæ; quidquid obvium concitatis equis fuiſſet, amputaturæ. Hoc modo inſtructo exercitu, ac perarmato, Babylone copias movit. A parte dextera erat Tigris, nobilis fluvius: lævam tegebat Euphrates: agmen Meſopotamię campos impleverat. Tigri deinde ſuperato, cum audiſſet haud procul abeſſe hoſtem, Satropacem equitum præfectum, cum mille delectis præmiſit. Mazæo Pretori ſex millia data, quibus hoſtem tranſitu amnis arceret. Eidem mandatum, ut regionem, quam Alexander eſſet aditurus, popularetur, atque ureret: quippe credebat, inopia debellari poſſe, nihil habentem, niſi quod rapiendo occupaſſet. Ipſi autem commeatus, alii terra, alii Tigri amne ſubvehebantur. Iam pervenerat ad Arbellam vicum, nobilem ſua clade facturus. Hic, commeatuum ſarcinarumque majore parte depoſita, Lycum amnem ponte junxit, & per dies quinque, ſicut ante Euphratem, trajecit exercitum. Inde octoginta fere ſtadia progreſſus, ad alterum amnem, Bumado nomen eſt, caſtra poſuit. Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis & vaſta planities: ne ſtirpes quidem & brevia virgulta operiunt ſolum, liberque proſpectus oculorum, etiam quæ procul receſſere, permittitur. Itaque, ſi qua campi eminebant, juſſit æquari, totumq; faſtigium extendi. Alexandro, qui numerum copiarum ejus, quantum procul conjectari poterat, æſtimabant, vix fecerunt fidem; tot millibus cæſis majores copias eſſe reparatas. Cæterum omnis periculi, & maxime multitudinis contemptor, undeci-

undecimis caſtris pervenit ad Euphratem: quo pontibus juncto, equites primos ire, phalangem ſequi jubet. Mazæo, qui ad inhibendum tranſitum cum ſex millibus equitum occurrerat, non auſo periculum ſui facere. Paucis deinde, non ad quietem, ſed ad reparandos animos, diebus datis militi, ſtrenue hoſtem inſequi cœpit, metuens ne interiora regni ſui peteret, ſequenduſque eſſet per loca omni ſolitudine atq; inopia vaſta. Igitur quarto die præter Arbellam penetrat ad Tigrim. Tota regio ultra amnem recenti fumabat incendio. quippe Mazęus, quæcunque adierat, haud ſecus quam hoſtis urebat. Ac primo caligine, quam fumus effuderat, obſcurante lucem, inſidiarum metu ſubſtitit. Deinde ut ſpeculatores præmiſſi tuta omnia nuntiaverunt, paucos equitum ad tentandum vadum fluminis præmiſit: cujus altitudo primo ſumma equorum pectora, mox ut in medium alveum ventum eſt, cervices quoq; æquabat. nec ſane alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur; multorum torrentium non aquas ſolum, ſed etiã ſaxa ſecum trahens. Itaque à celeritate, qua defluit, Tigris nomen eſt inditum. quia Perſica lingua Tigrim ſagittam appellant. Igitur pedes velut diviſus in cornua circundato equitatu, levatis ſuper capita armis, haud ægre ad ipſum alveum penetrat. Primus inter pedites Rex egreſſus in ripam, vadum militibus manu, quando vox exaudiri non poterat, oſtendit. ſed gradum firmare vix poterant: cum modo ſaxa lubrica veſtigium fallerent, modo rapidior unda ſubduceret. Præcipuus erat labor eorum, qui humeris onera portabant. quippe cum ſemetipſos regere

regere non poſſent, in rapidos gurgites incom modo onere auferebantur. Et dum ſua quiſqu ſpolia conſequi ſtudet, major inter ipſos quam cum amne orta luctatio eſt, cumulique ſarc narum paſſim fluitantes, pleroſq; perculeran Rex monere, ut ſatis haberent arma retinere cætera ſe redditurum. Sed neque conſilium neque imperium accipi poterat. Obſtrepeba hinc metus: præter hunc, invicem natantium mutuus clamor. Tandem, qua leniore tract amnis aperit vadum, emerſere: nec quidquam præter paucas ſarcinas deſideratum eſt. Delei potuit exercitus, ſi quis auſus eſſet vincere. Sed perpetua fortuna Regis avertit inde hoſtem Sic Granicum, tot millibus equitum peditumq in ulteriore ſtantibus ripa, ſuperavit: ſic angu ſtis in Ciliciæ callibus, tantam multitudinem hoſtium. Audaciæ quoque, qua maxime viguit ratio minui poteſt: quia nunquam in diſcrimen venit, án temere feciſſet. Mazæus, ſi tranſeuntibus flumen ſuperveniſſet, haud dubie oppreſſurus fuit incompoſitos in ripa. demum etiam per armatos adequitare cœpit. Mille admodú equites præmiſerat, quorum paucitate Alexander explorata, deinde contempta, præfectum Pæonum equitum Ariſtona laxatis habenis invehi juſſit. Inſignis eo die pugna equitum, & præcipue Ariſtonis fuit. Præfectum equitatus Perſarum Satropacem, directa in gutture haſta transfixit, fugientemque per medios hoſtes conſecutus, ex equo præcipitavit, & obluctanti caput gladio dempſit: quod relatum magna cum laude ante Regis pedes poſuit.

10. Biduo ibi Rex ſtativa habuit; in proximum deinde pronuntiari juſſit. Sed prima fere vigilia,

vigilia, Luna deficiens primum nitorem ſideris ſui condidit: deinde ſanguinis colore ſuffuſo, lumen omne fœdavit; ſolicitiſque ſub ipſum tanti diſcriminis caſum ingens religio, & ex ea formido quædam incuſſa eſt. *Dis invitis in ultimas terras trahi ſe querebantur. Iam nec flumina poſſe adiri, nec ſidera priſtinum præſtare fulgorem. Vaſtas terras, deſerta omnia occurrere; in unius hominis jactationem, tot millium ſanguinem impendi: faſtidio eſſe patriam, abdicari Philippum patrem, cœlum vanis cogitationibus peti.* Iam pro ſeditione res erat, cum ad omnia interritus, duces, principeſque militum, frequentes adeſſe prætorio; Ægyptioſque vates, quos cœli ac ſiderum peritiſſimos eſſe credebat, quid ſentirent, expromere jubet. At illi, qui ſatis ſcirent, temporum orbes implere deſtinatas vices, Lunamque deficere, cum aut terram ſubiret, aut Sole premeretur, ratione quidem ipſis perceptam non edocent vulgus: cæterum affirmant, Solem Græcorum, Lunam eſſe Perſarum: quoties illa deficiat, ruinam ſtragemque illis gentibus portendi. Veteraque exempla recenſent Perſidis Regum, quos adverſis Diis pugnaſſe Lunæ oſtendiſſet defectio. Nulla res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio: alioqui impotens, ſæva, mutabilis, ubi vana religione capta eſt, melius vatibus, quam ducibus ſuis paret. Igitur edita in vulgus Ægyptiorum reſponſa, rurſus ad ſpem & fiduciam erexere torpentes. Rex impetu animorum utendum ratus, ſecunda vigilia caſtra movit. Dextra Tigrim habebat, à læva montes, quos Gordyæos vocant. Hoc ingreſſo iter, ſpeculatores, qui præmiſſi erant, ſub lucis ortum, Darium adventare nuntiaverunt.

In-

Inſtructo igitur milite, & compoſito agmi,
antecedebat. Sed Perſarum exploratores era
mille ferme, qui ſpeciem magni agminis fe
rant. quippe ubi explorare vera non poſſu
falſa per metum augurantur. His cognitis,R
cum paucis ſuorum aſſecutus agmen refugie
tium ad ſuos,alios cæcidit, alios cepit, equite
præmiſit ſimul ſpeculatum, ſimul ut igne
quo Barbari cremaverant vicos, extinguere
quippe fugientes raptim tectis acerviſque fr
menti injecerant flammas.quæ cum in ſumn
hæſiſſent,ad inferiora nondum penetraverar
Extincto igitur igne,plurimum frumenti repe
tum eſt. copia aliarum quoque rerum abund
re cœperunt. Ea res ipſa militi ad perſequen
hoſtem animum incendit.quippe urente & p
pulante eo terram feſtinandum erat, ne ince
dio cuncta præriperet. In rationem ergo n
ceſſitas verſa : quippe Mazæus, qui antea p
otium vicos incenderat,jam fugere contentu
pleraque inviolata hoſti reliquit. Alexand
haud longius centum quinquaginta ſtadiis Da
rium abeſſe compererat. Itaque ad ſatietate
quoque copia commeatuum inſtructus,quatr
duo in eodem loco ſubſiſtit. Interceptæ deinc
Darii litteræ ſunt, quibus Græci milites ſollic
tabantur, ut Regem interficerent, aut prode
rent:dubitavitque,an eas pro concione recita
ret; ſatis confiſus Græcorum quoque erga
benevolentiæ ac fidei.Sed Parmenio deterruit
non eſſe talibus promiſſis imbuendas aure
militum.patere vel unius inſidiis Regem : nih
nefas eſſe avaritiæ. Secutus conſilii authorem
caſtra movit.Iter facienti,Spado unus ex capti
vis, qui Darii uxorem comitabantur, deficer
ear

eam nuntiat, & vix ſpiritum ducere. Itineris cōtinui labore animiq; ægritudine fatigata, inter ſocrus & virginum filiarum manus, collapſa erat; deinde & extincta. Id ipſum nuntians alius ſupervenit. Et Rex haud ſecus, quam ſi parentis ſuæ mors nuntiata eſſet, crebros edidit gemitus. lachrymiſque obortis, quales Darius profudiſſet, in tabernaculum, in quo mater erat Darii, defuncto aſſidens corpori, venit. Hic vero renovatus eſt mœror, ut proſtratam humi vidit. recenti malo priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris ſolatia, ſed quibus ipſa deberet eſſe ſolatio. In conſpectu erat nepos parvulus, ob id ipſum miſerabilis, quod nondum ſentiebat calamitatem, maxima ex parte ad ipſum redundantem. Crederes Alexandrum inter ſuas neceſſitudines flere, & ſolatia non adhibere, ſed quærere. Cibo certe abſtinuit, omnemque honorem funeri patrio Perſarum more, ſervavit: dignus hercule, qui nunc quoque tantum manſuetudinis & continentiæ ferat fructum. Semel omnino eam viderat, quo die capta eſt, nec ut ipſam, ſed ut Darii matrem viderat: eximiamque pulchritudinem formę ejus, non libidinis habuerat incitamentum, ſed gloriæ. E Spadonibus, qui circa Reginam erant, Tyriotes inter trepidationem lugentium elapſus, per eam portam, quæ, quia ab hoſte averſa erat, levius cuſtodiebatur, ad Darii caſtra pervenit: exceptuſque à vigilibus, in tabernaculum Regis perducitur, gemens, & veſte lacerata. Quem ut conſpexit Darius, multiplici doloris exſpectatione commotus, & quid potiſſimum timeret, incertus, Vultus tuus, inquit, neſcio quod

quod ingens malum præfert: ſed cave miſ
hominis auribus parcas: didici enim eſſe infeli
& ſæpe calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſorte
ſuam. Num, quod maxime ſuſpicor, & loqui t
meo, ludibria meorum nuntiaturus es mihi;
(ut credo) ipſis quoque omni graviora ſupp
cio? Ad hæc Tyriotes, Iſtud quidem procul a
eſt, inquit. Quantuſcunque enim Reginis h
nor ab iis, qui parent, haberi poteſt, tuis à vict
re ſervatus eſt: ſed uxor tua paulo ante exceſſ
è vita. Tum vero non gemitus modo, ſed etia
ejulatus totis caſtris exaudiebantur. Nec dub
tavit Darius quin interfecta eſſet, quia nequiſſ
contumeliam pati: exclamatque amens dolor
Quod ego tantum nefas commiſi, Alexander
quem tuorum propinquorum necavi, ut han
vicem ſævitiæ meæ reddas? Odiſti me, non qui
dem provocatus. Sed finge juſtum intuliſſe t
bellum: cum fœminis ergo agere debueras? Ty
riotes affirmare per Deos patrios, nihil in ean
gravius eſſe conſultum. Ingemuiſſe etiam Ale
xandrum morti, & non parcius fleviſſe, quam
ipſe lachrymaretur. Ob hæc ipſe amantis ani
mus in ſolicitudinem ſuſpicionemque revolu
tus eſt: deſiderium captivæ profecto à conſue
tudine ſtupri ortum eſſe conjectans. Submotis
igitur arbitris, uno duntaxat Tyriote retento,
jam non flens, ſed ſuſpirans, Videſne in te Ty-
riote locum mendacio non eſſe? Tormenta
jam hic erunt: ſed ne exſpectaveris per Deos, ſi
quid tibi tui Regis reverentia eſt. num, quod &
ſcire expeto, & quærere pudet, auſus eſt & do-
minus & juvenis? Ille quæſtioni corpus offerre,
Deos teſtes invocare, caſte ſancteque habitam
eſſe Reginam. Tandem, ut fides facta eſt; vera
eſſe

eſſe quæ affirmaret Spado, capite velato diu flevit: manantibuſque adhuc lachrymis, veſte ab ore rejecta, ad cœlum manus tendens, Dii patrii, inquit, primum mihi ſtabilite regnum: deinde, ſi de me jam tranſactum eſt, precor ne quis Aſiæ Rex ſit, quam iſte tam juſtus hoſtis, tam miſericors victor.

11. Itaque, quanquam pace fruſtra bis petita, omnia in bellum conſilia converterat; victus tamen continentia hoſtis, ad novas pacis conditiones ferendas, decem legatos, cognatorum principes miſit: quos Alexander conſilio advocato introduci juſſit. E quibus maximus natu: *Darium*, inquit, *ut pacem à te jam tertio peteret, nulla vis ſubegit; ſed juſtitia & continentia tua expreſſit. Matrem, conjugem, liberoſque ejus, niſi quod ſine illo ſunt, captos eſſe non ſenſit. Pudicitiæ earum, quæ ſuperſunt, curam, haud ſecus quam parens agens; Reginas appellas, ſpeciem priſtinæ fortunæ retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit, cum dimitteremur ab eo: & ille tamen uxorem, tu hoſtem luges. Iam in acie ſtares, niſi cura te ſepulturæ ejus moraretur. Ecquid mirum eſt, ſi tam ab amico animo pacem petit? Quid opus eſt armis, inter quos odia ſublata ſunt? Antea imperio tuo finem deſtinabat Halym amnē, qui Lydiam terminat. Nunc, quidquid inter Helleſpontum & Euphratem eſt, in dotem filiæ offert, quam tibi tradit. Ochum filium, quem habes, pacis & fidei obſidem retine. Matrem, & duas virgines filias redde. pro tribus corporibus* XXX. *millia talentûm auri, precatur, accipias. Niſi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc eſſe tempus, quo pacem non dare ſolum, ſed etiam occupare deberes. Reſpice, quantum poſt te reliqueris, intuere quantum petas. Periculoſum eſt*

præ-

pragrave imperium difficile eſt continere, quod
pere non poſſis. Videsne ut navigia quæ modum
cedunt, regi nequeant? Neſcio an Darius ideo t
multa amiſerit, quia nimiæ opes, magnæ jacturæ
cum faciunt. Facilius eſt quædam vincere, qu
tueri. quam, hercule, expeditius manus noſtræ
piunt, quam continent. Ipſa mors uxoris Dari
admonere poteſt, minus jam miſericordiæ tuæ l
re, quam licuit. Alexander, legatis excedere
bernaculo juſſis, quid placeret, ad conſili
refert. Diu nemo, quid ſentiret, auſus eſt dic
incerta Regis voluntate. Tandem Parmen,
Ante ſuaſiſſem, ait, *ut captivos apud Damaſc*
redimentibus redderes, ingentem pecuniam potu
redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium -
cupaverant manus. Et nunc magnopere cenſerem
unam anum, & duas puellas, itinerum agminu
impedimenta, triginta millibus talentis auri perm -
tes. Opimum regnum occupari poſſe conditione,
bello: nec quemquam alium inter Iſtrum & E-
phratem poſſediſſe terras, ingenti ſpatio intervallo
diſcretas. Macedoniam quoq; reſpiceret potius, qu
Bactra & Indos intueretur. Ingrata oratio R
fuit. Itaque ut finem dicendi fecit: *Et ego,*
quit, *pecuniam quam gloriam mallem, ſi Parme*
eſſem. Nunc Alexander, de paupertate ſecurus ſu
& me, non mercatorem memini eſſe, ſed Regem.
hil quidem habeo venale: ſed fortunam meam u
non vendo. Captivos ſi placet reddi; honeſtius d
dabimus, quam pretio remittemus. Introductis
inde legatis, ad hunc modum reſpondit: *N*
tiate Dario, gratiarum actionem apud hoſtem
pervacaneam eſſe. & me, quæ fecerim clementer
liberaliter, non amicitiæ ejus tribuiſſe, ſed nat
meæ: nec adverſus calamitates, ſed adverſus hoſti

vi

vires contendere. Bellum cum captivis & fœminis gerere non ſoleo: armatus ſit oportet, quem oderim. Quod ſi ſaltem pacem bona fide peteret, deliberarem forſitan an darem. Verum enimvero, cum modo milites meos litteris ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia ſollicitet, ad internecionem mihi perſequendus eſt, non ut juſtus hoſtis, ſed ut percuſſor veneficus. Conditiones vero pacis, quas fertis, ſi accepero, victorem eum faciunt. Quæ poſt Euphratem ſunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphratem ſum. Summum ergo dotis, quam promittit, terminum, caſtra mea tranſeunt. Hinc me depellite, ut ſciam veſtrum eſſe quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam ſuam, nempe quam ſcio alicui ſervorum ejus nupturam. Multum vero mihi præſtat, ſi me Mazæo generum præponit. Ite, nuntiate Regi veſtro, & quæ amiſit, & quæ adhuc habet, præmia eſſe belli. Hoc, repente utriuſque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis aſſignatura fortuna eſt, & me in Aſiam non veniſſe, ut ab aliis acciperem, ſed ut aliis darem. Si ſecundus, & non par mihi vellet haberi, facerem forſitan quæ petit. Cæterum nec mundus duobus ſolibus poteſt regi, nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poteſt habere. Proinde aut deditionem hodie, aut in craſtinum bellum paret: nec aliam ſibi, quam expertus eſt, polliceatur fortunam. Legati reſpondent, Cum bellum in animo ſit, facere eum ſimpliciter, quod ſpe pacis non fruſtraretur: ipſos petere, quam primum dimittantur ad Regem, eum quoque bellum parare debere. Dimiſſi nuntiant, adeſſe certamen.

12. Ille quidem confeſtim Mazæum cum III. millibus equitum, ad itinera, quæ hoſtis petiturus erat, occupanda, præmiſit. Alexander,

corpori

corpori uxoris ejus juſtis perſolutis, omnic
graviore comitatu intra eadem munime
cum modico præſidio relicto, ad hoſtem cc.
tendit. Duo cornua diviſa erant peditum;
utrumque latus equite circundato: impe.
menta ſequebantur agmen præmiſſum. Dein
cum Scythis equitib⁹, Menidam jubet explor
ubi Darius eſſet. At ille, cum Mazæus haud p.
cul conſediſſet, non auſus ultra procedere, .
hil aliud quam fremitum hominũ, hinnitur
equorum, exaudiſſe nuntiat. Mazæus quoq,
conſpectis procul exploratoribus, in caſtra
recepit, adventus hoſtium nuntius. Igitur I.
rius, qui in patentibus campis decernere op.
bat, armari militem jubet, aciemque diſpo.
In lævo cornu Bactriani ibant equites m
admodum. Dacæ totidem, & Arachoſii, Suſii,
quatuor millia explebant. Hos centum falc
currus ſequebantur. Proximus quadrigis e
Beſſus cum VIII. millibus equitum, item Bactr.
nis. Maſſagetæ II. millibus agmen ejus clau.
bant, pedites his plurium gentium non mixt.
ſed ſuæ quiſque nationis, junxerant copias. P.
ſas deinde cum Mardis, Sogdianiſque, Ariob.
zanes & Orobates, ducebant. Illis partibus c
piarum, Orſines prçerat, à ſeptem Perſis oriu
dus; ad Cyrum quoque nobiliſſimum Rege
originem ſui referens. Hos aliæ gentes, ne ſoc
quidem ſatis notç, ſequebantur. Poſt quas qui
quaginta quadrigas Phradates magno Caſpi
norum agmine antecedebat. Indi, cæteriq
Rubri maris accolæ, nomina verius quam a
xilia poſt currus erant. Claudebatur hoc agi
aliis falcatis curribus quinquaginta: queis pe
grinum militem adjunxerat. Hunc Arme
qu

quos minores vocant, Armenios Babylonii, utroſque Belitæ, & qui montes Coſſæorum incolebant, ſequebantur. Poſt hos ibant Gortuæ, gentes quidem Euboicę, Medos quondam ſecuti, ſed jam degeneres, & patrii moris ignari. Applicuerat his Phrygas, & Cataonas. Parthorum deinde gens, incolentium terras, quas nunc Parthi, Scythiá profecti, tenent, claudebant agmen. Hæc ſiniſtri cornu acies fuit: dextrum tenebat natio majoris Armeniæ, Caduſiique, & Cappadoces, & Syri, & Medi. His quoque falcati currus erant quinquaginta. Summa totius exercitus: equites CXLV. millia: pedeſtris acies, ſexcenta millia expleverat. Hoc modo inſtructi, decem ſtadia procedunt; juſſique ſubſiſtere armati, hoſtem exſpectabant. Alexandri exercitum pavor, cujus cauſa non ſuberat, invaſit. quippe lymphati trepidare cœperunt; omnium pectora occulto metu percurrente. Cæli fulgor tempore æſtivo ardenti ſimilis internitens, ignis præbuit ſpeciem, flammaſque ex Darii caſtris ſplendere velut illatas temere præſidiis credebant. Quod ſi perculſis Mazæus, qui pręſidebat itineri, ſuperveniſſet; ingens clades accipi potuit. Ille, ſegnis in eo, quem occupaverat, tumulo ſedet; contentus non laceſſi. Alexander, cognito pavore exercitus, ſignum ut conſiſterent dari, ipſos arma deponere, ac levare corpora jubet; admonens, nullam ſubiti cauſam eſſe timoris. hoſtem procul ſtare. Tandem compotes ſui, pariter arma, & animos recepere, nec quidquam ex præſentibus tutius viſum eſt, quam eodem loco caſtra munire. Poſtero die Mazæus, qui cum delectis equitum in edito colle, ex quo Macedonum proſpicieban-

 tur caſtra,

tur caſtra, conſederat; ſive metu, ſive quia ſpeculari modo juſſus erat, ad Darium rediit. Macedones eum ipſum collem, quem deſeruerat, occupaverunt. nam & tutior planitie erat, & inde acies hoſtium, quæ in campo explicabatur, conſpici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, univerſam quidem rei faciem non abſtulit: cæterum agminum diſcrimina, atque ordinem prohibuit perſpici. Multitudo inundaverat campos, fremituſque tot millium, etiam procul ſtantium, aures impleverat. Fluctuare animo Rex, & modo ſuum, modo Parmenionis conſilium, ſera æſtimatione perpendere. quippe eo ventum erat, unde recipi exercitus, niſi victor, aut ſine clade, non poſſet. Movebat etiam eum multitudo hoſtium, reſpectu paucitatis ſuæ gentis. Sed interdum reputabat, quantas res cum hac gente geſſiſſet, quantoſque populos fudiſſet. Itaque, cum ſpes metum vinceret, periculoſius bellum differre ratus, ne deſperatio ſuis creſceret: diſſimulato eo, mercenarium equitem ex Pœonia præcedere jubet. Ipſe phalangem, ſicut antea dictum eſt, in duo cornua extenderat. Vtrumque cornu equites tegebant. Iamque nitidior lux, diſcuſſa caligine, aciem hoſtium oſtenderat: & Macedones, ſive alacritate, ſive tædio exſpectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem. Redditus & à Perſis, nemora valleſq; circumjectas terribili ſono impleverat. Nec jam cõtineri Macedones poterant, quin curſu quoq; ad hoſtẽ contenderent. Melius adhuc ratus Alexander in eodem tumulo caſtra munire, vallum jaci juſſit: ſtrenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hoſtium conſpiciebatur ſeceſſit.

13. Tum

13. Tum vero univerſa futuri diſcriminis facies in oculis erat. armis inſignibus equi virique ſplendebant, & omnia intentiore cura præparari, ſollicitudo Prætorum agmina ſua interequitantium oſtendebat. ac pleraq; inania, ſicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor, ſollicitam exſpectatione mentem turbaverant. Igitur, ſive dubius animi, ſive ut ſuos experiretur, conſilium adhibet; quid optimum factu eſſet, exquirens. Parmenio peritiſſimus inter duces artium belli, furto, non prœlio, opus eſſe cenſebat: *intempeſta nocte opprimi poſſe hoſtes diſcordes moribus, linguis. ad hæc & ſomno & improviſo periculo territos, quando in nocturna trepidatione coituros? At interdiu primum terribiles occurſuras facies Scytharum, Bactrianorumque. hirta illis ora, & intonſas comas eſſe. Præterea eximiam vaſtorum magnitudinem corporum: vanis & inanibus militem magis quam juſtis formidinis cauſis moveri. deinde tantam multitudinem circumfundi paucioribus poſſe. Non in Ciliciæ anguſtiis, & inviis callibus, ſed in aperta & lata planitie dimicandum fore.* Omnes ferme Parmenioni aſſentiebantur: Polypercon haud dubie in eo conſilio poſitam victoriam arbitrabatur. Quem intuens Rex (namque Parmenionem nuper acrius quam vellet increpitum, rurſus caſtigare non ſuſtinebat) *Latrunculorum,* inquit, *& furum iſta ſolertia eſt, quam præcipitis mihi. quippe illorum votum unicum eſt, fallere. Meæ vero gloriæ ſemper aut abſentiam Darii, aut anguſtias locorum, aut furtum noctis obſtare non patiar: palam luce aggredi certum eſt. Malo me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat. Ad hæc illud quoque accedit: vigilias agere Barbaros,*

& in armis ſtare, ut ne decipi quidem poſſint. Itaqu ad prœlium vos parate. Sic incitatos ad corpor curanda dimiſit. Darius illud, quod Parmenic ſuaſerat, hoſtem facturum eſſe conjectans, fræ-natos equos ſtare, magnamque exercitus partem in armis eſſe, ac vigilias intentiore cura ſervari, juſſerat. Ergo ignibus tota ejus caſtra fulgebant. Ipſe cum ducibus propinquiſque agmina in armis ſtantium circumibat, Solem, Mithren, ſacrumque & ęternum invocans ignem, ut illis dignam vetere gloria, majorumque monumentis fortitudinem inſpirarent. & profecto ſi qua divinæ opis auguria, humana mente concipi poſſent. Deos ſtare ſecum. illos nuper Macedonum animis ſubitam incuſſiſſe formidinem: adhuc lymphatos ferri agique arma jacientes. Expetere præſides Perſarum imperii Deos debitas à vecordibus pœnas, nec ipſum ducem ſaniorem eſſe. quippe ritu ferarum prædam modo, quam expeteret, intuentem, in perniciem, quæ ante prędam poſita eſſet, incurrere. Similis apud Macedones quoque ſollicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt. Alexander non alias magis territus, ad vota & preces Ariſtandrum vocari jubet. Ille in candida veſte, verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis, Iovem, Minervam, Victoriamq; propitiantis. Tunc quidem ſacrificio rite perpetrato, reliquum noctis acquieturus in tabernaculum rędiit. Sed nec ſomnum capere, nec quietem pati poterat. modo è jugo montis aciem in dexterum Perſarum cornu demittere agitabat, modo recta fronte concurrere hoſti: interdum hæſitare an potius in lævum torqueret agmen.

Tandem-

Tandem gravatum animi anxietate corpus altior ſomnus oppreſſit. Iamque luce orta duces ad accipienda imperia convenerant, inſolito circa prætorium ſilentio attoniti. Quippe aliàs accerſere ipſos, & interdum morantes caſtigare aſſueverat. Tunc ne ultimo quidem rerum diſcrimine excitatum eſſe mirabantur, & non ſomno quieſcere, ſed pavore marcere credebant. non tamen quiſquam è cuſtodibus corporis intrare tabernaculum audebat, & jam tempus inſtabat, nec miles injuſſu ducis, aut arma capere poterat, aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus, cibum ut caperent, ipſe pronuntiat. Iamque exire neceſſe erat: tunc demum intrat tabernaculum, ſæpiuſque nomine compellatum, cum voce non poſſet, tactu excitavit. *Multa lux*, inquit, *eſt. Inſtructam aciem hoſtis admovit: tuus miles adhuc inermis exſpectat imperium. Vbi eſt vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles ſoles.* Ad hæc Alexander: *Crediſne me prius ſomnum capere potuiſſe, quam exonerarem animum ſollicitudine, quæ quietem morabatur?* ſignumque pugnæ tuba dari juſſit. Et cum in eadem admiratione Parmenio perſeveraret, quod ſecurus ſomnum cepiſſet: *Minime*, inquit, *mirum eſt. Ego enim cum Darius terras ureret, vicos exſcinderet, alimenta corrumperet, potens mei non eram. Nunc vero quid metuam, cum acie decernere paret? hercule votum meum implevi, ſed hujus quoque conſilii ratio poſtea reddetur. Vos ite ad copias, quibus quiſque præeſt: ego jam adero, & quid fieri velim, exponam.* Raro admodum admonitu amicorum, cum metus diſcriminis aderat, uti ſolebat. Tum quoque munimento corporis ſumpto proceſſit ad milites. Haud alias tam

alacrem viderant Regem, & vultu ejus interrito,certam ſpem victoriæ augurabantur. Atque ille prorupto vallo exire copias jubet,aciemque diſponit. In dextero cornu locati ſunt equites, quos agema appellant. Præerat his Clytus, cui junxit Philotæ turmas, cæteroſque Præfectos equitum lateri ejus applicuit. Vltima Meleagri ala ſtabat, quam phalanx ſequebatur. Poſt phalangem Argyraſpides erant. His Nicanor Parmenionis filius præerat:in ſubſidiis cum manu ſua Cœnus. Poſt eum Horeſtes, Lynceſteſque. Poſt illosPolypercon,dux peregrini militis.Hujus agminis Amyntas princeps erat. Philagus Balacros regebat, in ſocietatem nuper aſcitos. hæc dextri cornu facies erat. In lævo Craterus Peloponnenſium equites habebat,Achæorumque, & Locrenſium, & Marcon turmis ſibi adjunctis:hos Theſſali equites claudebant, Philippo duce. peditum acies equitatu tegebatur: frons lævi cornu hæc erat. Sed ne circuiri poſſet à multitudine, ultimum agmen valida manu cinxerat.Cornua quoque ſubſidiis firmavit: non recta fronte, ſed à latere poſitis. ut ſi hoſtis circumvenire aciem tentaſſet, parata pugnæ forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus præerat,adjunctis ſagittariis Cretenſibus. Vltimos ordines avertit à fronte, ut totam aciem orbe muniret. Illyrii hic erant adjuncto milite mercede conducto. Thracas quoque ſimul objecerat leviter armatos. adeoque aciem verſatilem poſuit, ut qui ultimi ſtabant, ne circuirentur, verti tamen, & in frontem circumagi poſſent. Itaque non prima quam latera, non latera munitiora fuere,quam terga. His ita ordinatis præcipit,ut ſi falcatos currus cum fremitu Barbari emitte-

emitterent, ipſi laxatis ordinibus impetum occurrentium ſilentio exciperent: haud dubius, ſine noxa tranſcurſuros, ſi nemo ſe opponeret. Sin autem ſine fremitu immiſiſſent, eos ipſi clamore terrerent, pavidoſque equos telis utrinq; ſuffoderent. Qui cornibus præerant, extendere ea juſſi, ita ut ne circumvenirentur, ſi arctius ſtarent, nec tamen mediam aciem exinanirent. Impedimenta cum captivis inter quos mater liberique Darii cuſtodiebantur, haud procul ab acie in edito colle conſtituit; modico præſidio relicto. Lævum cornu, ſicut alias, Parmenioni tuendum datum: ipſe in dextro ſtabat. Nondum ad teli jactum pervenerant, cum Bion quidam transfuga, quanto maximo curſu poterat, ad Regem pervenit, nuncians murices ferreos in terram defodiſſe Darium, qua hoſtem equites emiſſurum eſſe credebat: notatumque certo ſigno locum, ut fraus evitari à ſuis poſſet. Aſſervari transfuga juſſo, duces convocat, expoſitoque, quod nuntiatum erat, monet ut regionem monſtratam declinent, equitemque periculum edoceant. Cæterum hoc tantus exercitus exaudire non poterat, uſum aurium intercipiente fremitu duorum agminum: ſed in conſpectu omnium, duces, & proximum quemque interequitans alloquebatur.

14. *Emenſis tot terras in ſpem victoriæ, de qua dimicandum foret, hoc unum ſupereſſe diſcrimen. Granicum hic amnem, Ciliciæq; montes, & Syriam, Ægyptumque, prætereuntibus raptas, ingentia ſpei gloriæq; incitamenta referebat. reprehenſos ex fuga Perſas pugnaturos, quia fugere non poſſent, tertium diem jam metu exſangues, armis ſuis oneratos, in eodem veſtigio hærere. nullum deſperationis illorum*

majus indicium eſſe, quam quod urbes, quod agros ſuos urerent: quidquid non corrupiſſent, hoſtium eſſe confeſſi. Nomina modo vana gentium ignotarum ne extimeſcerent: neque enim ad belli diſcrimen pertinere, qui ab his Scythæ, quive Caduſii appellentur: ob id ipſum, quod ignoti eſſent, ignobiles eſſe: nunquam ignorari viros fortes: at imbelles ex latebris ſuis erutos, nihil præter nomina afferre. Macedones virtute aſſecutos, ne quis toto orbe locus eſſet, qui tales viros ignoraret. intuerentur Barbarorum inconditum agmen: alium nihil præter jaculum habere, alium fundâ ſaxa librare. paucis juſta arma eſſe. Itaque illinc plures ſtare, hinc plures dimicaturos: nec poſtulare ſe, ut fortiter capeſſerent prælium, ni ipſe cæteris fortitudinis fuiſſet exemplum: ſe ante prima ſigna dimicaturum ſpondere: pro ſe, quot cicatrices, totidem corporis decora: ſcire ipſos, unum pene ſe prædæ communis exſortem: in illis colendis ornandiſque uſurpare victoriæ præmia. Hæc ſe fortibus viris dicere. Si qui diſſimiles eorum eſſent, illa fuiſſe dicturum: perveniſſe eo, unde fugere non poſſent. tot terrarum ſpatia emenſis, tot amnibus montibuſque poſt tergum objectis, iter in patriam & penates manu eſſe faciendum, Sic duces, ſic proximi militum inſtincti ſunt. Darius in lævo cornu erat, magno ſuorum agmine delectis equitum peditumque ſtipatus: contempſeratque paucitatem hoſtis, vanam aciem eſſe extentis cornibus ratus. Cæterum, ſicut curru eminebat, dextera lævaque ad circumſtantium agmina oculos manuſque circumferens, *Terrarum,* inquit, *quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Helleſpontus, paulo ante domini, jam non de gloria, ſed de ſalute, & quod ſaluti præponitis, de libertate pugnandum eſt. Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas,*
aut

aut conſtituet aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoſte certavimus. In Cilicia victos Syria poterat excipere. Magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum eſt eo, unde pulſis ne fugæ quidem locus eſt. Omnia tam diutino bello exhauſta poſt tergum ſunt. Non incolas ſuos urbes, non cultores habent terræ. Conjuges quoque & liberi ſequuntur hanc aciem parata hoſtibus præda, niſi pro chariſſimis pignoribus corpora opponitis. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem pene immenſa planities vix caperet, comparavi. equos, arma diſtribui. commeatus, ne tantæ multitudini deeſſent, providi. locum, in quo acies explicari poſſet, elegi. Cætera in veſtra poteſtate ſunt. audete modo vincere, famamque, infirmiſſimum adverſus fortes viros telum, contemnite. Temeritas eſt, quam adhuc pro virtute timuiſtis. quæ ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amiſſo aculeo torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes abſconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam & exhauſtam. Nam ultimi, quos locavit averſos, terga jam præbent: obteri mehercule equorum ungulis poſſunt, etiam ſi nil præter falcatos currus emiſero. & bello vicerimus, ſi vincimus prœlio. nam ne illis quidem ad fugam locus eſt. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet incluſos: & quæ antea pro illis erant, in contrarium converſa ſunt. Noſtrum mobile & expeditum agmen eſt; illud præda grave. Implicatos ergo ſpoliis noſtris trucidabimus: eademque res & cauſa victoriæ erit, & fructus. Quod ſi quem è vobis nomen gentis movet, cogitet Macedonum illic arma eſſe, non corpora. Multum enim ſanguinis invicem hauſimus, & ſemper gravior in paucitate jactura eſt. Nam Alexander quantuſcunque ignavis & timidis

midis videri poteſt, unum animal eſt, &, ſi qui mihi creditis, temerarium & vecors; adhuc noſtr pavore, quam ſua virtute, felicius. Nihil autem poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ratio. Licet felicitas aſpirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non ſufficit. Præterea breves & mutabiles vice rerum ſunt, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget. Forſitan ita Deorum fata ordinaverunt, ut Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per CCXXX annos ad ſummum faſtigium evexerant, magn motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia i proſperis rebus oblivio eſt. Modo Græcis ultro bellum inferebamus: nunc in ſedibus noſtris propulſamus illatum. Iactamur invicem varietate fortunæ Videlicet imperium, quia mutuo affectamus, una gens non capit. Cæterum ſi ſpes non ſubeſſet, neceſſita tamen ſtimulare deberet. Ad extrema perventum eſt. Matrem meam, duas filias, Ochum in ſpem hujus imperii genitum, illos principes, illam ſobolem regiæ ſtirpis, duces veſtros Regum inſtar vinctos habet. niſi quod in vobis eſt, ipſe ego majore parte captivus ſum. Eripite viſcera mea ex vinculis, reſtituite mihi pignora, pro quibus ipſe mori non recuſo. Parentem, liberos (nam conjugem in illo carcere amiſi) credite nunc omnes, tendere ad vos manus, implorare patrios Deos, opem veſtram, miſericordiam, fidem expoſcere, ut ſervitute, ut compedibus, ut precario victu ipſos liberetis. An creditis æquo animo iis ſervire, quorum Reges eſſe faſtidiunt? Video admoveri hoſtium aciem: ſed quo propius diſcrimen accedo, hoc minus his quæ dixi, poſſum eſſe contentus. Precor vos per Deos patrios, æternumque ignem, qui præfertur altaribus, fulgoremque Solis intra fines regni mei orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ad-

emptum Medis Lydiſque imperium primus in Perſidem intulit, vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Perſarum. Ite alacres & ſpe pleni, ut quam gloriam accepiſtis à majoribus veſtris, poſteris relinquatis. In dextris veſtris jam libertatem, opem, ſpem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quiſquis contempſerit: timidiſſimum quemque conſequitur. Ipſe non patrio more ſolum, ſed etiam, ut conſpici poſſim, curru vehor. Nec recuſo, quo minus imitemini me, ſive fortitudinis exemplum, ſive ignaviæ fuero.

15. Interim Alexander (ut eſt demonſtratum à transfuga) cum inſidiarum locum circumiret, & Dario, qui lævum cornu tuebatur, occurreret, agmen obliquum incedere jubet. Darius quoque eodem ſuum obvertit, Beſſo admonito, ut Maſſagetas equites in lævum Alexandri cornu invehi juberet. Ipſe ante ſe falcatos currus habebat, quos ſigno dato univerſos in hoſtem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures, nondum ſatis proviſo impetu, obtererent. Alios ergo haſtæ multum ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere demiſſæ falces laceravere. Nec ſenſim Macedones cedebant, ſed effuſa turbaverant fugâ ordines. Mazæus quoque perculſis metum incuſſit, mille equitibus ad diripienda hoſtis impedimenta circumvehi juſſis: ratus captivos quoque, qui ſimul aſſervabantur, rupturos vincula, cum ſuos appropinquantes vidiſſent. Non fefellerat Parmenionem, qui in lævo cornu erat. Propere igitur Polydamanta mittit ad Regem, qui & periculum oſtenderet, & quid fieri juberet, conſuleret. Ille audito Polydamante, *Abi, nuntia,* inquit, *Parmenioni, ſi acie vicerimus, non noſtra*

ſolum

ſolum nos recuperaturos, ſed omnia, quæ hoſtium ſunt, occupaturos. Proinde non eſt quod quidquam virium ſubducat ex acie, ſed ut me, & Philippo patre dignum eſt, contempto ſarcinarum damno, fortiter dimicet. Interim Barbari impedimenta turbaverant, cæſiſque pleriſque cuſtodum, captivi, vinculis ruptis, quidquid obvium erat, quo armari poſſent, rapiunt: & aggregati ſuorum equitibus, Macedonas ancipiti circumventos malo invadunt: lætique circa Syſigambim, viciſſe Darium, ingenti cæde proſtratos hoſtes, ad ultimum etiam impedimentis exutos nuntiant: quippe eandem fortunam ubique eſſe credebant. & victores Perſas ad prædam diſcurriſſe. Syſigambis, hortantibus captivis ut animum à mœrore allevaret, in eodem, quo antea fuit, perſeveravit. non vox ulla excidit ei: non oris color vultuſve mutatus eſt: ſed ſedit immobilis. credo præcoce gaudio verita fortunam irritare. adeo ut, quid mallet, intuentibus eam, fuerit incertum. Inter hæc Amyntas, præfectus equitum Alexandri, cum paucis turmis opem impedimentis laturus advenerat, incertum, ſuo ne conſilio, an Regis imperio: ſed non ſuſtinuit Caduſiorum Scytharumque impetum. quippe vix tentato certamine, effugit ad Regem; amiſſorum impedimentorum teſtis magis quam vindex. Iam conſilium Alexandri vicerat dolor, & ne cura recuperandi ſua militem à prœlio averteret, non immerito verebatur. Itaq; Aretem ducem haſtatorum, (Sariſſophoros vocabant,) adverſus Scythas mittit. Inter hæc currus, qui circa prima ſigna turbaverant aciem, in phalangem invecti erant. Macedones confirmatis animis

in

in medium agmen accipiunt. Vallo ſimilis acies erat. junxerant haſtas, & ab utroque latere temere incurrentium ilia ſuffodiebant: circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt. Ingens ruina equorum aurigarumq; aciem compleverat. Hi territos regere non poterant: equi crebra jactatione cervicum, non jugum modo excuſſerant, ſed etiam currus everterant: vulnerati interfectos trahebant: nec conſiſtere territi, nec progredi debiles poterant. Paucæ tamen evaſere quadrigæ in ultimam aciem; iis, quibus inciderunt, miſerabili morte conſumptis. quippe amputata virorum membra humi jacebant: & quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque, & debiles, arma tamē non omittebant. donec multo ſanguine effuſo exanimati procumberent. Interim Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiſo, gravius territis inſtabat. Supervenere deinde miſſi à Dario Bactriani, pugnęque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti ſunt: plures ad Alexandrum refugerunt. Tum Perſæ clamore ſublato, qualem victores ſolent edere, ferociter in hoſtem quaſi ubiq; profligatum, incurrunt. Alexander territos caſtigare, adhortari; prœlium, quod jam elanguerat, ſolus accendere; confirmatiſque tandem animis ire in hoſtem jubet. Rarior acies erat in dextero cornu Perſarum: namque inde Bactriani deceſſerant ad opprimenda impedimenta. Itaque Alexander laxatos ordines invadit, & multa cæde hoſtium invehitur. At qui in lęvo cornu erant Perſæ, ſpe poſſe eum includi, agmen ſuum à tergo dimicantis opponunt. Ingenſque periculum in medio

dio hȩrens adiſſet, ni equites Agriani calcaribu ſubditis, circumfuſos Regi Barbaros adorti e ſent, averſoſque cædendo in ſe obverti coëgi ſent. Turbata erat utraque acies. Alexander & à fronte & à tergo hoſtem habebat. qui averſ ei inſtabant, ab Agrianis militibus premebar tur. Bactriani, impedimentis hoſtium direpti reverſi, ordines ſuos recuperare non poterant Plura ſimul abrupta à cæteris agmina, ubicun que alium alii fors miſcuerat, dimicabant. Du Reges junctis prope agminibus prœlium accen debant. Plures Perſȩ cadebant. par ferme utrin que numerus vulnerabatur. Curru Darius, Ale xander equo vehebatur. utrumque delecti tue bantur, ſui immemores. quippe amiſſo Reg nec volebant ſalvi eſſe, nec poterant. Nam an te oculos ſui quiſque Regis mortem occumber ducebant egregium. Maximum tamen pericu lum adibant, qui maxime tuebantur: quipp ſibi quiſque cæſi Regis expetebat decus. Cæte rum, ſive ludibrium oculorum, ſive vera ſpe cies fuit, qui circa Alexandrum erant, vidiſſe ſ crediderunt paululum ſuper caput Regis plac de volantem aquilam; non ſonitu armorum non gemitu morientium territam; diuque cir ca equum Alexandri, pendenti magis quam vo lanti ſimilis, apparuit. Certe vates Ariſtande alba veſte indut⁹, & dextra præferens lauream militibus in pugnam intentis, avem monſtra vit, haud dubium victoriæ auſpicium. Ingen ergo alacritas ac fiducia paulo ante territos ac cendit ad pugnam. utique poſteaquam aurig Darii, qui ante ipſum ſedens equos regebat, ha ſta transfixus eſt. Nec aut Perſæ, aut Macedone dubitavere, quin ipſe Rex eſſet occiſus. Lugubr

erg

ergo ululatu,& incondito clamore,gemituque, totam fere aciem adhuc æquo Marte pugnantium turbavere. Cognati Darii,& armigeri, lævumque tuentes cornu, in fugam effuſi, deſtituerant currum,quem à dextera parte ſtipati in medium agmen receperunt. Dicitur acinace ſtricto Darius dubitaſſe,an fugæ dedecus honeſta morte vitaret. Sed eminens curru, nondum omnem ſuorum aciem prœlio excedentem deſtituere erubeſcebat. Dum inter ſpem & deſperationem hæſitat, ſenſim Perſæ cedebant,& laxaverant ordines. Alexander, mutato equo (quippe plures fatigaverat,) reſiſtentium ora fodiebat,fugientium terga. Iamque non pugna ſed cædes erat, cum Darius quoque currum ſuum in fugam vertit.Hęrebat in tergis fugientium victor. ſed proſpectum oculorum nubes pulveris, quæ ad cœlum ferebatur, abſtulerat. Ergo haud ſecus quam in tenebris errabant, ad ſonum nôtæ vocis ut ſignum ſubinde coëuntes. Exaudiebant tamen ſtrepitus habenarum, quibus equi currum vehentes identidem verberabantur. Hæc ſola fugientis veſtigia excepta ſunt.

16. At in lævo Macedonum cornu, quod Parmenio,ſicut ante dictum eſt, tuebatur, longe alia fortuna utriuſque partis res gerebatur. Mazęus cum omni ſuorum equitatu vehementer invectus,urgebat Macedonum alas. Iamque abundans multitudine aciem circumvehi cœperat, cum Parmenio equites nuntiare jubet Alexandro, in quo diſcrimine ipſi eſſent. niſi mature ſubveniretur, nõ poſſe ſiſti fugam. Iam multum vię proceſſerat Rex,imminens fugientium tergis, cum à Parmenione triſtis nuntius venit.

venit. refrænare equos juſſit, qui vehebantu agmenque conſtitit: frendente Alexandro, er pi ſibi victoriam è manibus, & Darium felicit fugere, quam ſequi ſe. Interim ad Mazæum ſt perati Regis fama pervenerat. Itaque quar quam validior erat, fortuna tamen partiu territus, perculſis languidius inſtabat. Parme nio ignorabat quidem cauſam ſua ſponte pu gnæ remiſſæ: ſed occaſione vincendi ſtrenu eſt uſus. Theſſalos equites ad ſe vocari jubet *Ecquid,* inquit, *videtis iſtos, qui ferociter modo in ſtabant, pedem referre ſubito pavore perterritos? Ni mirum nobis quoque Regis noſtri fortuna vinci omnia Perſarum cæde ſtrata ſunt. quid ceſſatis? a ne fugientibus quidem pares eſtis?* Vera dicere vi debatur, & ſpes languentes quoque erexerat ſubditis calcaribus proruere in hoſtem: & ill jam non ſenſim, ſed citato gradu recedebant nec quidquam fugæ, niſi quod terga nondun verterant, deerat. Parmenio tamen ignarus quænam in dextero cornu fortuna Regis eſſet repreſſit ſuos. Mazæus, dato fugæ ſpatio, nor recto itinere, ſed majore, & ob id tutiore circuitu, Tigrim ſuperat, & Babylonem cum reliquiis devecti exercitus intrat. Darius paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contenderat: quo trajecto dubitavit an ſolveret pontem: quippe hoſtem jam affore nuntiabatur. Sed tot millia ſuorum, quæ nondum ad amnem pervenerant, ponte reciſo, prædam hoſtis fore videbat. Abeuntem, cum intactum ſineret pontem, dixiſſe conſtat, Malle inſequentibus iter dare, quam auferre fugientibus. Ipſe ingens ſpatium fuga emenſus media fere nocte Arbela pervenit. Quis tot ludibria fortunæ, ducum agminumque

numque cædem multiplicem, devictorum fugam, clades nunc ſingulorum, nunc univerſorum, aut animo aſſequi queat, aut oratione complecti? Propemodum ſeculi res in unum diem fortuna cumulavit. Alii qua breviſſimum patebat iter, alii diverſos ſaltus, & ignotos ſequentibus calles petebant. Eques pedeſque confuſi ſine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde miſericordia in metum verſa, qui ſequi non poterant, inter mutuos gemitus deſerebantur. Sitis præcipue fatigatos & ſaucios exurebat, paſſimque omnibus rivis proſtraverant corpora, præterfluentem aquam hianti ore captantes. quam cum avide turbidam hauſiſſent, tendebantur extemplo præcordia premente limo: reſolutiſque & torpentibus membris, cum ſuperveniſſet hoſtis, novis vulneribus excitabantur. Quidam, occupatis proximis rivis, diverterant longius, ut, quidquid occulti humoris uſquam manaret, exciperent. Nec ulla adeo avia & ſicca lacuna erat, quæ veſtigantium ſitim falleret. E proximis vero itineri vicis ſenum ululatus fœminarumque exaudiebantur; barbaro ritu Darium adhuc Regem clamantium. Alexander, ut ſupra dictum eſt, inhibito ſuorum curſu, ad Lycum amnem pervenerat: ubi ingens multitudo fugientium oneraverat pontem, & plerique, cum hoſtis urgeret, in flumen ſe præcipitaverant, graveſque armis, & prælio ac fuga defatigati, gurgitibus hauriebantur. Iamque non pons modo fugientes, ſed ne amnis quidem capiebat, agmina ſua improvide ſubinde cumulantes. quippe ubi intravit animos pavor, id ſolum metuunt, quod primum formidare cœperunt. Alexander inſtantibus

tibus ſuis abeuntem hoſtem ſequi permitte.,
hebetia tela eſſe, & manus fatigatas, tanto e
curſu corpora exhauſta, & præceps in noct i
diei tempus, cauſatus eſt; re vera de lævo corn,
quod adhuc in acie ſtare credebat, ſollicitus,
verti ad ferendam opem ſuis ſtatuit. Iamq
ſigna converterat, cum equites à Parmenio
miſſi, illius quoque partis victoriam nuntia.
Sed nullum eo die majus periculum adiit, qua
dum copias reducit in caſtra. Pauci eum & i
compoſiti ſequebantur ovantes victoria. Qu
pe omnes hoſtes, aut in fugam effuſos, aut
acie cecidiſſe credebant. Cum repente ex a
verſo apparuit agmen equitum, qui primo inh
buere curſum: deinde, Macedonum paucita
conſpecta, turmas in obvios concitaverun
Ante ſigna Rex ibat, diſſimulato magis peric
lo, quam ſpreto. Nec defuit ei perpetua in d
biis rebus felicitas. Namque Præfectum equit
tus, avidum certaminis, & ob id ipſum inca
tius in ſe ruentem, haſta transfixit. Quo ex equ
lapſo, proximum, ac deinde plures, eodem te
confodit. Invaſere turbatos amici quoque. ne
Perſæ inulti cadebant: quippe non univerſ
acies, quam hæ tumultuariæ manus, vehemen
tius iniere certamen. Tandem Barbari, cum ob
ſcura luce fuga tutior videretur eſſe, quam pu
gna, diverſis agminibus abiere. Rex extraord
nario periculo defunctus, incolumes ſuos redu
xit in caſtra. Cecidere Perſarum, quorum nu
merum victores finire potuerunt, millia x l
Macedonum minus quam ccc. deſiderati ſunt
Cæterum hanc victoriam Rex majore ex part
virtuti, quam fortunæ ſuæ debuit: animo, non
(ut antea) loco vicit. Nam & aciem peritiſſim
inſtruxit

inſtruxit,& promptiſſime ipſe pugnavit,& magno conſilio jacturam ſarcinarum impedimentorumque contempſit,cum in ipſa acie ſummũ rei videret eſſe diſcrimen : dubioque adhuc pugnæ eventu, pro victore ſe geſſit. Perculſos deinde hoſtes fudit:fugientes, quod in illo ardore animi vix credi poteſt, prudentius quam avidius perſecutus eſt. Nam ſi, parte exercitus adhuc in acie ſtante, inſtare cedentibus perſeveraſſet, aut ſua culpa victus eſſet, aut aliena virtute viciſſet. Iam ſi multitudinem equitum occurrentium extimuiſſet, victori aut fœde fugiendum,aut miſerabiliter cadendum fuit.Nec duces quidem copiarum ſua laude fraudandi ſunt. Quippe vulnera quæ quiſque excepit, indicia virtutis ſunt. Hephæſtionis brachium haſta ictum eſt : Perdiccas, ac Cœnus,& Menidas, ſagittis prope occiſi. Et ſi vere æſtimare Macedonas, qui tunc erant, volumus ; fatebimur, & Regem talibus miniſtris, & illos tanto Rege fuiſſe digniſſimos.

Liber V.

Breviarium Libri.

1. *Dario Mediæ fines ingreſſo, Arbella potitur Alexander, & Babylone. cujus ſitus, amplitudo, & corrupti mores deſcribuntur.*

2. *Militibus præmia proponit, ut iis otium excuteret. Suſianam urbem ac regum Perſiæ theſauros recipit, & Syſigambim ſolatur.*

3. *Vxiorum regione ſuperata, Madatem præfectum ac deditos & captivos, tum libertate tum immunitate*

munitate donat : Perſidemque intrare cogitans [...] *Ariobarzane retrocedere cogitur.*

4. *Captivo quodam iter paucis cognitum* [...] *riente, Perſarum exercitum ipſo Ariobarzane* [...] *ciſo delet Alexander.*

5. *Ad Perſepolim properans captivorum G*[...] *corum* IV.M. *liberat.*

6. *Opulentiſſima Perſepoli direpta, interior*[...] *Perſidis regionem petit, ac Mardorũ domat gent*[...]

7. *Alexander in convivio, à Thaide aliiſ*[...] *caſtrenſibus ſcortis impulſus, Perſarum regiam* [...] *cendit : deinde perſequi Darium ſtatuit.*

8. *Darii, ſuos ad pugnam hortantis, oratio.*

9. *Variæ Magnatum ſententiæ, ac tumultus* [...] *Nabarzanis, qui cum Beſſo proditionis ſocietat*[...] *inierat, conſilium.*

10. *Beſſi & Nabarzanis de Dario prodendo a*[...] *occidendo nefaria deliberatio : quam miris artib*[...] *occultant.*

11. *Inſidiæ proditorum Dario aperiuntur, q*[...] *Græcorum præſens tutumque reſpuit auxilium; p*[...] *ratus perire, ſi ſalvum eſſe nollent ſui milites.*

12. *Beſſus, Darium fictis verbis & lacrym*[...] *deluſum comprehendit, aureiſque vinctum comp*[...] *dibus, in ſordido vehiculo ad Alexandrum dedu*[...] *curat.*

13. *Alexander, audito Darii periculo, ad Pe*[...] *ſarum exercitum contendit. Beſſus autem, cum pa*[...] *ricidis aliis arma vultumque metuens victoris* [...] *Darium, multis confoſſum vulneribus relinqui*[...] *fugaque ſibi conſulere conatur.*

14. *Darii corpus repertum, Alexander lacry*[...] *mis proſequitur, & ad Syſigambim ſepeliendu*[...] *mittit.*

QVA[...]

QVÆ interim ductu imperioq; Alexandri, vel in Græcia, vel, Illyriis, ac Thracia geſta ſunt, ſi quæque ſuis temporibus reddere voluero, interrumpendæ ſunt res Aſiæ, quas utiq; ad fugam mortemque Darii univerſas in conſpectum dari, & ſicut inter ſe cohærent, ita opere ipſo conjungi, haud paulo aptius videri poteſt. Igitur, quæ prœlio apud Arbela conjuncta ſunt, ordiar dicere. Darius media fere nocte Arbela pervenit, eodemque magnæ partis amicorum ejus ac militum fugam fortuna compulerat. Quibus convocatis, exponit, *haud dubitare ſe, quin Alexander celeberrimas urbes, agroſque omni copia rerum abundantes, petiturus eſſet: prædam opimam paratamque ipſum & milites ejus ſpectare. Id ſuis rebus tali in ſtatu ſaluti fore: quippe ſe deſerta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta eſſe: inde bello vires haud ægre reparaturum. Occuparet ſane gazam avidiſſima gens, & ex longa fame ſatiaret ſe auro, mox futura præda ſibi. didiciſſe uſu, pretioſam ſupellectilem, pelliceſque, & ſpadonum agmina, nihil aliud fuiſſe, quam onera & impedimenta. Eadem trahentem Alexandrum, quibus antea viciſſet, inferiorem fore.* Plena omnibus deſperationis videbatur oratio: quippe Babylonem urbem opulentiſſimam dedicernentibus. jam Suſa, jam cætera ornamenta regni, cauſamque belli, victorem occupaturum. At ille docere pergit, *non ſpecioſa dictu, ſed uſu neceſſaria in rebus adverſis ſequenda eſſe. Ferro geri bella, non auro: viris, non urbium tectis. omnia ſequi armatos. Sic majores ſuos perculſos in principio rerum, celeriter priſtinam reparaſſe fortunam.* Igitur ſive confirmatis eorum animis, ſive imperium

perium magis, quam conſilium ſequenti
Mediæ fines ingreſſus eſt. Paulo poſt Alexan
Arbela traduntur, regia ſupellectili, ditique g
repleta. Quatuor millia talentum fuere. præ
rea pretioſæ veſtes, totius (ut ſupra dictum)
exercitus opibus in illam ſedem congeſtis.
gruentibus deinde morbis, quos odor cada
rum totis jacentium campis vulgaverat, ma
rius caſtra movit. Euntibus aperit ſe à l
Arabia, odorum fertilitate nobilis regio. C
peſtre iter eſt; inter Tigrim & Euphratem t
uber & pinguis ſoli, ut à paſtu repelli pec
dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilit
eſt humor, qui ex utroque amne manat: t
fere ſolo propter venas aquarum reſudante.
amnes ex Armeniæ montibus profluunt,
magno deinde aquarum divortio iter, qu
cœpere percurrunt. Duo millia & quinge
ſtadia emenſi ſunt, qui ampliſſimum inter
lum circa Armeniæ montes notaverunt. Iid
cum Mediæ & Gordianorum terras ſecare c
perunt, paulatim in arctius coëunt: & q
longius manant, hoc anguſtius inter ſe ſpati
terræ relinquunt. Vicini maxime ſunt his ca
pi, quos incolæ Meſopotamiam appellant: M
diam namque ab utroque latere concludu
Eadem per Babyloniorum fines in Rubr
mare prorumpunt. Alexander quartis caſt
ad Mennin urbem pervenit. Caverna ibi eſt,
qua fons ingentem vim bituminis effund
adeo, ut ſatis conſtet, Babylonios muros ing
tis operis hujus fontis bitumine interlitos f
ſe. Cæterum, Babylonem procedenti Alexa
dro Mazæus, qui ex acie in urbem eam confu
rat, cum adultis liberis ſupplex occurrit; urb
ſeq

eque dedens. Gratus adventus ejus fuit Regi. uippe magni operis futura erat obſidio tam nunitæ urbis. Ad hoc vir illuſtris, & manu romptus, famaque etiam proximo prœlio ce-ebris,& cæteros ad deditionem,ſui incitaturus xemplo videbatur. Igitur hunc quidem beni-ne cum liberis excepit. Cæterum quadrato ag-nine, quod ipſe ducebat, velut in aciem irent, ngredi ſuos jubet. Magna pars Babyloniorum onſtiterat in muris; avida cognoſcendi no-um Regem. Plures obviam egreſſi ſunt. Inter uos Bagophanes,arcis & regię pecuniæ cuſtos, ne ſtudio à Mazæo vinceretur,totum iter flori-us coroniſque conſtraverat; argenteis altari-us utroque latere diſpoſitis. quæ non thure nodo, ſed omnibus odoribus cumulaverat. um dona ſequebantur, greges pecorum equo-umque: leones quoque & pardales caveis pręerebantur. Magi deinde ſuo more patrium armen canentes. Poſt hos Chaldæi, Babylo-iorumque non vates modo, ſed etiam artifi-es,cum fidibus ſui generis ibant; laudes ii Regũ anere ſoliti: Chaldæi ſiderum motus, & ſtatas emporum vices oſtendere. Equites deinde Ba-ylonii,ſuo atque equorum cultu, ad luxuriam magis quam ad magnificentiam exacto, ultimi bant. Rex armatis ſtipatus, oppidanorum tur-bam poſt ultimos pedites ire juſſit. Ipſe cum curru urbem,ac deinde regiam,intravit. Poſte-ro die ſupellectilem Darii,& omnem pecuniam recognovit. Cæterum ipſius urbis pulchritudo ac venuſtas,non Regis modo, ſed etiam omniũ oculos in ſemet haud immerito convertit. Se-miramis eam condiderat,vel(ut plerique credi-dere) Belus; cujus regia oſtenditur. Murus in-

ſtructus laterculo coctili, bitumine interlit, ſpatium xxx. & duorum pedum latitudin amplectitur. quadrigæ inter ſe occurrentes ſ periculo commeare dicuntur. Altitudo mur cubitorum eminet ſpatio. Turres denis pedib, quam murus, altiores ſunt. Totius operis a bitus CCCLVIII. ſtadia complectitur. ſingulori ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfe eſſe, memoriæ proditum eſt. Ædificia non ſi admota muris, ſed fere ſpatium unius juge abſunt. Ac ne totam quidē urbem tectis occ paverunt. per xc. ſtadia habitatur: nec om continua ſunt. credo, quia tutius viſum eſt p ribus locis ſpargi. Cætera ſerunt, coluntque: ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſ urbis ſolo ſubminiſtrent. Euphrates interflu magnæque molis crepidinibus coërcetur. S omnium operum magnitudinē circumveniu cavernæ ingentes, in altitudinem preſſæ ad cipiendum impetum fluminis: quod ubi app ſitæ crepidinis faſtigium exceſſit, urbis tec corriperet, niſi eſſent ſpecus, lacuſque, quie ciperent. Coctili laterculo ſtructi ſunt. totu opus bitumine aſtringitur. Pons lapideus, fl mini impoſitus, jungit urbem. Hic quoque int mirabilia Orientis opera numeratus eſt. quip Euphrates altum limum vehit, quo penitus fundamenta jacienda egeſto, vix fulciendo o ri firmum reperiunt ſolum. Arenæ autem ſu inde cumulatæ, & ſaxis, quibus pons ſuſtin tur, annexæ, morantur amnem: qui retent acrius, quam ſi libero curſu mearet, illiditu Arcem quoque ambitu viginti ſtadia comp xam habent: triginta pedes in terram tu rium fundamenta demiſſa ſunt. ad octogin

ſummu

ſummũ munimenti faſtigium pervenit. Super arce, vulgatum Græcorum fabulis miraculum, penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum umbra & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus ſuſtinent, inſtructæ ſunt. Super pilas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt, patiens terræ, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant: adeoque validas arborum ſuſtinent moles, ut ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æque ſint, ac ſi terra ſua alerentur. Et, cum vetuſtas non opera ſolum manu facta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat: hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt, inviolata durat: quippe viginti lati parietes ſuſtinent, undecim pedum intervallo diſtantes, ut procul viſentibus ſylvæ montibus ſuis imminere videantur. Syriæ Regem Babylone regnantem hoc opus eſſe molitum, memoriæ proditum eſt; amore conjugis victum, quæ deſiderio nemorum ſylvarumque, in campeſtribus locis virum compulit, naturæ genium amœnitate hujus operis imitari. Diutius in hac urbe quam uſquam conſtitit Rex, nec ullus locus diſciplinæ militari magis nocuit. Nihil urbis ejus corruptius moribus, nihil ad irritandas illiciendaſque immodicas voluptates inſtructius. Liberos conjugeſque cum hoſpitibus ſtupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes maritique patiuntur. Convivales ludi tota Perſide Regibus purpuratiſque cordi ſunt. Babylonii maxime in vinum, & quæ ebrietatem ſequuntur,

tur, effuſi ſunt. Fœminarum convivia ineuntium in principio modeſtus eſt habitus. dein ſumma quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant. Ad ultimum (honos auribus ſit) ima corporum velamenta projiciunt. nec meretricum hoc dedecus eſt, ſed matronarum, virorumque, apud quos comitas habetu vulgati corporis vilitas. Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Aſiæ per XXXIIII. dies ſaginatus, ad ea, quæ ſequebantur diſcrimina, hauc dubie debilior futurus fuit, ſi hoſtem habuiſſet Cæterum quo minus damnum ſentiret, identidem incremento novabatur. Namq; Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonun peditum ſex millia adduxit: CCCCC prætere ejuſdem generis equites. cum his DC. Thracas adjunctis peditibus ſuæ gentis tribus millibu & quingentis: & ex Peloponneſo mercenariu miles ad quatuor millia advenerat, cun CCCLXXX. equitibus. Idem Amyntas adduxerat quinquaginta principum Macedoniæ libe ros adultos, ad cuſtodiam corporis. quippe inter epulas hi ſunt Regis miniſtri. Iidemqu equos ineunti prœlium admovent, venantem que comitantur, & vigiliarum vices ante cub culi fores ſervant: magnorumq; Præfectorur & ducum hæc incrementa ſunt, & rudiment Igitur arci Babyloniæ Rex Agathone præſider juſſo, cum ſeptingentis Macedonum, trecer tiſque mercede conductis: Prætores, qui regio ni Babyloniæ, & civitati præeſſent, Menetam & Apollodorum reliquit. his duo millia ped tum cum mille talentis data. Vtrique præce ptum, ut in ſupplementum milites legeren Mazæum transfugam Satrapia Babyloniæ do nat

nat. Bagophanem, qui arcem tradiderat, ſequi juſſit. Armenia Mithreni Sardium proditori data eſt. Ex pecunia deinde Babyloniæ Macedonibus equitibus ſexceni denarii tributi: peregrinus eques quingenos accepit: ducenis pedeſtrium ſtipendium menſum eſt.

2. His ita compoſitis, in regionem, quæ Satrapene vocatur, pervenit: fertilis terra, copia rerum, & omni commeatu abundans. Itaque diutius ibi ſubſtitit: ac ne deſides otio demitterent animos, judices dedit, præmiaque propoſuit de virtute militari certantibus. Octo, qui fortiſſimi judicati eſſent, ſingulis militum millibus præfuturi erant. Chiliarchas vocabat, tum primum in hunc numerum copiis diſtributis. Namq; antea quinquagenariæ cohortes erant, nec fortitudinis præmia geſſerant. Ingens militum turba convenerat, egregio interfutura certamini, teſtis eadem cujuſque factorum, & de judicibus latura ſententiam: quippe verone an falſo honos cuique haberetur, ignorari non poterat. Primus omnium virtutis cauſa donatus eſt Adarchias ſenior, qui omiſſum apud Halicarnaſſon à junioribus prœlium, unus maxime accenderat: proximus ei Antigenes viſus eſt: tertium locum Philotas Angeus obtinuit: quartus Amyntæ datus eſt: poſt hos Antigonus, & ab eo Lynceſtes Amyntas fuit: ſeptimum locum Theodotus: ultimum obtinuit Hellanicus. In diſciplina quoque militaris rei pleraque à majoribus tradita, utiliter mutavit. Nam cum ante equites in ſuam quiſque gentem deſcriberentur, ſeorſum à cæteris exempto nationum diſcrimine, Præfectos non utique ſuarum gentium, ſed delectos, attribuit.

Tuba, cum caſtra movere vellet, ſignum dabat. cujus ſonus plerunque, tumultuantium fremitu exoriente, haud ſatis exaudiebatur. Ergo perticam, quæ undique conſpici poſſet, ſupra prætorium ſtatuit: ex qua ſignum eminebat pariter omnibus conſpicuum. Obſervabatur ignis noctu, fumus interdiu. Iamque Suſa adituro, Abulites regionis ejus Præfectus, ſive Darii juſſu, ut Alexandrum præda retineret, ſive ſponte, filium obviam miſit, traditurum ſe urbem promittens. benigne juvenē excepit Rex, & eo duce ad Choaſpen amnem pervenit, delicatam (ut fama eſt) vehentem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentiæ occurrit. Dromades cameli inter dona erant, velocitatis eximiæ: duodecim elephanti à Dario ex India acciti; non jam terror (ut ſperaverant) Macedonum, ſed auxilium; opes victi ad victorem transferente fortuna. Vt vero urbem intravit, incredibilem ex theſauris ſummam pecuniæ egeſſit, L millia talentûm argenti, non ſignati forma, ſed rudi pondere. Multi Reges tantas opes longa ætate cumulaverant liberis, poſteriſque, ut arbitrabantur, quas una hora in externi Regis manus intulit. Conſedit deinde in regia ſella, multo excelſiore, quam pro habitu corporis. Itaq; pedes cum imum gradum non contingerent, unus ex Regiis pueris menſam ſubdidit pedibus: & cum ſpadonem, qui Darii fuerat, ingemiſcentem conſpexiſſet Rex, cauſam mœſtitiæ requiſivit. Ille indicat, Darium veſci in ea ſolitum: ſeque ſacram ejus menſam ad ludibrium recidentem, ſine lachrymis conſpicere non poſſe. Subiit ergo Regem verecundia violandi hoſpitales Deos. Iamque ſubduci

jube-

jubebat, cum Philotas; *Minime vero hæc feceris, Rex, ſed omen quoque accipe: menſam, ex qua libavit hoſtis epulas, tuis pedibus eſſe ſubjectam.* Rex, Perſidis fines aditurus, Suſam urbem Archelao, & præſidium trium millium, tradidit. Xenophilo arcis cura mandata eſt: mille Macedonum ætate gravibus præſidere arcis cuſtodiæ juſſis. Theſaurorum Callicrati tutela permiſſa. Satrapia regionis Suſiæ reſtituta Abuliti. Matrem quoq; Darii & liberos in eadem urbe deponit. Ac forte Macedonicas veſtes, multamq; purpuram dono ex Macedonia ſibi miſſam, cum iis, qui confecerant, tradi Syſigambi juſſit. Omni namque honore eam, & filii quoque pietate proſequebatur. Admoneri juſſit, ut ſi cordi quoq; veſtis eſſet, conficere eam neptes ſuas aſſuefaceret, donoque doceret dare. Ad hanc vocem lachrymæ obortæ, prodidere animum aſpernantis id munus: quippe non aliud magis in contumeliam Perſarum fœminæ accipiunt, quam admovere lanæ manus. Nuntiant, qui dona tulerant, triſtem eſſe Syſigambim. dignaque res excuſatione & ſolatio viſa. Ipſe ergo pervenit ad eam, &, *Mater,* (inquit) *hanc veſtem qua indutus ſum, ſororum non ſolum donum, ſed etiam opus vides. Noſtri decepere me mores. Cave, obſecro, in contumeliam accipias ignorationem meam. Quæ tui moris eſſe cognovi, ut ſpero, abunde ſervata ſunt. Scio apud vos filium in conſpectu matris nefas eſſe conſidere, niſi cum illa permiſit. Quotieſcunque ad te veni, donec ut conſiderem annueres, reſtiti. Procumbens venerari me ſæpe voluiſti. inhibui. Dulciſſimæ matri Olympiadi nomen debitum, tibi reddo.*

3. Mitigato ejus animo Rex quartis caſtris

pervenit ad fluvium: Paſitigrim incolæ vocant oritur in montibus Vxiorum, & per L ſtadi ſylveſtribus ripis preceps inter ſaxa devolvitur Accipiunt deinde eum campi, quos clementio re alveo præterit, jam navium patiens. DC ſta dia ſunt mollioris ſoli, per quod leni tractu a quarum Perſico mari ſe inſinuat. Alexander amne ſuperato, cum IX millibus peditum, & Agrianis, atque Græcorum mercenariis, milli bus III, additis millibus Thracum, in regionem Vxiorum pervenit. Finitima Suſis eſt, & in pri mam Perſidem excurrit; arctum inter ſe & Su ſianos aditum relinquens. Madathes era hujus regionis Præfectus; haud ſane tempo rum homo. quippe ultima pro fide experi decreverat. Sed periti locorum Alexandrum docent, occultum iter eſſe per calles, & aver ſum ab urbe: ſi paucos miſiſſet leviter armatos ſuper capita hoſtium evaſuros. Cum conſilium placuiſſet, iidem itinerum fuerunt duces: mill & quingenti mercede conducti, & Agriani fer mille Tauroni Præfecto dati, ac poſt ſolis occa ſum iter ingredi juſſi. Ipſe tertia vigilia caſtri motis, circa lucis ortum ſuperaverat anguſtias cæſaque materia cratibus & pluteis faciendi ut qui turres admoverent, extra teli jactum eſ ſent, urbem obſidere cœpit. Prærupta eran omnia ſaxis & cotibus. Multis ergo vulneribu depulſi, ut quibus non cum hoſte ſolum, ſe etiam cum loco dimicandum eſſet, ſubibant ta men: quia Rex inter primos conſtiterat, inter rogans tot urbium victores, an erubeſcerent hærere in obſidione caſtelli exigui & ignobilis ſimul jam inter hæc eminus petebatur: cum teſtudine objecta milites, qui ut inde diſcede re

ret, perpellere nequiverant, tuebantur. Tandem Tauron ſuper arcem urbis ſe cum ſuo agmine oſtendit: ad cujus conſpectum, & animi hoſtium labare, & Macedones acrius prœlium inire cœperunt. Anceps oppidanos malum urgebat, nec ſiſti vis hoſtium poterat. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit. Magna pars in arcem conceſſit. Inde triginta oratoribus miſſis ad deprecandum; triſte reſponſum à Rege redditur, Non eſſe veniæ locum. Itaque ſuppliciorum metu perculſi, ad Syſigambim Darii matrem, occulto itinere ignotoque hoſtibus, mittunt, qui peterent, ut ipſa Regem mitigaret; haud ignari, parentis eam loco diligi colique. Et Madathes ſororis filiam ſecum matrimonio junxerat; Darium propinquâ cognatione contingens. Diu Syſigambis ſupplicũ precibus repugnavit; abnuens deprecationem pro illis convenire fortunæ, in qua eſſet: adjecitque, metuere ſeſe ne victoris indulgentiam fatigaret, ſæpiuſque cogitare, captivam eſſe ſe, quam reginam fuiſſe. Ad ultimum victa litteris, Alexandrum ita deprecata eſt, ut ipſam excuſaret, quod deprecaretur: petere ſe, ut illis quoque, ſi minus ſibi, ignoſceret. pro neceſſario ac propinquo ſuo, jam nõ hoſte, ſed ſupplice tantum, vitam precari. Moderationem clementiamque Regis, quæ tunc fuit, vel una hæc res poſſit oſtendere: non Madathi modo ignovit, ſed omnes & deditos & captivos libertate atq; immunitate donavit: urbem reliquit intactam: agros ſine tributo colere permiſit. A victore Dario plura mater non impetraſſet. Vxiorum deinde gentem ſubactam, Suſianorum Satrapiæ contribuit: diviſiſque cum

Parmenione copiis, illum campeſtri itinere procedere jubet: ipſe cum expedito agmine jugum montium cepit, quorum perpetuum dorſum in Perſidem excurrit. Omni hac regione vaſtata, tertio die Perſidem, quinto anguſtias (quas illi Suſidas Pylas vocant) intrat. Ariobarzanes has cum quindecim millibus peditum occupaverat; rupes abſciſſas, & undique præruptas. in quarum cacuminibus extra teli jactum Barbari ſtabant: de induſtria quieti, & paventibus ſimiles, donec in arctiſſimas fauces penetraret agmen. Quod ubi contemptu ſui pergere vident, tum vero ingentis magnitudinis ſaxa per montium prona devolvunt, quæ incuſſa ſæpius ſubjacentibus petris, majore vi incidebant: nec ſingulos modo, ſed agmina proterebant. Fundis quoque excuſſi lapides, & ſagittæ, ingerebantur undique. Nec id miſerrimum fortibus viris erat, ſed quod inulti, ferarum ritu, velut in fovea deprehenſi, cæderentur. Ira igitur in rabiem verſa, eminentia ſaxa complexi, ut ad hoſtem perveniant, alius alium levantes conabantur aſcendere, ea ipſa multorum ſimul manibus correpta, & convulſa, in eos, qui commoverant, recidebant. Nec ſtare ergo, nec niti, nec teſtudine quidem protegi poterant, cum tantæ molis onera propellerent Barbari. Regem non dolor modo, ſed etiam pudor temere in illas anguſtias conjecti exercitus angebat. Invictus ante eam diem fuerat, nihil fruſtra auſus: impune Ciliciæ fauces intraverat, mari quoque novum iter in Pamphyliam aperuerat. Tunc hæſitabat deprehenſa felicitas, nec aliud remedium erat, quam reverti, qua venerat. Itaque ſigno receptui dato, denſati-

ſatis agminibus, ſcutiſque ſuper capita conſertis, retro evadere Rex ex anguſtiis jubet: triginta fuere ſtadia, quæ remenſi ſunt.

4. Tum caſtris undique aperto loco poſitis, non conſultare modo quid agendum eſſet, ſed vates quoque adhibere cœpit à ſuperſtitione animi. Sed quid tunc prædicere Ariſtander, cui tum plurimum credebatur ex vatibus, poterat? Itaque damnatis intempeſtivis ſacrificiis, peritos locorum convocari jubet. Medium iter oſtendebant, tutum apertumque: ſed Rex dimittere milites inſepultos erubeſcebat, ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam ſolenne eſſet munus, quam humandi ſuos. Captivos ergo, quos nuper exceperat, vocari jubet: inter quos erat quidam, Græcæ Perſicæque linguæ peritus, qui fruſtra eum in Perſidem montium dorſo exercitum ducere affirmat: ſylveſtres eſſe calles, vix ſingulis pervios, omnia contegi frondibus, implexoſque arborum ramos ſylvas committere. Namque Perſis ab altero latere perpetuis montium jugis clauditur, quod in longitudinem M. D. C. ſtadia, in latitudinem C L X X. procurrit. Hoc dorſum à Caucaſo monte ad Rubrum mare pertinet: quaque deficit mons, aliud munimentum, fretum, objectum eſt. Planities deinde ſub radicibus montium ſpatioſa procumbit: fertilis terra, multiſque vicis atque urbibus frequens. Araxes amnis per hos campos multorum aquas torrentium evolvit in Medum. Medus à mari, ad meridiem verſus, minor amnis eo, quem recipit, evehitur: gignendæque herbæ non alius eſt aptior; quidquid alluit, floribus veſtiens. Platani quoque & populi contegunt ripas, ita ut procul viſentibus con-

continuata videanturmontibusnemora riparum. Quippe obumbratus amnis, preſſo in ſolum dilabitur alveo: imminentque colles, ipſi quoque frondibus lætis radices humore ſubeunte. Regio non alia totâ Aſiâ ſalubrior habetur: temperatum cœlum. hinc perpetuum jugum opacum & umbroſum, quod æſtus levat: illinc mare adjunctum, quod modico tepore terras fovet. His expoſitis, captivus interrogatus à Rege, auditune an oculis comperta haberet, quæ diceret: paſtorem ſe fuiſſe, & omnes eos calles percurriſſe reſpondit; bis captum, ſemel à Perſis in Lycia, iterum ab ipſo. Subit animum memoria Regis oraculo editæ ſortis. Quippe conſulenti reſponſum erat, ducem in Perſidem ferentis viæ Lycium civem fore. Igitur promiſſis, quanta & præſens neceſſitas exigebat, & ipſius fortuna capiebat, oneratum, armari jubet Macedonum more. & quod bene verteret, monſtraret iter. quamvis arduum & præceps, evaſurum ſe eſſe cum paucis: niſi forte crederet, quo ipſe pecoris cauſa iſſet, Alexandrum pro gloria, & perpetua laude ire non poſſe. etiam atque etiam docere captivus, quam difficile iter eſſet, maxime armatis. Tum Rex, Prædem me, inquit, accipe, neminem eorum, qui ſequuntur, recuſaturum ire, qua duces. Cratero igitur ad cuſtodiam caſtrorum relicto, cum peditibus, queis aſſueverat, & iis copiis, quas Meleager ducebat, & ſagittariis ducentis, & equitibus mille, præcepit, ut caſtrorũ ſpecie manente, plures de induſtria ignes fieri imperaret, quo magis Barbari crederent ipſum Regem in caſtris eſſe. Cæterum, ſi forte Ariobarzanes cognoviſſet, per callium anfractus

eum

eum intrare, & ad occupandum iter ſuum partem copiarum tentaſſet opponere; Craterus eum illato terrore retineret ad propius periculum converſurum agmen. Sin autem ipſe hoſtem fefelliſſet, & ſaltum occupaſſet, cum trepidantium Barbarorum tumultum exaudiſſet, perſequentium Regem, id ipſum iter, quo pridie pulſi fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe vacuum fore, hoſtibus in ſemet averſis. Ipſe tertia vigilia, ſilenti agmine, ac ne tuba quidem dato ſigno, pergit ad demonſtratum iter callium. Tridui alimenta portare militem juſſerat leviter armatum. Sed præter invias rupes, ac prærupta ſaxa, veſtigium ſubinde fallentia, nix cumulata, vento ingredientes fatigabat. Quippe velut in foveas delati hauriebantur, & cum à commilitonibus levarentur, trahebant magis adjuvantes, quam aſſequebantur. Nox quoque, & ignota regio, ac dux, incertum, an ſatis fidus, multiplicabant metum. ſi cuſtodes fefelliſſent, quaſi feras beſtias ipſos poſſe deprehendi. Ex unius captivi vel fide vel anima, pendere & Regis ſalutem & ſuam. Tandem venere in jugum. A dextera iter ad ipſum Ariobarzanem erat, hic Philotam & Cœnum cum Amynta & Polyperconte, expeditam habentes manum, reliquit; monitos ut, quia eques pediti erat mixtus; & quam pinguiſſimum eſſet ſolum, & pabuli fertile, ſenſim procederent. Duces erant itineris de captivis dati. Ipſe cum armigeris, & ala, quam Agema appellant, ardua ſemita, ſed longius à ſtationibus hoſtium remota, multa cum vexatione proceſſit. Medius erat dies, & fatigatis neceſſaria quies. Quippe tantundem itineris ſupererat, quantum emenſi erant, ſed

minus

minus præcipitis atque ardui. Ita refectis cibo ſomnoque militibus, ſecunda vigilia ſurgit, & cætera quidem haud ægre præteriit. Cæterum, qua ſe jugum montium paulatim ad planiora demittit, ingens vorago concurſu cavata torrentium, iter ruperat. Ad hæc arborum rami alius alio implicati & coëuntes, ut perpetuam objecerant ſepem. Deſperatio igitur ingens, adeo ut vix lachrymis abſtinerent, inceſſerat. Præcipue obſcuritas terrori erat. Nam etiam ſi qua ſidera internitebant, continenti fronde tectæ arbores conſpicere prohibebant. Ne aurium quidem uſus ſupererat: ſilvas quatiente vento, quæ concutientibus ramis majorem quam pro flatu ſonum reddebant. Tandem exſpectata lux omnia, quæ terribiliora nox fecerat, minuit. Circuiri brevi ſpatio poterat eluvies, & ſibi quiſque dux itineris cœperat fieri. Evadunt ergo in editum verticem, ex quo hoſtium ſtatione conſpecta, ſtrenue armati à tergo ſe oſtendunt: nihil tale metuentibus. Quorum pauci, qui congredi auſi erant, cæſi ſunt. Itaque hinc morientium gemitus, hinc ad ſuos recurrentium miſerabilis facies, integros quoque, anteaquam diſcrimen experirentur, in fugam avertit. Fremitu deinde in caſtra, queis Craterus præerat, illato, ad occupandas anguſtias, in quibus pridie hæſitarat, miles educitur. Simul & Philotas cum Polyperconte Amyntaque & Cœno, diverſum iter ingredi juſſus, alium terrorem intulit Barbaris. Ergo undique Macedonum armis fulgentibus, ancipiti malo oppreſſi memorabile tamen prœlium edunt. ut opinor ignaviam quoque neceſſitas acuit, & ſæpe deſperatio, ſpei cauſa eſt. Nudi complectebantur

armatos

armatos, & ingenti corporum mole ſecum ad terram detrahentes, ipſorum telis pleroſque fodiebant. Ariobarzanes tamen XL. ferme equitibus, & quinque millibus peditum ſtipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo ſuorum atque hoſtium ſanguine erupit; Perſepolim urbem caput regionis occupare feſtinans. Sed à cuſtodibus urbis excluſus, conſecutis ſtrenue hoſtibus, cum omnibus fugæ comitib⁹, renovato prœlio cecidit. Craterus quoque raptim agmine acto ſupervenit.

5. Rex eodem in loco, quo hoſtium copias fuderat, caſtra communit. quanquam enim undique fugati hoſtes victoriam conceſſerant, tamen prææltæ præcipiteſque foſſæ, pluribus locis objectæ, abruperant iter, ſenſimque & caute progrediendum erat; jam non hoſtium, ſed locorum fraude ſuſpecta. Procedenti ei litteræ redduntur à Tyridate cuſtode regiæ pecuniæ; indicantes, eos, qui in urbe eſſent, audito ejus adventu, diripere velle theſauros: properaret occupare: expeditum iter eſſe, quanquam Araxes amnis interfluat. Nullam virtutem Regis iſtius magis, quam celeritatem laudaverim: relictis enim pedeſtribus copiis, tota nocte cum equitibus itineris tanto ſpatio fatigatis ad Araxem prima luce pervenit. Vici erant in propinquo: quibus direptis ac dirutis, pontem ex materia eorum ſubditis ſaxis ſtrenue induxit. Iamque haud procul urbe erant, cum miſerabile agmen, inter pauca fortunæ exempla memorandum, Regi occurrit. Captivi erant Græci ad quatuor millia fere, quos Perſæ vario ſuppliciorum modo affecerant. Alios pedibus, quoſdam manibus auribuſque amputatis, inuſtiſque Barba-

Barbararum literarum notis, in longum ſui lu-dibrium reſervaverant, & cum ſe quoque alie-næ ditionis eſſe cernerent, volentes Regi occur-rere non prohibuerant. Inuſitata ſimulacra, non homines videbantur, nec quidquam in illis præter vocem poterat agnoſci. Plures igitur la-chrymas commovere, quam profuderant ipſi: quippe in tam multiplici variaque fortuna ſin-gulorum, intuentibus ſimiles quidem, ſed ta-men diſpares pœnas, quis maxime miſerabilis eſſet, liquere non poterat. Vt vero Iovem illi tandem Græciæ ultorem aperuiſſe oculos con-clamavere, omnes pari ſupplicio affecti ſibi vi-debantur: Rex, abſterſis quas profuderat la-chrymis, bonum habere animum jubet; viſuros urbes ſuas, conjugeſque: & caſtra inde duo ab urbe ſtadia communit. Græci exceſſerant val-lo, deliberaturi, quid potiſſimum à Rege pete-rent. Cumque aliis ſedes in Aſia rogare, aliis re-verti domos placeret: Euctemon ita locutus ad eos fertur: *Nos, qui modo ad opem petendam ex te-nebris & carcere procedere erubuimus, ut nunc eſt ſupplicia noſtra, quorum nos pudeat magis, an pœ-niteat, incertum eſt, oſtentare Græciæ velut lætum ſpectaculum cupimus. Atqui optime miſerias fe-runt, qui abſcondunt: nec ulla eſt tam familiaris infelicibus patria, quam ſolitudo, & ſtatus prioris oblivio. Nam qui multum in ſuorum miſericordia ponunt, ignorant quam celeriter lachrymæ inare-ſcant. Nemo fideliter diligit, quem faſtidit: nam & calamitas querula eſt, & ſuperba felicitas. Ita ſuam quiſque fortunam in conſilio habet, cum de aliena deliberat: & niſi mutuo eſſemus miſeri, olim alius alii potuiſſemus eſſe faſtidio. Quid mirum eſt, for-tunatos ſemper parem quærere? Obſecro vos, olim*

vitæ

vita defuncti, quæramus locum, in quo hæc ſemeſa membra obruamus, ubi horribiles cicatrices celet exilium. Ingrati prorſus conjugibus, quas juvenes duximus, revertemur. Liberi in flore & ætatis & rerum, & fratres agnoſcent ergaſtuli detrimenta: & quota pars noſtri tot obire terras poteſt? procul Europa in ultima Orientis relegati, ſenes, debiles, majore membrorum parte mutilati, tolerabimus ſcilicet quæ armatos & victores fatigaverunt? Conjuges deinde, quas captis ſors & neceſſitas unicum ſolatium applicuit parvoſque liberos, trahimus nobiſcum, an relinquimus? Cum his venientes nemo agnoſcere volet. Relinquemus ergo extemplo præſentium pignora, cum incertum ſit, an viſuri ſimus ea quæ petimus? Inter hos latendum eſt, qui nos miſeros noſſe cœperunt. Hæc Euctemon. Contra Theætetus Athenienſis orſus eſt dicere: *Neminem pium habitu corporis ſuos æſtimaturum; utique ſævitia hoſtis, non natura, calamitoſos. Dignum eſſe omni malo, qui erubeſceret fortuita: triſtem eum de mortalitate ferre ſententiam, & deſperare miſericordiam, quam ipſe alteri denegaturus ſit. Deos (quod ipſi nunquam auſi optare forent) offerre patriam, conjuges, liberos, & quidquid homines vel vita æſtimant, vel morte redimunt. Quin illi ex hoc carcere erumperent, alium domi eſſe cœli hauſtum, alium lucis aſpectum. Mores, ſacra, linguæ commercium etiam à Barbaris expeti, quæ ingentia ipſi omiſſuri ſint ſua ſponte, non ob aliud tam calamitoſi, quam quod illis carere coacti eſſent. Se certe rediturum ad penates, & in patriam, tantoque beneficio Regis uſurum. Si quos contubernii, liberorumque, quos ſervitus coëgiſſet agnoſcere, amor detineret, relinquerent, quibus nil patria charius eſt.* Pauci hujus ſententiæ fuere. Ceteros conſuetudo, natura potentior,

potentior, vicit. Conſenſerunt, petendum eſſ
à Rege, ut aliquam ipſis attribueret ſedem. Cen
tum ad hoc lecti ſunt; quos Alexander ratus
quod ipſe præſtare cogitabat, petituros, *Iumen
ta,* inquit, *aſsignari, quæ vos veherent, & ſinguli
veſtrum mille denariûm dari juſsi. Cum redieriti
in Græciam, præſtabo, ne quis ſtatum ſuum, ſi hæ
calamitas abſit, veſtro credat eſſe meliorem.* Illi, ob
ortis lachrymis, terram intuebantur, nec au
erigere vultus, aut loqui audebant. Tanden
Rege triſtitiæ cauſam exigente, Euctemon ſimi
lia iis, quæ in conſilio dixerat, reſpondit. Atqu
ille, non fortunæ ſolum eorum, ſed etiam pœ
nitentiæ miſertus, terna millia denariûm ſin
gulis dari juſſit. Denæ veſtes adjectæ ſunt, & ar
menta cum pecoribus ac frumento data, ut co
li ſerique attributus iis ager poſſet.

6. Poſtero die convocatos duces copiarun
docet, nullam infeſtiorem urbē Græcis eſſe, qu
regiam veterum Perſidis Regum. Hinc illa im
menſa agmina infuſa: hinc Darium prius, dein
de Xerxem, Europæ impium intuliſſe bellum
Excidio illius parentandū eſſe majoribus. Iamq
Barbari, deſerto oppido, qua quemque metu
agebat, diffugerant. Cum Rex phalangem ni
cunctatus inducit. Multas urbes refertas opu
lentia regia partim expugnarat: partim in fiden
acceperat. Sed urbis hujus divitiæ vicere præte
rita. in hanc totius Perſidis opes congeſſeran
Barbari: aurum, argentumq; cumulatum erat
veſtis ingens modus: ſupellex, non ad uſum mo
do, ſed ad oſtentationem luxus comparata. Ita
que inter ipſos victores ferro dimicabatur. pro
hoſte erat, qui pretioſiorem occupaverat præ
dam. Et cum omnia, quæ reperiebantur, caper
noı

nonpoſſent (nam res non occupabantur, ſed æſtimabantur) lacerabant regias veſtes, ad ſe quiſque partem trahentes: dolabris pretioſæ artis vaſa cædebant: nihil neque intactum erat, nec integrum ferebatur. Abrupta ſimulacrorum membra ut quiſque avellerat, trahebat: neque avaritia ſolum, ſed etiam crudelitas, in capta urbe graſſata eſt. Auro argentoque onuſti, vilia captivorum corpora trucidabant, paſſimque obvii cædebantur, quos antea pretium ſui miſerabiles fecerat. Multi ergo hoſtium manus voluntaria morte occupaverunt, pretioſiſſima veſtium induti: è muris ſemetipſos cum conjugibus ac liberis in præceps jactantes. Quidam ignes, quod paulo poſt facturus hoſtis videbatur, ſubjecerant ædibus, ut cum ſuis vivi cremarentur. Tandem ſuis Rex corporibus, & cultu fœminarum abſtinere juſſit. Ingens pecuniæ captivę modus traditur, prope ut fidem excedat. Cæterum aut de aliis quoque dubitamus, aut credimus in hujus urbis gaza fuiſſe c. & xx. millia talenta. ad quæ vehenda (namque ad uſus belli ſecum portare decreverat) jumenta & camelos à Suſis & Babylone contrahi juſſit. Acceſſère ad hanc pecuniæ ſummam captis Paſergadis ſex millia talentorum. Cyrus Paſergadum urbem condiderat, quam Alexandro Præfectus ejus Globares tradit. Rex arcem Perſepolis, tribus millibus Macedonum præſidio relictis, Nicarthiden tueri jubet. Tyridati quoque, qui gazam tradiderat, ſervatus eſt honos quem apud Darium habuerat, magnaque exercitus parte, & impedimentis ibi relictis, Parmenionem, Craterumq; præfecit. Ipſe cum mille equitibus, peditumque expedita manu, interiorem

Perſidis

Perſidis regionem,ſub ipſum Vergiliarum ſyd
petiit: multiſque imbribus & propè intolerab
tempeſtate vexatus,procedere tamé,quo inte
derat,perſeveravit. Ventum erat ad iter perp
tuis obſitum nivibus, quas frigoris vis ge
aſtrinxerat. Locorum ſqualor & ſolitudines i
viæ fatigatum militem terrebant, humanaru
rerum terminos ſe videre credentem. Omn
vaſta, atque ſine ullo humani cultus veſtigi
attoniti intuebantur: & antequam lux quoq
& cœlum ipſos deficerét, reverti jubebant. Re
caſtigare territos ſuperſedit. Cæterum ipſe equ
deſiliit, pedeſque per nivem & concretam gl
ciem ingredi cœpit. Erubuerunt non ſequi pr
mum amici, deinde copiarum duces, ad ult
mum milites. Primuſque Rex dolabra glacier
perfringens, iter ſibi fecit. Exemplum Regis ca
teri imitati ſunt. Tandem propemodum invia
ſylvas emenſi, humani cultus rara veſtigia, &
paſſim errantes pecorum greges reperere: & in
colæ, qui ſparſis tuguriis habitabant, cum ſe ca
libus inviis ſeptos eſſe crediđiſſent, ut conſpe
xere hoſtium agmen, interfectis, qui fugiente
ſequi non poterant, devios montes & obſito
nivibus petiverunt. Inde per colloquia captivo
rum paulatim feritate mitigata, tradidere ſe Re
gi. nec in deditos gravius conſultum. Vaſtati
deinde agris Perſidis, viciſque compluribus re
dactis in poteſtatem, ventum eſt in Mardo-
rum gentem bellicoſiſſimam, & multum à cæ-
teris Perſis cultu vitæ abhorrentem. Specus in
montibus fodiunt, in quos ſe, ac conjuges, & li-
beros condunt. Pecorum aut ferarum carne
veſcuntur. Nec fœminis quidem pro naturæ
habitu molliora ingenia ſunt. Comæ promi-
nent

nent hirtæ, veſtis ſuper genua eſt, funda vinciunt frontem: hoc & ornamentum capitis, & telum eſt. Sed hanc quoque gentem idem fortunę impetus domuit. Itaque trigeſimo die, poſteaquam à Perſepoli profectus erat, eodem rediit. Dona deinde amicis cæteriſque pro cujuſque merito dedit. Propemodum omnia, quæ in ea urbe ceperat, diſtributa.

7. Cæterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendiſque velocitatem, in deditos fidem, in captivos clementiam, in voluptatibus permiſſis quoque & uſitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdavit. Hoſte, & æmulo regni reparante tum cum maxime bellum, nuper ſubactis, quos vicerat, novumque imperium aſpernantibus, de die inibat convivia, quibus fœminæ intererant: non quidem quas violare nefas eſſet, quippe pellices, licentiꝰ quam decebat, cum armato vivere aſſuetæ. Ex his una Thais, & ipſa temulenta, maximam apud omnes Græcos initurum gratiam affirmat, ſi regiam Perſarum juſſiſſet incendi: exſpectare hoc eos, quorum urbes Barbari deleſſent. Ebrio ſcorto de tanta re referenti ſententiam, unus & alter, & ipſi mero onerati, aſſentiuntur. Rex quoq; fuit avidior, quam patientior. Quin igitur ulciſcimur Græciam, & urbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero. Itaque ſurgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus Rex ignem regiæ injecit. tum convivæ, & miniſtri, pelliceſque. Multa cedro ædificata erat regia, quæ celeriter igne concepto late fudit incendium. Quod ubi exercitus,

tus, qui haud procul urbe tendebat, conſpexi fortuitum ratus, ad opem ferendam concurri Sed ut ad veſtibulum regiæ ventum eſt, vider Regem ipſum adhuc aggerentem faces. Omiſi igitur, quam portaverant, aqua, aridam mate riam in incendium jacere cœperunt. Hunc ex tum habuit regia totius Orientis, unde tot gen tes ante jura petebant, patria tot Regum, uni cus quondam Græciæ terror, molita mille na vium claſſem, & exercitus, quibus Europa inun data eſt, contabulato mari molibus, perfoſſiſq montibus, in quorum ſpecus fretum immiſſun eſt. Ac ne longa quidem ætate, quæ excidiun ejus ſecuta eſt, reſurrexit. Alias urbes habuer Macedonum Reges, quas nunc habent Parthi Hujus veſtigium non inveniretur, niſi Araxe amnis oſtenderet. Haud procul mœnibus fluxerat: inde urbem fuiſſe xx. ſtadiis diſtanten credunt magis, quam ſciunt accolæ. Pudeba Macedones tam præclaram urbem à comeſſabundo Rege deletam eſſe. Itaque res in ſerium verſa eſt, & imperaverunt ſibi, ut crederent illo potiſſimum modo fuiſſe delendam. Ipſum ut primum gravatam ebrietate mentem quie reddidit, pœnituiſſe conſtat, & dixiſſe: Majores pœnas Perſas Græcis daturos fuiſſe, ſi ipſum in ſolio, regiaque Xerxis conſpicere coacti eſſent. Poſtero die Lycio, itineris, quo Perſidem intraverat, duci, triginta talenta dono dedit. Hinc in regionem Mediæ tranſiit, ubi ſupplementum novorum militum è Cilicia occurrit. Peditum erant quinque millia, equites mille: utriſque Plato Athenienſis præerat. His copiis auctus, Darium perſequi ſtatuit.

8. Ille

8. Ille jam Ecbatana pervenerat, caput Mediæ. Vrbem hanc nunc tenent Parthi: eaque æſtiva agentibus ſedes eſt. Adire deinde Bactra decreverat: ſed veritus ne celeritate Alexandri occuparetur, conſilium iterque mutavit. Aberat ab eo Alexander ſtadia M.D. ſed jam nullum intervallum adverſus celeritatem ejus ſatis longum videbatur. Itaque prœlio magis quam fugæ ſe præparabat. Triginta millia peditum ſequebantur: in quibus Græcorum erant quatuor millia; fide erga Regem ad ultimum invicta. Funditorum quoque & ſagittariorum manus quatuor millia expleverat. Præter hos tria millia & CCC equites erant, maxime Bactrianorum. His Beſſus præerat, Bactrianæ regionis Præfectus. Cum hoc agmine Darius paulum declinavit via militari, juſſis præcedere lixis impedimentorum cuſtodibus. Conſilio deinde advocato, *Si me cum ignavis*, inquit, *& pluris qualemcunque vitam morte honeſta æſtimantibus fortuna junxiſſet, tacerem potius, quam fruſtra verba conſumerem. ſed majore quam vellem documento, & virtutem veſtram & fidem expertus, magis etiam conniti debeo, ut dignus talibus amicis ſim, quam dubitare an veſtri ſimiles adhuc ſitis. Ex tot millibus, quæ ſub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugientem perſecuti eſtis. Fides veſtra, & conſtantia, ut Regem me eſſe credam facit. Proditores & transfugæ in urbibus meis regnant, non hercule, qui tanto honore digni habeantur, ſed ut præmiis eorum veſtri ſollicitentur animi. Meam tamen fortunam quam victoris maluiſtis ſequi: digniſſimi, quibus, ſi ego non poſſim, Dii pro me gratiam referant, & mehercule referent. Nulla erit tam ſurda poſteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non*

non in cœlum vos debitis laudibus ferat. Itaq
etiamſi conſilium fugæ, à qua multum abhorret
nimus, agitaſſem, veſtra tamen virtute fretus, o
viam iſſem hoſti. Quouſque enim in regno exſu
bo, & per fines imperii mei fugiam externum & a
venam Regem, cum liceat experto belli fortun
aut reparare quæ amiſi, aut honeſta morte defi
gi? niſi forte ſatius eſt exſpectare victoris ar
trium, & Mazæi, & Methrenis exemplo, pre
rium accipere regnum nationis unius. ut jam m
ille gloriæ ſuæ, quam iræ obſequi. Nec Dii ſiveri
ut hoc decus mei capitis, aut demere mihi qu
quam, aut condonare poſſit. nec hoc imperium
vus amittam. idemque erit regni mei, qui & ſp
tus finis. Si hic animus, ſi hæc lex, nulli non pa
libertas eſt: nemo è vobis faſtidium Macedonu
nemo vultum ſuperbum ferre cogetur. Sua cui
dextera aut ultionem tot malorum pariet, au
nem. Equidem quam verſabilis fortuna ſit, do
mentum ipſe ſum. Nec immerito mitiores v s
ejus exſpecto. Sed ſi juſta ac pia bella Dii averſ
tur, fortibus tamen viris licebit honeſte mori.
ego vos decora majorum, qui totius Orientis re
cum memorabili laude tenuerunt, per illos vi
quibus ſtipendium Macedonia quondam tulit,
tot navium claſſes in Græciam miſſas, per tot t
phæa Regum, oro, & obteſtor, ut nobilitate veſ
gentiſque dignos ſpiritus capiatis, ut eadem c
ſtantia animorum, qua præterita toleraſtis, ex
riamini quidquid deinde fors tulerit. Me cert
perpetuum, aut victoria egregia nobilitabit,
pugna.

9. Hæc dicente Dario, præſentis periculi ſ
cies omnium ſimul corda animoſque horr
perſtrinxerat: nec aut conſilium ſuppeteb

aut vox; cum Artabazus vetuſtiſſimus amicorum, quem hoſpitem fuiſſe Philippi ſæpe diximus, *Nos vero*, inquit, *pretioſiſſimam veſtem induti, armiſque quanto maximo cultu poſſumus, adornati, Regem in aciem ſequemur. ea quidem mente victoriam ut ſperemus, mortem non recuſemus.* Aſſenſu excepere cæteri hanc vocem. Sed Nabarzanes, qui in eodem conſilio erat cum Beſſo, inauditi antea facinoris ſocietate inita, Regem ſuum per milites, quibus ambo præerant, comprehendere & vincire decreverant: ea mente, ut ſi Alexander ipſos inſecutus foret, tradito Rege vivo, inirent gratiam victoris; magni profecto cepiſſe Darium æſtimaturi. Sin autem eum effugere potuiſſent, interfecto Dario, regnum ſibi occuparent, bellumque renovarent. Hoc parricidium cum diu volutaſſent, Nabarzanes aditum nefariæ ſpei præparans, *Scio me*, inquit, *ſententiam eſſe dicturum prima ſpecie hau dquaquam auribus tuis gratam: ſed medici quoque graviores morbos aſperis remediis curant: & gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quidquid ſervari poteſt, redimit. Ego tamen, non ut damnum quidem facias, ſuadeo; ſed ut te ac regnum tuum, ſalubri ratione conſerves. Diis averſis bellum inimus, & pertinax fortuna Perſas urgere non deſinit. Novis initiis & ominibus opus eſt. Auſpicium & imperium alii trade interim, qui tam diu Rex appelletur, donec Aſia decedat hoſtis. Victor deinde regnum tibi reddat: hoc autem brevi futurum ratio promittit. Bactra intacta ſunt: Indi & Sagæ in tua poteſtate: tot populi, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renovandum bellum vires paratas habent, ut major belli moles ſuperſit, quam exhauſta ſit. Quid rnimus belluarum ritu*

ritu in perniciem non neceſſariam? Fortium viro rum eſt, magis mortem contemnere, quam odiſſ vitam. Sæpe tædio laboris ad vilitatem ſui compel luntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit Itaque ultimum omnium mors eſt, ad quam noi pigre ire ſatis eſt. Proinde ſi Bactra, quod tutiſſi mum receptaculum eſt, petimus, Præfectum regio nis ejus Beſſum, Regem temporis gratia ſtatuamus Compoſitis rebus, juſto Regi tibi fiduciarium reſti tuet imperium. Haud mirum eſt, Darium noi temperaſſe animo: quanquam tam impiæ vo ci quantum nefas ſubeſſet, latebat. Itaque *Peſſimum*, inquit, *mancipium, reperiſti optatum tibi tempus, quo parricidium aperires?* ſtrictoqu acinace interfecturus videbatur, ni proper Beſſus Bactrianique, triſtium ſpecie, cæterun ſi perſeveraret, vincturi circumſtetiſſent: Na barzanes interim elapſus, mox & Beſſus con ſecutus, copias, quibus præerant, à cæter exercitu ſecedere jubent; ſecretum inituri con ſilium. Artabazus convenientem præſenti for tunæ ſententiam orſus, mitigare Darium, tem porum identidem admonens, cœpit. *Ferre æquo animo qualiumcunque, ſuorum tamen, ve ſtultitiam, vel errorem. Inſtare Alexandrum, gra vem etiam ſi omnes præſto eſſent; quid futurum ſi perſecuti fugam ipſius, alienentur à Rege?* Ea r paruit Artabazo, & quanquam movere caſtr ſtatuerat, turbatis tamen omnium animis, eo dem in loco ſubſtitit. Sed attonitus mœſtiti ſimul & deſperatione, tabernaculo ſe incluſit Ergo in caſtris, quæ nullius regebantur impe rio, varii animorum motus erant: nec in com mune, ut antea, conſulebatur. Dux Græco rum militum Patron arma capere ſuos jubet

para

paratoſque eſſe ad exſequendum imperium. Perſæ ſeceſſerant. Beſſus cum Bactrianis erat, tentabatque Perſas adducere, Bactra,& intactæ regionis opulenta, ſimulque quæ manentibus inſtarent pericula, oſtentans. Perſarũ omnium eadem fere fuit vox, nefas eſſe deſeri Regem. Inter hæc Artabazus omnibus imperatoriis fungebatur officiis. Ille Perſarum tabernacula circuire, hortari, monere nunc ſingulos nunc univerſos, non ante deſtitit, quam ſatis conſtaret imperata facturos. Idem ægre à Dario impetravit, ut cibum caperet, animumque Regis.

10. At Beſſus & Nabarzanes,olim agitatum ſcelus exſequi ſtatuunt, regni cupiditate accenſi. Dario autem incolumi tantas opes ſperare non poterant. Quippe in illis gentibus Regum eximia majeſtas eſt. ad nomen quoque Barbari conveniunt, & priſtinæ veneratio fortunæ ſequitur adverſam. Inflabat impios animos regio cui præerant, armis, viriſque, & ſpatio locorum nulli earum gentium ſecunda. Tertiam partem Aſiæ tenet. Multitudo juniorum, exercitus, quos amiſerat Darius, æquabat. Itaque non illum modo ſed etiam Alexandrum ſpernebant. inde vires imperii repetituri, ſi regionis potiri contigiſſet. Diu omnibus cogitatis, placuit, per milites Bactrianos ad omne obſequium deſtinatos, Regem comprehendere, mittique nuntium ad Alexandrum, qui indicaret vivum aſſervari eum. Si id quod timebant, proditionem aſpernatus eſſet, occiſuri Darium, & Bactra cum ſuarum gentium manu petituri. Cæterum propalam comprehendi Darius non poterat; tot Perſarum millibus laturis opem Regi. Græcorum quoque fides timebatur. Itaq;

quod non poterant vi, fraude aſſequi tentant. Pœnitentiam seceſſionis ſimulare decreverant, & excuſare apud Regem conſternationē ſuam. Interim qui Perſas ſollicitarent, mittuntur. Hinc ſpe, hinc metu militares animos verſant: ruinæ rerum illos ſubdere capita: in perniciem trahi. cum Bactra pateant, exceptura eos donis, & opulentia, quantam animis concipere non poſſint. Hæc agitantibus Artabazus ſupervenit, ſive Regis juſſu, ſive ſua ſponte, affirmans mitigatum eſſe Darium, & eundem illis amicitiæ gradum patere apud Regem. Illi lachrymantes, nunc purgare ſe, nunc Artabazum orare, ut cauſam ipſorum tueretur, preceſque perferret. Sic peracta nocte, ſub lucis exortu Nabarzanes cum Bactrianis militibus in veſtibulo Prætorii aderat; titulum ſolennis officii occulto ſceleri præferens. Darius, ſigno ad eundem dato, currum priſtino more conſcendit. Nabarzanes, cæterique parricidæ procumbentes humi, quem paulo poſt in vinculis habituri erant, ſuſtinuere venerari: lachrymas etiam pœnitentiæ indices profuderunt. adeo humanis ingeniis parata ſimulatio eſt. Preces deinde ſuppliciter admotæ, Darium, natura ſimplicem & mitem, non credere modo quæ affirmabant, ſed etiam flere coëgerunt. Ac ne tum quidem cogitati ſceleris pœnituit, cum intuerentur, qualem & Regem & virum fallerent. Ille quidem ſecurus periculi, quod inſtabat, Alexandri manus, quas ſolas timebat, effugere properabat.

11. Patron autem Græcorum dux præcepit ſuis, ut arma, quæ in ſarcinis antea ferebantur, induerent; ad omne imperium ſuum parati, & inten-

intenti. Ipſe currum Regis ſequebatur, occaſioni imminens alloquendi eum. quippe Beſſi facinus præſenſerat. Sed Beſſus id ipſum metuens, cuſtos verius quam comes, à curru non recedebat. Diu ergo Patron cunctatus, ac ſæpius ſermone revocato, inter fidem timoremq; hæſitans, Regem intuebatur. qui ut tandem advertit oculos, Bubacem ſpadonem inter proximos currum ſequentem percunctari jubet, nunquid ipſe velit dicere? Patron, ſe vero, ſed remotis arbitris, loqui velle cum eo, reſpondit. Iuſſuſque propius accedere, ſine interprete, (nam haud rudis Græcæ linguæ Darius erat) *Rex,* inquit, *ex quinquaginta millibus Græcorum ſuperſumus pauci; omnes fortunæ tuæ comites: & in hoc tuo ſtatu iidem, qui florente te fuimus. Quaſcunque ſedes elegeris, pro patria & domeſticis rebus petituri. Secundæ adverſæque res tuæ copulavere nos tecum. Per hanc fidem invictam oro, & obteſtor. in noſtris caſtris tibi tabernaculum ſtatue. nos corporis tui cuſtodes eſſe patiaris. Amiſimus Græciam: nulla Bactra ſunt nobis. ſpes omnis in te. utinam & in cæteris eſſet! Plura dici non attinet. Cuſtodiam corporis tui externus & alienigena non depoſcerem, ſi crederem alium poſſe præſtare.* Beſſus quanquam erat Græci ſermonis ignarus, tamen ſtimulante conſcientia, indicium profecto Patronem detuliſſe credebat: & interpretis Græci relato ſermone, exempta dubitatio eſt. Darius autem, quantũ ex vultu conſpici poterat, haud ſane territus, percunctari Patrona cauſam conſilii, quod afferret, cœpit. Ille non ultra differendum ratus: *Beſſus,* inquit, *& Nabarzanes inſidiantur tibi; in ultimo diſcrimine & fortunæ tuæ & vitæ. Hic dies aut parricidis, aut tibi futurus*

ultimus. Et Patron quidem egregiam conſervati Regis gloriam tulerat. Eludant licet quibus ſorte ac temere humana negotia volvi agique perſuaſum eſt: equidem æterna conſtitutione crediderim, nexuque cauſarum latentium, & multo ante deſtinatarum, ſuum quemque ordinem immutabili lege percurrere. Darius certe reſpondit: *Quanquam ſibi Græcorum militum fides nota ſit, nunquam tamen à popularibus ſuis receſſurum. Difficilius ſibi eſſe damnare, quam decipi. quidquid ſors tuliſſet, inter ſuos perpeti malle, quam transfugam fieri: ſero ſe perire, ſi ſalvum eſſe ſui milites nollent.* Patron deſperata ſalute Regis, ad eos, quibus præerat, rediit; omnia pro fide experiri paratus.

12. At Beſſus occidendi protinus Regis impetum conceperat. Sed veritus, ne gratiam Alexandri, ni vivum eum tradidiſſet, inire non poſſet, dilato in proximam noctem ſceleris conſilio, agere gratias incipit, quod perfidi hominis inſidias jam Alexandri opes ſpectantis prudenter cauteque vitaſſet: donum eum hoſti laturum fuiſſe Regis caput, nec mirari, hominem mercede conductum omnia habere venalia, ſine pignore, ſine lare, terrarum orbis exſulem, ancipitem hoſtem, ad nutum licentium circumferri. Purganti deinde ſe, Deoſque patrios teſtes fidei ſuæ invocanti, Darius vultu aſſentiebatur, haud dubius quin vera deferrentur à Græcis: ſed eo rerum ventum erat, ut tam periculoſum eſſet non credere ſuis, quam decipi. Triginta millia erat, quorum inclinata in ſcelus levitas timebatur. Quatuor millia Patron habebat; quibus ſi crediſſet ſalutem ſuam, damnata popularium fide, parricidio excuſationem

tionem videbat offerri. Itaque præoptabat immerito, quam jure violari. Beſſo tamen inſidiarum conſilium purganti reſpondit: *Alexandri ſibi non minus juſtitiam, quam virtutem eſſe perſpectam. Falli eos, qui proditionis ab eo præmium exſpectent. Violatæ fidei neminem acriorem fore vindicem ultoremque.* Iamque nox appetebat, cum Perſæ more ſolito armis poſitis ad neceſſaria ex proximo vico ferenda diſcurrunt. At Bactriani (ut imperatum erat à Beſſo) armati ſtabant. Inter hæc Darius Artabazum acciri jubet, expoſitiſque quæ Patron detulerat, haud dubitare Artabazus, quin tranſeundum eſſet in caſtra Græcorum: Perſas quoque periculo vulgato ſecuturos. Deſtinatus ſorti ſuæ, & jam nullius ſalubris conſilii patiens, unicam in illa fortuna opē, Artabazum, ultimum illum viſurus amplectitur, perfuſuſque mutuis lachrymis, inhęrentem ſibi avelli jubet: capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut à Rege intueretur. in humum pronum corpus abjecit. Tum vero cuſtodiæ ejus aſſueti, quos Regis ſalutem vel periculis vitæ tueri oportebat, dilapſi ſunt, armatis, quos jam adventare credebant, haud rati ſe futuros pares. Ingens ergo in tabernaculo ſolitudo erat, paucis ſpadonibus (quia quo diſcederent non habebant) circumſtantibus Regem. At ille, remotis arbitris, diu aliud atque aliud conſilium animo volutabat. Iamque ſolitudinem, quam paulo ante pro ſolatio petiverat, peroſus, Bubacem vocari jubet: quem intuens, *Ite*, inquit, *conſulite vobis; ad ultimum Regi veſtro (ut decebat) fide exhibita. Ego hic legem fati mei exſpecto. Forſitan mireris quod vitam non finiam: alieno ſcelere quam meo mori malo.* Poſt

hanc vocem, ſpado gemitu non modo tabernaculum, ſed etiam caſtra complevit. Irrupere deinde alii, laceratiſque veſtibus, lugubri & barbaro ululatu Regem deplorare cœperunt. Perſę ad illos clamore perlato, attoniti metu, nec arma capere, ne in Bactrianos inciderent, nec quieſcere audebant, ne impie deſerere Regem viderentur. Varius ac diſſonus clamor ſine duce, ac ſine imperio, totis caſtris referebatur. Beſſo & Nabarzani nuntiaverant ſui, Regem à ſemetipſo interemptum eſſe. Planctus eos deceperat. Itaque citatis equis advolant, ſequentibus, quos ad miniſterium ſceleris delegerant: & cum tabernaculum intraſſent, quia Regem vivere ſpadones indicabant, comprehendi, vincirique juſſerunt. Rex curru paulo ante vectus, & Deorum, à ſuis, honoribus cultus, nulla externa ope admota, captivus ſervorum ſuorum, in ſordidum vehiculum pellibus undique contectum imponitur. Pecunia Regis, & ſuppellex, quaſi jure belli, diripitur: onuſtique præda per ſcelus ultimum parta, fugam intendunt. Artabazus cum iis, qui imperio parebant, Græciſque militibus, Parthienem petebat; omnia tutiora parricidarum contuitu ratus. Perſæ promiſſis Beſſi onerati, maxime quia nemo alius erat quẽ ſequerentur, conjunxere ſe Bactrianis; agmen eorum tertio aſſecuti die. Ne tamen honos Regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, nova ludibria ſubinde excogitante fortuna. Et ne forte cultu regio poſſet agnoſci, ſordidis pellibus vehiculum intexerant. Ignoti jumenta agebant, ne percunctantibus in agmine monſtrari poſſet. cuſtodes procul ſequebantur.

13. Alexan-

13. Alexander, audito Darium moviſſe ab Ecbatanis, omiſſo itinere, quod patebat in Mediam, fugientem inſequi pergit ſtrenue. Tabas oppidum eſt in Parætacene ultima: quo ubi pervenit, ibi transfugæ nuntiant, præcipitem fuga Bactra petere Darium. Certiora deinde cognoſcit ex Bagyſthene Babylonio: non equidem vinctum Regem, ſed in periculo eſſe aut mortis, aut vinculorum. Rex, ducibus convocatis, *Maximum*, inquit, *opus, ſed labor breviſſimus ſupereſt. Darius haudprocul, deſtitutus à ſuis, aut vinctus, aut oppreſſus eſt. In illo corpore poſita eſt victoria noſtra, & tanta res celeritatis eſt præmium.* Omnes pariter conclamant, paratos ipſos ſequi: nec labori, nec periculo parceret. Igitur raptim agmen curſus magis quam itineris modo ducit; ne nocturna quidem quiete diurnum laborem relaxante. Itaque quingenta ſtadia proceſſit, perventumque erat in vicum, in quo Darium Beſſus comprehenderat. Ibi Melon Darii interpres excipitur. corpore æger, non potuerat agmen ſequi: & deprehenſus celeritate Regis, transfugam ſe eſſe ſimulabat. Ex hoc acta cognoſcit: ſed fatigatis neceſſaria quies erat. Itaque delectis equitum ſex millibus, trecentos, quos Dimachas appellabant, adjungit. Dorſo hi graviora arma portabant: cęterum equis vehebantur. cum res locuſque poſceret, pedeſtris acies erat. Hæc agentem Alexandrum adeunt Orſillos & Mythracenes, qui Beſſi parricidium exoſi transfugerant: nuntiabantq; ſtadia quingenta abeſſe Perſas, ipſos brevius iter monſtraturos. Gratus Regi adventus transfugarum fuit. Itaque prima veſpera, ducibus iiſdem, cum expedita equitum manu monſtratam viam in-

greditur, phalange, quantum feſtinare poſſet, ſequi juſſa. Ipſe quadrato agmine incedens, ita curſum regebat, ut primi conjungi ultimis poſſent. Trecenta ſtadia proceſſerant, cum occurrit Brocubelus, Mazæi filius, Syriæ quondam Prætor. Is quoque transfuga, nuntiabat Beſſum haud amplius quam ducenta ſtadia abeſſe. Exercitum, utpote qui nihil præcaveret, incompoſitum inordinatumque procedere: Hyrcaniam videri petituros. ſi feſtinaret ſequi, palantibus ſuperventurum. Darium adhuc vivere. Strenuo alioqui cupiditatem conſequendi transfuga injecerat. Itaque calcaribus ſubditis, effuſo curſu eunt. Iamque fremitus hoſtium iter ingredientium exaudiebatur: ſed proſpectum ademerat pulveris nubes. Pauliſper ergo inhibuit curſum, donec conſideret pulvis. Iamque conſpecti à Barbaris erant, & abeuntium agmen conſpexerant. nequaquam futuri pares, ſi Beſſo tantum animi fuiſſet ad prœlium, quantum ad parricidium fuerat. Namque & numero Barbari præſtabant, & robore. Ad hoc, refecti cum fatigatis certamen inituri erant. Sed nomen Alexandri, & fama, maximum in bello utique momentum, pavidos in fugam convertit. Beſſus, & cæteri facinoris ejus participes, vehiculum Darii aſſecuti, cœperunt hortari eum, ut conſcenderet equum, & ſe hoſti fuga eriperet. Ille Deos ultores adeſſe teſtatur, & Alexandri fidem implorans, negat ſe parricidas velle comitari. Tum vero ira quoque accenſi, tela iniiciunt in Regem, multiſque confoſſum vulneribus relinquunt. Iumenta quoque, ne longius proſequi poſſent, convulnerant; duobus ſervis, qui Regem comitabantur, occiſis. Hoc edito

facinore,

facinore, ut veſtigia fugæ ſpargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Beſſus Bactra, paucis equitum comitantibus, petebant. Barbari ducibus deſtituti, qua quemque aut ſpes ducebat, aut pavor, diſſipabantur. Quingenti tantum equites congregaverant ſe, incerti adhuc, reſiſterene melius eſſet an fugere. Alexander, hoſtium trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum parte ad inhibendam fugam præmittit. Ipſe cum cæteris ſequitur: tria ferme millia reſiſtentium occiſa ſunt: reliquum agmen more pecudum intactum agebatur, jubente Rege, ut cædibus abſtineretur. Nemo captivorum erat, qui monſtrare Darii vehiculum poſſet: ſinguli, ut quæq; prehenderant, ſcrutabantur: nec tamen ullum veſtigium fugæ Regis exſtabat. Feſtinantem Alexandrum vix tria millia equitum perſecuta ſunt. At in eos, qui lentius ſequebantur, incidebant univerſa fugientium agmina. Vix credibile dictu, plures captivi, quam qui caperent, erant: adeo omnem ſenſum territis fortuna penitus excuſſerat, ut nec hoſtium paucitatem, nec multitudinem ſuam ſatis cernerent. Interim jumenta, quæ Darium vehebant, nullo regente deceſſerant militari via, & errore delata per quatuor ſtadia, in quadam valle conſtiterant, æſtu ſimulque vulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem monſtratum à peritis Polyſtratus Macedo ſiti maceratus acceſſit. Ac dum galea hauſtam aquam ſorbet, tela jumentorum deficientium corporibus infixa conſpexit. Miratuſque confoſſa potius, quam abacta eſſe, ſemivivi hominis corpus, cum propius acceſſiſſet, in ſordido vehiculo pellibus contecto ſitum reperit: atque Darium, multis quidem vulneri-

bus confoſſum, adhuc tamen ſpirantem, eſſe cognovit. Qui applicito captivo, cum civem ex voce cognoviſſet, id ſaltem præſentis fortunæ ſolatium ſe habere dixit, quod apud intellecturum locuturus eſſet, nec incaſſum poſtremas voces emiſſurus: Hæcque Alexandro perferri jubet: Se nullis in eum meritorum officiis, maximorum autem illi debitorem mori. Agere tamen ei maximas gratias pro beneficiis, in matrem, conjugem liberoſque ſuos impenſis: iis enim vitam, & priſtini ſtatus reverentiam dignitatemque conceſſam; ſibi autem à cognatis atque amicis, quibus & regna & vitam dederit, illa omnia erepta eſſe. precari ſe, ut illi victori terrarum omnium imperium contingat. Vltionem ſceleris erga ſe perpetrati, non ſolum ſua, ſed exempli, omniumque Regum cauſa, non negligere, illi cum decorum, tum utile futurum. Iamque deficiens aquam popoſcit: quam allatam poſtquam bibit, Polyſtrato, qui eam tulerat: Quiſquis es mortalium, inquit, hoc mihi extremum univerſæ calamitatis genus accidit, ut pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam; at referat Alexander: Alexandro vero Dii, pro ejus ſumma in meos humanitate ac clementia. Cui hoc fidei regiæ, unicum dextræ pignus, pro me dabis. Hæc dicentem, accepta Polyſtrati manu, vita deſtituit. Quibus Alexandro nuntiatis, ad corpus demortui perveniens, tam indignam illo faſtigio mortem, lachrymis proſecutus eſt. demptaque ſibi chlamyde, corpus illius contexit: atque regio ornatum cultu, ad matrem Syſigambim, patrio regioque more ſepeliendum, atque regiis majorum ſuorum tumulis inferendum, miſit.

LIBER

LIBER VI.

BREVIARIVM LIBRI.

1 *PRœlii inter Lacedæmonios atque Macedones deſcriptio, & pax ab Alexandro victore Græcis, qui eo abſente defecerant, conceſſa.*

2 *Alexander bello invictus, otio & delitiis frangitur, unde rumor in caſtris, qui torpentem excitat.*

3 *Hortatoria Alexandri ad milites oratio, ut bellum, in Aſia inchoatum, perſequantur & abſolvant.*

4 *Zioberis miri fluminis deſcriptio. Alexander Nabarzani per literas ſalutem quærenti veniam pollicetur. Deinde mari Caſpio & Hircaniæ proximus, quoſdam Darii præfectos recipit in gratiam.*

5 *Artabazo, ſumma cum animi benevolentia excepto, Græcis qui Darium adjuverant parcit Alexander, & Mardorum gente debellata, Amazonicæ cujuſdam reginæ petitioni ſatisfacit.*

6 *Macedones Alexandri offenduntur moribus. qui ut ſeditionem averteret, ad bellum Beſſo inferendum mentem convertit. quod & ſtratagemate inchoat: ac Satibarzanem, quod defeciſſet, primum perſequitur: Barbaros à montibus fortiter diſpellit: Artacacnam expugnat.*

7 *Conjurationem in Alexandrum Dymnus Nicomacho, hic per Zeballinum fratrem Alexandro detegit. Hinc mors Dymni, qui ipſe ſibi manus infert.*

8 *Amicorum regiorum conſilio Philotas Parmenionis filius, conjurationis autor & particeps creditus, capitur, ac velato capite in regiam abducitur.*

9 *De conjuratione, adverſus Philotam expoſtulatoria*

latoria Alexandri ad milites oratio, coram quibus Philotas adductus, defenſionem parat.

10 *Apologetica Philotæ oratio, qua conjurationis accuſationem prolixe refellit.*

11 *Concio à quodam Belone accenſa, in Philotam ſurgit. Is paulo poſt, ut ſe cruciatibus liberaret, fictæ conjurationis circumſtantias aperit. cumque aliis qui accuſantur, ſaxis à Nicomacho obruitur.*

PVGNÆ diſcrimen immiſit, obtruncatiſque qui promptius reſiſtebant, magnam partem hoſtium propulit. Cœperant fugere victores, & donec avidius ſequentes in planum deduxere, multi cadebant. Sed ut primum locus, in quo ſtare poſſet, fuit, æquis viribus dimicatum eſt. Inter omnes tamen Lacedæmonios Rex eminebat, non armorum modo & corporis ſpecie, ſed etiam magnitudine animi, quo uno vinci non potuit. Vndiq; nunc cominus, nunc eminus petebatur, diuque arma circumferens, alia tela clypeo excipiebat, corpore alia vitabat, donec haſtâ femora perfoſſa, plurimo ſanguine effuſo, deſtituere pugnantem. Ergo clypeo ſuo exceptũ armigeri raptim in caſtra referebant, jactationem vulnerum haud facile tolerantem. Nec tamen omiſere Lacedæmonii pugnam, & ut primum ſibi quam hoſti æquiorem locum capere potuerunt, denſatis ordinibus effuſi, fluentem in ſe aciem excepere. Non aliud diſcrimen vehementius fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Duarum nobiliſſimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnabant. Lacedæmonii vetera, Macedones præſentia decora intuebantur. Illi pro libertate, hi pro

pro dominatione pugnabant. Lacedæmoniis dux, Macedonibus locus deerat. Diei quoque unius tam multiplex caſus, modo ſpem, modo metum, utriuſque partis augebat: velut de induſtria inter fortiſſimos viros certamen æquante fortuna. Cæterum anguſtiæ loci, in quo hæſerat pugna, non patiebantur totis congredi viribus. Spectabant ergo plures quam inierant prœlium:& qui extra teli *jactum* erant, clamore invicem ſuos accendebant. Tandem Laconum acies langueſcere, lubrica arma ſudore vix ſuſtinens, pedem deinde referre urgente hoſte, ac aperte fugere. Inſequebatur diſſipatos victor, & emenſus omne ſpatium, quod acies Laconum obtinuerat, ipſum Agim perſequebatur. Ille, ut fugam ſuorum, & proximos hoſtium conſpexit, deponi ſe juſſit: expertuſque membra, an impetum animi ſequi poſſent, poſtquam deficere ſenſit, poplitibus ſemet excepit: galeaq; ſtrenue ſumpta, clypeo protegens corpus, haſtam dextra vibrabat: ultro vocans hoſtem, ſi quis jacenti ſpolia demere auderet. Nec quiſquam fuit, qui ſuſtineret cominus congredi. Procul miſſilibus appetebatur, ea ipſa in hoſtem retorquens, donec lancea nudo pectori infixa eſt: qua ex vulnere evulſa, inclinatum ac deficiens caput clypeo pauliſper excepit. Deinde, linquente ſpiritu pariter ac ſanguine, moribundus in arma procubuit. Cecidere Lacedæmoniorum quinque millia & CCCL. ex Macedonibus haud amplius CIↃ. Cæterum vix quiſquam, niſi ſaucius, revertit in caſtra. Hęc victoria non Spartam modo, ſociosq; ejus, ſed etiam omnes qui fortunam belli ſpectaverant, fregit. Nec fallebat Antipatrum, diſſentire ab animis gratulantium

lantium vultus: ſed bellum finire cupienti, opus erat decipi. & quanquam fortuna rerum placebat, invidiam tamen, quia majores res erant, quam quas Præfecti modus caperet, metuebat. quippe Alexander hoſtes vinci voluerat; Antipatrum viciſſe, ne tacitus quidem indignabatur; ſuæ demptum gloriæ exiſtimans quidquid ceſſiſſet alienæ. Itaque Antipater, qui probe noſſet ſpiritum ejus, non eſt auſus ipſi agere arbitrum victoriæ: ſed concilium Græcorum, quid fieri placeret, conſuluit. A quo Lacedæmonii, nihil aliud, quam ut oratores mittere ad Regem liceret, precati, non gravate veniam defectionis, præter auctores, impetraverunt. Megalopolitanis, quorum urbs erat obſeſſa, à defectione Achæis & Ætolis cxx. talent. dare juſſis. Hic fuit exitus belli, quod repente ortum, prius tamen finitum eſt, quam Dariun Alexander apud Arbella ſuperaret.

2 Sed ut primum inſtantibus curis laxatu eſt animus, militarium rerum, quam quieti otiique patientior, excepere eum voluptates: & quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempeſtiva convivia, & perpotand pervigilandique inſana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapſa ſun morem: quem æmulatus quaſi potiorem ſuo ita popularium animos oculoſque pariter offendit, ut à pleriſque amicorum pro hoſte haberetur. tenaces quippe diſciplinæ ſuæ, ſolitoſq parco ac parabili victu ad implenda naturæ deſideria defungi, in peregrina & victarum gentium mala impulerat. Hinc ſæpius comparatæ in caput ejus inſidiæ, ſeceſſio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor. Ipſius deind

nun

nunc ira, nunc ſuſpiciones, quas excitabat inconſultus pavor, cæteraque his ſimilia, quæ deinde dicentur. Igitur cum intempeſtivis conviviis dies pariter noctesque conſumeret, ſatietatem epularum ludis interpolabat, non contentus artificum, quos è Græcia excitaverat, turba. quippe captivæ fœminarum jubebantur ſuo ritu canere inconditum & abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas unam Rex ipſe conſpexit mœſtiorem quam cæteras, & producentibus eam verecunde reluctantem. Excellens erat forma, & formam pudor honeſtabat. Dejectis in terram oculis, & quantum licebat, ore velato, ſuſpicionem præbuit Regi, nobiliorem eſſe, quam ut inter convivales ludos deberet oſtendi. Ergo interrogata quęnam eſſet, neptem ſe Ochi, qui nuper regnaſſet in Perſis, filio ejus genitam eſſe reſpondit: uxorem Hiſtaſpis fuiſſe. Propinquus hic Darii fuerat; magni & ipſe exercitus Prætor. Adhuc in animo Regis tenues reliquiæ priſtini moris hærebant. Itaque fortunam regia ſtirpe genitæ, & tam celebre nomen reveritus, non dimitti modo captivā, ſed etiam reſtitui ei ſuas opes juſſit; virum quoq; requiri, ut reperto conjugem redderet. Poſtero autem die præcepit Hephæſtioni, ut omnes captivos in regiam juberet adduci. Vbi ſingulorum nobilitate ſpectata, ſecrevit à vulgo, quorum eminebat genus. Mille hi fuerunt. inter quos repertus eſt Oxatres Darii frater, non illius fortuna, quam indole animi ſui clarior. XXVI. millia talentûm proxima præda redacta erant: è queis XII. millia in congiarium militum abſumpta ſunt. Par huic pecuniæ ſumma cuſtodum fraude ſubtracta eſt. Oxydates erat nobilis Perſes, qui

qui à Dario capitali ſupplicio deſtinatus, cohibebatur in vinculis. Huic liberato Satrapiam Mediæ attribuit, fratremque Darii recepit in cohortem amicorum; omni vetuſtæ claritati honore ſervato. Hinc in Parthienem perventū eſt, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui poſt Euphratem & Tigrim amnes ſiti, Rubro mari terminantur. Scythæ regionem campeſtrem ac fertilem occupaverunt, graves adhuc accolæ. Sedes habent & in Europa, & in Aſia. Qui ſuper Boſphorum colunt, aſcribuntur Aſiæ. At qui in Europa ſunt, à lævo Thraciæ latere ad Boryſthenem, atque inde ad Tanaim alium amnem recta plaga pertinent. Tanais Europam & Aſiam medius interfluit: nec dubitatur quin Scythæ, qui Parthos condidere non à Boſphoro, ſed ex regione Europæ penetraverint. Vrbs erat ea tempeſtate clara Hecatompylos, condita à Græcis. Ibi ſtativa Rex habuit, commeatibus undique advectis. Itaque rumor otioſi militis, viritim ſine autore percrebuit, Regem contentum rebus, quas geſſiſſet in Macedoniam protinus redire ſtatuiſſe. Diſcurrunt lymphatis ſimiles in tabernacula, & itineri ſarcinas aptant. ſignum datum crederes, ut vaſa colligerent. Totis caſtris tumultus, hinc contubernales ſuos requirentium, hinc onerantium plauſtra perfertur ad Regem. Fecerant fidem rumori temere vulgato Græci milites. Redire juſſi domos, quorum equitibus ſingulis denariorum ſena millia dono dederat. Ipſis quoq; finem militiæ adeſſe credebant. Haud ſecus quam par erat territus Alexander; qui Indos atque ultima Orientis peragrare ſtatuiſſet, Præfectos copiarum in Prætorium contrahit, obortiſque

ertiſque lachrymis, ex medio gloriæ ſpatio revocari ſe, victi magis quam victoris fortunam in patriam relaturum, conqueſtus eſt: nec ſibi ignaviam militum obſtare, ſed Deorum invidiam, qui fortiſſimis viris ſubitum patriæ deſiderium admoviſſent, paulo poſt in eandem cum majore laude famaque redituris. Tum vero pro ſe quiſque operam ſuam offerre, difficillima quæque poſcere, polliceri militum quoque obſequium, ſi animos eorum leni & apta oratione permulcere voluiſſet. Nunquam infractos & abjectos receſſiſſe, quoties ipſius alacritatem & tanti animi ſpiritus haurire potuiſſent. Ita ſe facturum eſſe reſpondit: illi vulgi aures præparent ſibi. Satiſque omnibus, quæ in rem videbantur, compoſitis, vocari ad concionem exercitum juſſit, apud quem talem orationem habuit:

3 *Magnitudinem rerum, quas geſſimus, milites, intuentibus vobis, minime mirum eſt, & deſiderium quietis, & ſatietatem gloriæ occurrere. ut omittam Illyrios, Triballos, Bœotiam, Thracia, Spartam, Achæos, Peloponneſum. quorum alia ductu meo, alia imperio auſpicioque perdomui. Ecce orſi bellum ad Helleſpontum, Ionas, Æolidem ſervitio Barbariæ impotentis exemimus. Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphiliam, Piſidas, Ciliciam, Syriam, Phœnicen, Armeniam, Perſidem, Medos, Parthienem, habemus in poteſtate. Plures provincias complexus ſum, quam alii urbes ceperunt. & neſcio an enumeranti mihi quædam ipſarum rerum multitudo ſubduxerit. Itaque, ſi crederem ſatis certam eſſe poſſeſſionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus, ego vero, milites, ad penates meos, ad parentem ſororeſque, & cæteros cives,*

*cives,vel renitentibus vobis erumperem, ut ibi poti
ſimum parta vobiſcum laude & gloria fuerer, ui
nos uberrima victoria præmia exſpectant, liber
rum, conjugum, parentumque lætitia, pax, quie
rerum,per virtutem partarum, ſecura poſſeſſio. Se
in novo,& (ſi verum fateri volumus) precario im
perio, adhuc jugum ejus rigida cervice ſubeuntibi
Barbaris,tempore, milite opus eſt, dum mitioribi
ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior conſuetu
permulcet. Fruges quoq; maturitatem ſtatuto ten
pore exſpectant. adeo etiam illa ſenſus omnis expe
tia, tamen ſua lege miteſcunt. Quid? creditis, t
gentes alterius imperio ac nomine aſſuetas, non ſ
cris,non moribus, non commercio linguæ nobiſcu
cohærentes, eodem prœlio domitas eſſe, quo vic
ſunt? Veſtris armis continentur,non ſuis moribus.
qui præſentes metuunt,in abſentia hoſtes erunt.Cu
feris beſtiis res eſt,quas captas & incluſas,quia ipſ
rum natura non poteſt, longior dies mitigat. Et a
huc ſic ago,tanquam omnia ſubacta ſint armis, qu
fuerunt in ditione Darii. Hyrcaniam Nabarzan
occupavit. Bactra non ſolum poſſidet parricida Be
ſus,ſed etiam minatur.Sogdiani,Dahæ,Maſſaget
Sacæ, Indi, ſui juris ſunt. Omnes hi ſimul, ſi terg
noſtra viderint, ſequentur. Illi enim ejuſdem nati
nis ſunt, nos alienigenæ & externi.Suis autem qui
parent placidius, etiam cum is præeſt,qui magis t
meri poteſt. Proinde aut quæ cepimus omittend
ſunt,aut quæ non habemus occupanda. Sicut in co
poribus ægris,milites,nihil quod nociturum eſt me
dici relinquunt:ſic nos, quidquid obſtat imperio, re
cidamus. Parva ſæpe ſcintilla contempta, magnu
excitavit incendium. Nil tuto in hoſte deſpicitur
quem ſpreveris, valentiorem negligentia facies. N
Darius quidem hæreditarium Perſarum accep
imp*

imperium, ſed in ſedem Cyri beneficio Bagoa caſtrati hominis admiſſus : ne vos magno labore credatis Beſſum vacuum regnum occupaturum. Nos vero peccavimus, milites, ſi Darium ob hoc vicimus, ut ſervo ejus traderemus imperium : qui ultimum auſus ſcelus, Regem ſuum etiam externæ opis egentem, certe cui nos victores peperciſſemus, quaſi captivum in vinculis habuit : ad ultimum, ne à nobis conſervari poſſet, occidit. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci affixum videre feſtino, omnibus Regibus gentibuſque fidei, quam violavit, meritas pœnas ſolventem. At hercule, ſi mox eundem Græcorum urbes, aut Helleſpontum vaſtare nuntiatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Beſſum præmia veſtræ occupaſſe victoriæ? Tunc ad repetendas res feſtinabitis : tunc arma capietis. Quanto autem præſtat territum adhuc, & vix mentis ſuæ compotem, opprimere? Quatridui nobis iter ſupereſt, qui tot proculcavimus nives, tot amnes ſuperavimus, tot montium juga tranſcurrimus : non mare illud, quod exæſtuans iter fluctibus occupat, euntes nos moratur: non Ciliciæ fauces, & anguſtiæ includunt. plana omnia & prona ſunt. In ipſo limine victoriæ ſtamus. Pauci nobis fugitivi, & domini ſui interfectores ſuperſunt. Egregium mehercule opus, & inter prima gloriæ veſtræ numerandum, poſteritati famæque tradetis : Darii quoque hoſtis, finito poſt mortem ejus odio, parricidas eſſe vos ultos : neminem impium effugiſſe manus veſtras. Hoc perpetrato, quanto creditis Perſas obſequentiores fore, cum intellexerint, vos pia bella ſuſcipere; & Beſſi ſceleri, non nomini ſuo iraſci?

4. Summa militum alacritate, jubentium quocunque vellet, duceret, oratio excepta eſt. Nec Rex moratus impetum. tertioque per Parthienem

thienem die ad fines Hyrcaniæ penetrat. Crat ro relicto cum iis copiis, quibus præerat, & e manu, quam Amyntas ducebat, additis ſexcen tis equitibus, & totidem ſagittariis, ut ab incu ſione Barbarorum Parthienem tueretur. Er gyum impedimenta, modico præſidio dat campeſtri itinere ducere jubet. Ipſe cum pha lange & equitatu CL. ſtadia emenſus, caſtra i valle, qua Hyrcaniam adeunt, communit. N mus prægaltis denſiſque arboribus umbroſur eſt, pingue vallis ſolum rigantibus aquis, quæ e petris eminentibus manant. Ex ipſis radicibu montium Zioberis amnis effunditur, qui tri fere ſtadia in longitudinem univerſus fluit: de inde ſaxo, quod alveolum interpolat, repercu ſus, duo itinera velut diſpenſatis aquis aperi Inde torrens & ſaxorum per quæ incurrit aſpe ritate violentior, terram preceps ſubit. Per ccc ſtadia conditus labitur, rurſuſque velut ex ali fonte conceptus editur, & novum alveum in tendit, priore ſui parte ſpatioſior. Quippe in la titudinem XIII. ſtadiorum diffunditur, rurſu que anguſtioribus coërcitus ripis iter cogit: tan dem in alterum amnem cadit, cui Rhidago no men eſt. Incolę affirmabant, quæcunque dimiſ ſa eſſent in cavernam, quæ propior eſt, fontem rurſus, ubi aliud os amnis aperit, exiſtere. Itaqu Alexander duos tauros, qua ſubeunt aquæ ter ram, præcipitari jubet: quorum corpora, ub rurſus erumpit, expulſa videre, qui miſſi eran ut exciperent. Quartum jam diem eodem loc quietem militi dederat, cum litteras Narbarza nis, qui Darium cum Beſſo interceperat, acci pit. quarum ſententia hæc erat: *Se Dario no fuiſſe inimicum, imo etiam, qua credidiſſet utili eſſe*

eſſe, ſuaſiſſe: & quia fidele conſilium Regi dediſſet, prope occiſum ab eo. Agitaſſe Darium, cuſtodiam corporis ſui contra jus faſque peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos & triginta annos inviolatam Regibus ſuis præſtitiſſent. Se in præcipiti & lubrico ſtantem, conſilium à præſenti neceſſitate reperiſſe. Darium quoque cum occidiſſet Bagoam, hac excuſatione ſatisfeciſſe popularibus, quod inſidiantem interemiſſet. Nihil eſſe miſeris mortalibus ſpiritu charius. Amore ejus ad ultima eſſe propulſum: ſed ea magis eſſe ſecutum, quæ coëgiſſet neceſſitas, quam quæ optaſſet. In communi calamitate ſuam quemque habere fortunam. Si venire ſe juberet, ſine metu eſſe venturum. Non timere, ne fidem datam tantus Rex violaret. Deos à Deo falli non ſolere. Cæterum, ſi, cui fidem daret, videretur indignus, multa exſilia patere fugienti. Patriam eſſe ubicunque vir fortis ſedem elegerit. Nec dubitavit Alexander fidem, quo Perſæ modo accipiebant, dare, inviolatum, ſi veniſſet, fore. Quadrato tamen agmine & compoſito ibat: ſpeculatores ſubinde præmittens, qui explorarent loca. Levis armatura ducebat agmen: phalanx eam ſequebatur: poſt pedites erant impedimenta & gens bellicoſa. & natura ſitus difficilis aditu, curam Regis intenderat. Namque perpetua vallis jacet, uſque ad mare Caſpium patens. Duo terrę ejus velut brachia excurrunt: media flexu modico ſinum faciunt, Lunæ maxime ſimilem, cum eminent cornua, nondum totum orbem ſidere implente. Cercetæ, Moſſyni, & Chalybes, à læva ſunt. Ab altera parte Leucoſyri, & Amazonum campi. & illos qua vergit ad Septentrionem; hos ad occaſum converſa proſpectat. Mare Caſpium dulcius cæteris, ingentis magni-

magnitudinis ſerpentes alit: piſcium longe c verſus ab aliis color: quidam Caſpium, quida Hyrcanium appellant. Alii ſunt, qui Mæoti paludem in id cadere putent, & argumentu afferunt, aquam quo dulcior ſit quam cæte maria, infuſo paludis humore miteſcere. A S ptentrione ingens in litus mare incumbit, lo geque agit fluctus, & magna parte exæſtua ſtagnat. Idem alio cœli ſtatu recipit in ſe fi tum, eodemque impetu, quo effuſum eſt, re bens, terram naturæ ſuæ reddit. & quidam c: didere non Caſpium mare eſſe, ſed ex India Hyrcaniam cadere. cujus faſtigium (ut ſup. dictum eſt) perpetua valle ſubmittitur. Hi: Rex viginti ſtadia proceſſit, ſemita propem. dum invia, cui ſilva immineba, torrenteſc: & eluvies iter morabantur. nullo tamen ho: obvio penetravit, tandemque ad ulteriora p. ventum eſt. Præter alios commeatus, quoru tum copia regio abundabat, pomorum quoc: ingens modus naſcitur, & uberrimum gign. dis uvis ſolum eſt. Frequens arbor faciem qu. cus habet, cujus folia multo melle tingunti: ſed niſi Solis ortum incolæ occupaverint, l modico tepore ſuccus extinguitur. Trigi hinc ſtadia proceſſerat, cum Phrataphernes i occurrit, ſeque, & eos, qui poſt Darii mort profugerant, dedens. Quibus benigne excep, ad oppidum Aruas pervenit. Hic ei Crate s & Erigonus occurrunt; Præfectum Tapu rum gentis Phradatem adduxerant. Hic qu que in fidem receptus, multis exemplo fi experiendi clementiam Regis. Satrapem inde Hyrcaniæ dedit Menapim. exſul hic gnante Ocho, ad Philippum pervenerat. T

pur

purorum quoque gentem Phradati reddidit.

5 Iamque Rex ultima Hyrcaniæ intraverat, cum Artabazus, quem Dario fidiſſimum fuiſſe ſupra diximus, cum propinquis Darii, ac ſuis liberis, modicaque Græcorum militum manu, occurrit. dextram venienti obtulit Rex. Quippe & hoſpes Philippi fuerat, cum, Ocho regnante, exſularet, & hoſpitii pignora in Regem ſuum ad ultimum fides conſervata vincebat. Comiter igitur exceptus, *Tu quidem*, inquit, *Rex perpetua felicitate floreas. Ego cæteris lætus hoc uno torqueor, quod præcipiti ſenectute diu frui tua bonitate non poſſum.* xc. & quintum annum agebat. Novem juvenes eadem matre geniti patrem comitabantut. Hos Artabazus dextræ Regis admovit, precatus ut tam diu viverent, donec utiles Alexandro eſſent. Rex pedibus iter plerunque faciebat. Tunc admoveri ſibi & Artabazo equos juſſit, ne ipſo ingrediente pedibus, ſenex equo vehi erubeſceret. Deinde ut caſtra ſunt poſita, Grçcos, quos Artabazus adduxerat, convocari jubet. At illi, niſi Lacedæmoniis quoque fides daretur, reſpondent, ſe quid agendum ipſis foret, deliberaturos. Legati erant Lacedæmoniorum miſſi ad Darium, quo victo, applicaverant ſe Græcis mercede apud Perſas militantibus. Rex, omiſſis ſponſionum fideiq; pignoribus, venire eos juſſit, fortunam, quam ipſe dediſſet, habituros. Diu cunctantes, pleriſque conſilia variantibus, tandem venturos ſe pollicentur. At Democrates Athenienſis, qui maxime Macedonum opibus ſemper obſtiterat, venia deſperata, gladio ſe transfigit. Cæteri, ſicut conſtituerant, ditioni Alexandri ſe ipſos permittunt: mille & D. milites erant. Præter

hos

hos legati ad Darium miſſi xc. In ſupplemen
tum diſtributus miles, cæteri remiſſi domum
præter Lacedęmonios, quos tradi in cuſtodia
juſſit. Mardorum erat gens confinis Hyrcanię
cultu vitę aſpera, & latrociniis aſſueta. Hæc ſo
la nec legatos miſerat, nec videbatur imperat
factura. Itaque Rex indignatus, ſi una gens po
ſet efficere, ne invictus eſſet, impediment
cum præſidio relictis, invicta manu comitan
procedit. Noctu iter fecerat, & prima luce ho
ſtis in conſpectu erat: tumultus magis qua
prœlium fuit. Deturbati ex collibus, quos o
cupaverant, Barbari, profugiunt, proximiq
vici ab incolis deſerti capiuntur. Interiora r
gionis ejus haud ſane adire ſine magna vex
tione exercitus poterant. Iuga montium, pr
altæ ſylvæ, rupeſque inviæ ſepiunt: ea, quæ pl
na ſunt, novo munimenti genere impedierai
Barbari. Arbores denſæ ſunt ex induſtria co
ſitæ, quarum teneros adhuc ramos manu fl
ctunt, quos intortos rurſus inſerunt terræ. Ind
velut ex alia radice lætiores virent trunci. H
qua natura fert, adoleſcere non ſinunt. Quip
alium alii quaſi nexu conſerunt: qui ubi mul
fronde veſtiti ſunt, operiunt terram. Itaque o
culti ramorum, velut laquei, perpetua ſepe it
cludunt. Vna ratio erat, cædendo aperire ſalt
Sed hoc quoque magni operis. Crebri namq
nodi nudaverant ſtipites; & in ſe implicati a
borum rami ſuſpenſis circulis ſimiles, lento v
mine fruſtrabantur ictus. Incolæ autem ri
ferarum virgulta ſubire ſoliti, tum quoque i
traverant ſaltum, occultiſq; telis hoſtem lac
ſebant. Ille venantium modo latibula ſcrut
tus, pleroſque confodit: ad ultimum circui
ſaltu

ſaltum milites jubet, ut ſi qua pateret irrumperent. Sed ignotis locis plerique oberrabant. Excepti ſunt quidam, inter quos equus Regis (Bucephalum vocabant) quem Alexander non eodem, quo cæteras pecudes, animo æſtimabat. Namque ille nec in dorſo inſidere ſuo patiebatur alium: & Regem, cum vellet aſcendere, ſponte ſua genua ſubmittens, excipiebat, credebaturque ſentire quem veheret. Majore ergo, quam decebat, ira ſimul ac dolore ſtimulatus, equum veſtigari jubet, & per interpretem pronuntiari, ni reddidiſſent, neminem eſſe victurum. Hac denuntiatione territi, cum cæteris donis equum adducunt. Sed ne ſic quidem mitigatus, cædi ſylvas jubet, aggeſtaque humo è montibus, planitiem ramis impeditam exaggerari. Iam aliquantulum altitudinis opus creverat, cum Barbari, deſperato regionem quam occupaverant, poſſe retineri, gentem ſuam dedidere. Rex obſidibus acceptis, Phradati tradere eos juſſit. Inde quinto die in ſtativa revertitur. Artabazum deinde, geminato honore, quem Darius habuerat ei, remittit domum. Iamque ad urbem Hyrcaniæ, in qua regia Darii fuit, ventum erat. Ibi Nabarzanes accepta fide occurrit, dona ingentia ferens. Inter quæ Bagoas erat ſpecie ſingulari ſpado, atque in ipſo flore pueritiæ: cui & Darius fuerat aſſuetus, & mox Alexander aſſuevit; ejuſque maxime precibus motus, Nabarzani ignovit. Erat, ut ſupra dictum eſt, Hyrcaniæ finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiſcyræ incolentium campos. Reginam habebant Thaleſtrim, omnibus inter Caucaſum montem & Phaſim amnem imperitantem. Hæc cupidi-

ne viſendi Regis accenſa, finibus regni ſui exceſſit: & cum haud procul abeſſet, præmiſit indicantes, veniſſe reginam, adeundi ejus cognoſcendique avidam. Protinus facta poteſtate veniendi, cęteris juſſis ſubſiſtere, ccc. fœminarum comitata proceſſit. Atque ut primum Rex in conſpectu fuit, equo ipſa desiliit, duas lanceas dextra præferens. Veſtis non toto Amazonum corpori obducitur: nam lęva pars ad pectus eſt nuda, cætera inde velantur: nec tamen ſinus veſtis, quem nodo colligunt, infra genua deſcendit. Altera papilla intacta ſervatur, qua muliebris ſexus liberos alant: aduritur dextera, ut arcus facilius intendant, & tela vibrent. Interrito vultu Regem Thaleſtris intuebatur: habitum ejus haudquaquam rerum famæ parem oculis perluſtrans. Quippe omnibus barbaris in corporum majeſtate veneratio eſt; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt. Cæterum interrogata, num aliquid petere vellet: haud dubitavit fateri, ad communicandos cum Rege liberos ſe veniſſe; dignam ex qua ipſe regni generaret hæredes. Fœminei ſexus ſe retenturam, marem redditaram patri. Alexander, an cum ipſo militare vellet, interrogat. & illa, cauſata ſine cuſtode regnum reliquiſſe, petere perſeverabat, ne ſe irritam ſpei pateretur abire. Acrior ad Venerem fœminæ cupido, quam Regis, ut paucos dies ſubſiſteret, perpulit. Tredecim dies in obſequium deſiderii ejus abſumpti ſunt. Tum illa regnum ſuum, Rex Parthienem, petiverunt.

6 Hic vero palam cupiditates ſuas ſolvit: continentiamque & moderationem, in altiſſima

ma quaque fortuna eminentia bona, in ſuperbiam ac laſciviam vertit. Patrios mores, diſciplinamq; Macedonum Regum ſalubriter temperatam,& civilem habitum,velut leviora magnitudine ſua ducens, Perſicæ regiæ par Deorum potentiæ faſtigium æmulabatur. Iacerę humi venerabundos ipſum, paulatimque ſervilibus miniſteriis tot victores gentium imbuere, & captivis pares facere expetebat. Itaque purpureum diadema diſtinctum albo,quale Darius habuerat, capiti circundedit, veſtemque Perſicam ſumpſit: ne omen quidem veritus, quod à victoris inſignibus in devicti tranſiret habitum. Et ille, ſe quidem Perſarum ſpolia geſtare dicebat,ſed cum illis quoque mores induerat:ſuperbiamque habitus, animi inſolentia ſequebatur. Litteras quoque,quas in Europam mitteret,veteris annuli gemma obſignabat: iis, quas in Aſiam ſcriberet, Darii annulus imprimebatur, ut appareret, unum animum duorum non capere fortunam. Amicos vero & equites, unaq; principes militum, aſpernantes quidem, ſed recuſare non auſos, Perſicis ornaverat veſtibus. Pellices ccc.& lx. totidem quot Darii fuerant, regiam implebant, quas ſpadonum greges, & ipſi muliebria pati aſſueti, ſequebantur. Hæc luxu, & peregrinis infecta moribus, veteres Philippi milites, rudis natio ad voluptates, palam averſabantur: totiſq;caſtris unus omnium ſenſus ac ſermo erat, plus amiſſum victoria, quam bello quæſitum eſſe. Tum maxime vinci ipſos,dedique alienis moribus & externis:tantę moræ pretium, domos quaſi in captivo habitu reverſuros: pudere jam ſui Regem,victis quam victoribus ſimiliorem, ex Macedoniæ Impera-

tore Darii Satrapen factum. Ille non ignarus, & principes amicorum, & exercitum graviter oſtendi, gratiam liberalitate doniſque recuperare tentabat. Sed, ut opinor, liberis pretium ſervitutis ingratum eſt. Igitur, ne in ſeditionem res verteretur, otium interpellandum erat bello, cujus materia opportune alebatur. Namque Beſſus, veſte regia ſumpta, Artaxerxem appellari ſe juſſerat, Scythaſque & cæteros Tanais accolas contrahebat. Hæc Satibarzanes nuntiabat. quem receptum in fidem, regioni, quam antea obtinuerat, præfecit. Et cum grave ſpoliis apparatuque luxuriæ agmen vix moveretur, ſuas primum, deinde totius exercitus ſarcinas, exceptis admodum neceſſariis, conferri juſſit in medium. Planities ſpatioſa erat, in quam vehicula onuſta perduxerant. Exſpectantibus cunctis, quid deinde eſſet imperaturus, jumenta juſſit abduci, ſuiſque primum ſarcinis face ſubdita, cæteras incendi præcepit. Flagrabant exurentibus dominis, quę ut intacta ex urbibus hoſtium raperent, ſæpe flammas reſtinxerant, nullo ſanguinis pretium audente deflere, cum regias opes idem ignis exureret. Brevis deinde oratio mitigavit dolorem, habileſque militiæ, & ad omnia parati, lætabantur ſarcinarum potius, quam diſciplinæ feciſſe jacturam. Igitur Bactrianam regionem petebant. Sed Nicanor Parmenionis filius, ſubita morte correptus, magno deſiderio ſui affecerat cunctos. Rex ante omnes mœſtus, cupiebat quidem ſubſiſtere, funeri affuturus, ſed penuria commeatuum feſtinare cogebat. Itaq; Philotas cum duobus millibus, & DC. relictus, ut juſta fratri perſolveret: ipſe contendit ad Beſſum. Iter facienti litteræ ei afferuntur à finitimis

timis Satraparum, è quibus cognoſcit, Beſſum quidem hoſtili animo occurrere cum exercitu: cæterum Satibarzanem, quem Satrapem Ariorum ipſe præfeciſſet, defeciſſe ab eo. Itaq; quanquam Beſſo imminebat, tamen ad Satibarzanem opprimendum præverti optimum ratus, levem armaturam, & equeſtres copias educit: totaque nocte ſtrenue facto itinere, improviſus hoſti ſupervenit. Cujus cognito adventu, Satibarzanes cum duobus millibus equitum (nec enim plures ſubito contrahi poterant) Bactra perfugit: cæteri proximos montes occupaverunt. Prærupta rupes erat, qua ſpectat Occidentem. eadem qua vergit ad Orientem, leniore ſubmiſſa faſtigio, multis arboribus obſita, perennem habet fontem, ex quo largæ aquæ manant. Circuitus ejus triginta & duo ſtadia comprehendit. In vertice herbidus campus. in hoc multitudinem imbellem conſidere jubent. Ipſi, qua rupes erat, arborum truncos & ſaxa obmoliuntur. XIII. millia armata erant. In horum obſidionem Cratero relicto, ipſe Satibarzanem ſequi feſtinat. Et quia longius eum abeſſe cognoverat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit. Ac primo repurgari jubet, quicquid ingredi poſſent: deinde ut occurrebant inviæ cautes, præruptæque rupes, irritus labor videbatur obſtante natura. Ille, ut erat animi ſemper obluctantis difficultatibus, cum & progredi arduum, & reverti periculoſum eſſet, verſabat ſe ad omnes cogitationes, aliud atque aliud (ut ſolet, ubi prima quæq; damnamus) ſubiiciente animo: hæſitanti, quod ratio non potuit, fortuna conſilium ſubminiſtravit. Vehemens Favonius erat, & multam

materiam cæciderat miles, aditum per ſaxa molitus. Hæc vapore torrida inaruerat. Ergo aggerari alias arbores jubet, & igni dare alimenta: celeriterque ſtipitibus cumulatis, faſtigium montis æquatum eſt. Tunc undique ignis injectus cuncta comprehendit: flammam in ora hoſtium ventus ferebat: fumus ingens velut quadam nube abſconderat cœlum. Sonabant incendio ſylvæ, atque ea quoque, quæ non incenderat miles, concepto igne, proxima quæque adurebant. Barbari ſuppliciorum ultimum, ſi qua intermoreretur ignis, effugere tentabant: ſed qua flamma dederat locum, hoſtis obſtabat. Varia igitur cæde conſumpti ſunt. Alii in medios ignes, alii in petras præcipitavere ſe; quidam manibus hoſtium ſe obtulerunt. pauci ſemiuſtulati venere in poteſtatem. Hinc ad Craterum, qui Artacacnam obſidebat, redit. Ille, omnibus præparatis, Regis exſpectabat adventum, captæ urbis titulo (ſicut par erat) cedens. Igitur Alexander turres admoveri jubet: ipſoque aſpectu territi Barbari, è muris ſupinas manus tendentes, orare cœperunt, iram in Satibarzanem defectionis authorem reſervaret, ſupplicibus ſemet dedentibus parceret. Rex, data venia, non obſidionem modo ſolvit, ſed omnia ſua incolis reddidit. Ab hac urbe digreſſo ſupplementum novorum militum occurrit. Zolus D. equites ex Græcia adduxerat: tria millia ex Illyrico Antipater miſerat. Theſſali equites c. & XXX. cum Philippo erant. Ex Lydia duo millia & DC. peregrinus miles, advenerant: CCC. equites gentis ejuſdem ſequebantur. Hac manu adjecta Drangas pervenit. Bellicoſa natio eſt. Satrapes erat Bazaentes, ſceleris in Regem ſuum particep-

particeps Beſſo. Is ſuppliciorum, quę meruerat, metu, profugit in Indiam.

7 Iam nonum diem ſtativa erant, cum externa vi non tutus modo Rex, ſed invictus, inteſtino facinore petebatur. Dymnus modicæ apud Regem authoritatis & gratiæ, exoleti, cui Nicomacho erat nomen amore flagrabat, obſequio uni ſibi dediti corporis victus. Is, quod ex vultu quoque perſpici poterat, ſimilis attonito, remotis arbitris cum juvene ſeceſſit in templũ; arcana ſe & ſilenda afferre præfatus: ſuſpenſumque exſpectatione, per mutuam charitatem & pignora utriuſque animi rogat, ut affirmet jurejurando, quæ commiſiſſet, ſilentio eſſe tecturum. Et ille ratus, nihil quod etiam cum perjurio detegendum foret, indicaturum, per præſentes Deos jurat. Tum Dymnus aperit, in tertium diem inſidias Regi comparatas, ſeque ejus conſilii fortibus viris & illuſtribus eſſe participem. Quibus juvenis auditis, ſe vero fidem in parricidio dediſſe conſtanter abnuit, nec ulla religione, ut ſcelus tegat, poſſe conſtringi. Dymnus & amore & metu amens, dextram exoleti complexus, & lachrymans, orare primum ut particeps conſilii operiſque fieret. Si id ſuſtinere non poſſet, attamen ne proderet ſe, cujus erga ipſum benevolentiæ præter alia hoc quoque haberet fortiſſimum pignus, quod caput ſuum permiſiſſet fidei adhuc inexpertæ. Ad ultimum averſari ſcelus perſeverantem, metu mortis terret. ab illo capite conjuratos pulcherrimum facinus inchoaturos. Alias deinde effœminatum, & muliebriter timidum, alias proditorem amatoris appellans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quoq; verſabat animum

tanto facinore procul abhorrentem: ſtrictum deinde gladium modo illius, modo ſuo admovens jugulo, ſupplex idem & infeſtus expreſſit, ut tandem non ſolum ſilentium, ſed etiam operam polliceretur. namque abunde conſtantis animi, & dignus qui pudicus eſſet, nihil ex priſtina voluntate mutaverat: ſed captum Dymni amore ſimulabat, nihil recuſare. Sciſcitari deinde pergit, cum quibus tantæ rei ſocietatem iniſſet. Plurimum referre quales viri tam memorabili operi admoturi manus eſſent. Ille & amore & ſcelere male ſanus, ſimul gratias agit, ſimul gratulatur, quod fortiſſimis iuvenum non dubitaſſet ſe jungere, Demetrio corporis cuſtodi, Peucolao, Nicanori. Adiicit his Aphœbetum, Loceum, Diogenum, Archepolim, & Amyntam. Ab hoc ſermone dimiſſus Nicomachus, ad fratrem (Ceballino erat nomen) quę acceperat, defert. Placet ipſum ſubſiſtere in tabernaculo, ne ſi regiam intraſſet, non aſſuetus adire Regem, conjurati proditos ſe eſſe reſciſcerent. Ipſe Ceballinus ante veſtibulum regiæ (neque enim propius aditus ei patebat) conſiſtit, opperiens aliquem ex prima cohorte amicorum, ut introduceretur ad Regem. Forte cæteris dimiſſis, unus Philotas Parmenionis filius, incertum quam ob cauſam, ſubſtiterat in regia. Huic Ceballinus ore confuſo magnę perturbationis notas præ ſe ferens, aperit quæ ex fratre compererat, & ſine cunctatione nuntiari Regi jubet. Philotas, laudato eo, protinus intrat ad Alexandrum: multoque invicem de aliis rebus conſumpto ſermone, nihil eorum quæ ex Ceballino cognoverat, nuntiat. Sub veſperam eum prodeuntem in veſtibulo regiæ excipit juvenis,

venis, an mandatum exſecutus foret, requirens. Ille non vacaſſe ſermoni ſuo Regem cauſatus, diſceſſit. Poſtero die Ceballinus venienti in regiam præſto eſt. Intrantemque admonet pridie communicatæ cum ipſo rei. Ille curæ ſibi eſſe reſpondit: ac ne tum quidem Regi, quæ audierat, aperit. Cœperat Ceballino eſſe ſuſpectus. Itaque non ultra interpellandum ratus, nobili juveni (Metron erat ei nomen) ſuper armamentarium poſito, quod ſcelus pararetur, indicat. Ille, Ceballino in armamentario abſcondito, protinus Regi corpus forte curanti, quid ei index detuliſſet, oſtendit. Rex, ad comprehendendum Dymnum miſſis ſatellitibus, armamentarium intrat. Ibi Ceballinus gaudio elatus, *Habeo te*, inquit, *incolumem ex impiorum manibus ereptum.* Percunctatus deinde Alexander quæ noſcenda erant, ordine cuncta cognoſcit. Rurſuſque inſtitit quærere, quotus dies eſſet, ex quo Nicomachus ad eum detuliſſet indicium. Atque illo fatente, jam tertium eſſe: exiſtimans haud incorrupta fide tanto poſt deferre quæ audierat, vinciri eum juſſit. Ille clamitare, eodem temporis momento, quo audiſſet, ad Philotam decurriſſe: ab eo percontaretur. Rex item quærens, an Philotam adiiſſet, an inſtitiſſet ei, ut perveniret ad ſe; perſeverante eo affirmare quæ dixerat; manus ad cœlum tendens, manantibus lachrymis, hanc ſibi à chariſſimo quondam amicorum relatam gratiam querebatur. Inter hæc Dymnus, haud ignarus quam ob cauſam accerſeretur à Rege, gladio, quo forte erat cinctus, graviter ſe vulnerat: occurſuque ſatellitum inhibitus, perfertur in regiam. quem intuens Rex: *Quod*, inquit, *in te, Dymne, tantum*

cogitavi nefas; ut tibi Macedonum regno dignior Philotas me quoque ipſo videretur? Illum jam defecerat vox. Itaque edito gemitu, vultuque à conſpectu Regis averſo, ſubinde collapſus extinguitur. Rex, Philota venire in regiam juſſo, Ceballinus, inquit, *ultimum ſupplicium meritus, ſi in caput meum præparatas inſidias biduo texit, hujus criminis reum Philotam ſubſtituit, ad quem protinus indicium detuliſſe ſe affirmat. Quo propiore gradu amicitiæ me contingis, hoc majus eſt diſſimulationis tuæ facinus: & ego Cebal·lino magis, quam Philotæ id convenire fateor. Faventem habes judicem, ſi quod admitti non oportuit, ſaltem negari poteſt.* Ad hæc Philotas, haud ſane trepidus, ſi animus vultu ęſtimaretur; Ceballinum quidem ſcorti ſermonem ad ſe detuliſſe, ſed ipſum tam levi authori nihil credidiſſe reſpondit: veritum ne jurgium inter amatorem & exoletum non ſine riſu aliorum detuliſſet. Cum Dymnus interemerit ſeipſum, qualiacunque erant, non fuiſſe reticenda: complexuſque Regem, orare cœpit, ut præteritam vitam potius quam culpam, ſilentii tamen, non facti ullius, intueretur. Haud facile dixerim, crediderítne ei Rex, an altius iram ſuppreſſerit. dextram reconciliatæ gratiæ pignus obtulit, & contemptum magis quam celatum iudicium eſſe, videri ſibi dixit.

8 Advocato tamen conſilio amicorum, cui tum Philotas adhibitus non eſt, Nicomachum introduci jubet. Is eadem, quæ detulerat ad Regem, ordine expoſuit. Erat Craterus Regi charus in paucis, & eo Philotæ ob æmulationem dignitatis adverſus. Neque ignorabat, ſæpe Alexandri auribus nimia jactatione virtutis atque operæ gravem fuiſſe, & ob ea non quidem ſceleris,

leris, ſed contumaciæ tamen ſuſpectum. Non aliam premendi inimici occaſionem aptiorem futuram ratus, odio ſuo pietatis præferens ſpeciem, *Vtinam*, inquit, *in principio quoque hujus rei nobiſcum deliberaſſes: ſuaſiſſemus, ſi Philotæ velles ignoſcere, paterere potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam uſque ad mortis metum adductum, cogeres potius de periculo ſuo, quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim ſemper inſidiari tibi poterit: tu non ſemper Philotæ poteris ignoſcere. Nec eſt quod exiſtimes eum, qui tantum facinus auſus eſt, venia poſſe mutari. Scit eos, qui miſericordiam conſumpſerunt, amplius ſperare non poſſe. At ego, etiam ſi ipſe, vel pœnitentia, vel beneficio tuo victus, quieſcere volet, patrem ejus Parmenionem tanti ducem exercitus, & inveterata apud milites tuos autoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ faſtigium poſitum, ſcio non æquo animo ſalutem filii ſui debiturum tibi. Quædam beneficia odimus. Metuiſſe mortem, confiteri pudet. Supereſt, ut malit videri injuriam accepiſſe, quam vitam. Proinde ſcio tibi cum illis de ſalute eſſe pugnandum. Satis hoſtium ſupereſt, ad quos perſequendos ituri ſumus. latus à domeſticis hoſtibus muni. Hos ſi ſubmoves, nihil metuo ab externo.* Hæc Craterus. Nec cæteri dubitabant, quin conjurationis indicium ſuppreſſurus non fuiſſet, niſi autor, aut particeps. Quem enim pium, & bonæ mentis, non amicum modo, ſed ex ultima plebe, auditis quæ ad eum delata erant, non protinus ad Regem fuiſſe curſurum? Nec Ceballini quidem exemplo, qui ex fratre comperta ipſi nuntiaſſet. Parmenionis filium, Præfectum equitatus, omnium arcanorum Regis arbitrum ſimulaſſe, etiam non vacaſſe ſermoni ſuo Regẽ, ne index alium

inter-

internuntium quæreret. Nicomachum religione quoque Deûm adſtrictum, conſcientiam ſuam exonerare properaſſe. Philotam conſumpto per ludum jocumque pene toto die gravatum eſſe, pauca verba ad caput Regis pertinentia, tam longo & forſitas ſupervacuo inſerere ſermoni. At enim non credidiſſe talia deferentibus pueris, cur igitur extraxiſſet biduum, tanquam indicio haberet fidem? Dimittendum fuiſſe Ceballinum, ſi delationem ejus damnabat. In ſuo quemque periculo magnum animum habere: cum de ſalute Regis timeretur, credulos eſſe debere: vana quoque deferenteis admittere. Omnes igitur quæſtionem de eo, ut participes ſceleris indicare cogeretur, habendam eſſe decernunt. Rex, admonitos ut conſilium ſilentio premerent, dimittit. Pronuntiari deinde iter in poſterum diem jubet, ne qua novi initi conſilii daretur nota. Invitatus eſt etiam Philotas ad ultimas ipſi epulas: & non cœnare modo, ſed etiam familiariter colloqui cum eo, quem damnaverat, ſuſtinuit. Secunda deinde vigilia, luminibus extinctis, cum paucis in regiam coëunt Hephæſtion, & Craterus, & Cœnus, & Erigyus. Hi ex amicis. Ex armigeris autem, Perdiccas, & Leonatus. Per hos imperatum, ut qui ad Prætorium excubabant, armati vigilarent. Iam ad omnes aditus diſpoſiti equites, itinera quoque obſidere juſſi, ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediæ, magniſque copiis præerat, occultus evaderet. Attarras autem cum trecentis armatis intraverat regiam. Huic decē ſatellites traduntur. quorum ſingulos deni armigeri ſequebantur. Ii ad alios conjuratos comprehendendos diſtributi ſunt. Attarras cum

cum trecentis ad Philotam miſſus,clauſum aditum domus moliebatur. L.juvenum promptiſſimis ſtipatus. Nam cæteros cingere undique domum juſſerat,ne occulto aditu Philotas poſſet elabi. Illum, ſive ſecuritate animi, ſive fatigatione reſolutum, ſomnus oppreſſerat: quem Attarras torpentem adhuc occupat. Tandem ei ſopore diſcuſſo cum iniicerentur catenæ: *Vicit,* inquit,*bonitatem tuam,Rex, inimicorum meorum acerbitas.* Nec plura locutum,capite velato, in regiam abducunt. Poſtero die Rex edixit, omnes armati coirent. Sex millia fere militum venerant,præterea turba lixarum calonumque impleverant regiam. Philotam armigeri agmine ſuo tegebant, ne ante conſpici poſſet à vulgo, quam Rex allocutus milites eſſet. De capitalibus rebus vetuſto Macedonum modo inquirebat exercitus. in pace erat vulgi. nihil poteſtas Regum valebat, niſi prius valuiſſet autoritas. Igitur primum Dymni cadaver infertur, pleriſque quid patraſſet, quoque caſu extinctus eſſet, ignaris.

9 Rex deinde in concionem procedit, vultu præferens dolorem animi. Amicorum quoque mœſtitia exſpectationem haud parvam fecerat. Diu demiſſo in terram vultu, attonito ſtupentique ſimilis ſtetit. Tandem recepto animo,*Pene*,inquit, *milites, paucorum hominum ſcelere vobis ereptus ſum. Deûm providentia & miſericordia vivo: conſpectuſque veſter venerabilis coëgit, ut vehementius parricidis iraſcerer: quoniam ſpiritus, imo unus vitæ meæ fructus eſt, tot fortiſſimis viris & de me optime meritis referre adhuc gratiam poſſe.* Interrupit orationem militum gemitus,obortæque ſunt omnibus lachrymæ, Tum Rex:

Quanto,

Quanto, inquit, *majorem in animis veſtris motu excitabo, cum tanti ſceleris autores oſtendero, qu rum mentionem adhuc reformido, & tanquam ſa vi eſſe poſſint, nominibus abſtineo? Sed vincenda e memoria priſtinæ charitatis, & conjuratio impi rum civium detegenda. Quomodo autem tantu nefas ſileam? Parmenio, illa ætate, tot meis, tot pa rentis mei meritis devinctus, omnium nobis amic rum vetuſtiſſimus, ducem tanto ſceleri ſe præbui Miniſter ejus Philotas, Peucolaum, & Demetriun & hunc Dymnum, cujus corpus aſpicitis, cæteroſ ejuſdem amentiæ in caput meum ſubornavit.* Fr mitus undique indignantium querentiumq tota concione obſtrepebat, qualis ſolet eſ multitudinis, & maxime militaris, ubi aut ſt dio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, & M tron, & Ceballinus producti, quæ quiſque det lerat, exponunt: nullius eorum indicio Philo tas particeps deſtinabatur. Itaque indignatic ne preſſa, vox indicum ſilentio excepta eſ Tum Rex: *Qualis*, inquit, *ergo animi vobis vide tur, qui hujus rei delatum indicium idipſum ſup preſſit? quod non fuiſſe vanum Dymni exitus de clarat. Incertam rem deferens, tormenta non timui Ceballinus ne momentum quidem temporis diſtuli exonerare ſe, ut eo, ubi lavabar, irrumperet. Philo tas ſolus nihil timuit, nihil credidit. O magni anim virum! Iſte Regis periculo cum moneretur, vultum non mutaret? indicem tantæ rei ſollicitus non audi ret? Subeſt nimirum ſilentio facinus, & avida ſpe regni præcipitem animum ad ultimum nefas impu lit. Pater Mediæ præeſt. Ipſe apud multos copiarum duces meis præpotens viribus, majora, quam capit ſperat. Orbitas quoque mea, quod ſine liberis ſum ſpernitur. Sed errat Philotas. In vobis liberos, paren-*

tes

tes, conſanguineos habeo. Vobis ſalvis orbus eſſe non poſſum. Epiſtolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem & Philotam ſcripſerat, recitat, haud ſane indicium gravioris conſilii præferentem. Namque ſumma ejus hęc erat. *Primum veſtri curam agite, deinde veſtrorum: ſic enim, quæ deſtinavimus, efficiemus.* Adjecitque Rex, *Sic eſſe ſcriptam, ut, ſive ad filios perveniſſet, à conſciis poſſet intelligi; ſive intercepta eſſet, falleret ignaros. At enim Dymnus, cum cæteros participes ſceleris indicaret, Philotam non nominavit. Hoc quidem illius non innocentiæ, ſed potentiæ indicium eſt, quod ſic ab iis timetur etiam à quibus prodi poteſt. ut cum de ſe fateantur, illum tamen celent. Cæterum Philotam ipſius indicat vita. Hic Amyntæ, qui mihi conſobrinus fuit, & in Macedonia capiti meo impias comparavit inſidias, ſocium ſe, & conſcium, adjunxit. Hic Attalo, quo graviorem inimicum non habui, ſororem ſuam in matrimonium dedit. Hic, cum ſcripſiſſem ei pro jure tam familiaris uſus atque amicitiæ, qualis ſors edita eſſet Iovis Ammonis oraculo ſuſtinuit reſcribere mihi, Se quidem gratulari, quod in numerum Deorum receptus eſſem: cæterum miſereri eorum, quibus vivendum eſſet ſub eo, qui modum hominis excederet. Hæc ſunt etiam animi pridem alienati à me, & invidentis gloriæ meæ, indicia: quæ equidem, milites, quam diu licuit, in animo meo preſſi. Videbar enim mihi partem viſcerum meorum abrumpere, ſi in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed jam non verba punienda ſunt, linguæ temeritas pervenit ad gladios. Hos (ſi mihi creditis) Philotas in me acuit. ſi ipſum dimiſero, quo me conferam milites? cui caput meum credam? Equitatui, optimæ exercitus parti, principibus nobiliſſimæ juventutis*

unum

unum præfeci: ſalutem, ſpem, victoriam meam, fidei ejus tutelæque commiſi: patrem in idem faſtigium, in quo me ipſi poſuiſtis, admovi. Mediam, quâ nulla opulentior regio eſt, tot civium ſociorumque millia, imperio ejus ditionique ſubjeci. Vnde præſidium petieram, periculum exſtitit. Quam feliciter in acie occidiſſem, potius hoſtis præda, quam civis victima. Nunc ſervatus ex periculis, quæ ſola timui, in hæc incidi, quæ timere non debui. Soletis identidem à me, milites, petere, ut ſaluti meæ parcam. Ipſi mihi præſtare poteſtis, quod ſuadetis ut faciam. Ad veſtras manus, ad veſtra arma confugio: invitis vobis ſalvus eſſe nolo: volentibus, non poſſum, niſi vindicor. Tum Philotam, religatis poſt tergum manibus, obſoleto amiculo velatum juſſit induci. Facile apparebat motos eſſe tam miſerabili habitu, non ſine invidia paulo ante conſpecti. Ducem equitatus pridie viderant, ſciebant Regis interfuiſſe convivio: repente non reum modo, ſed etiam damnatum, imo vinctum intuebantur. Subibat animos Parmenionis quoque, tanti ducis, tam clari civis fortuna, qui modo duobus filiis Hectore & Nicanore orbatus, cum eo, quem reliquum calamitas fecerat, abſens diceret cauſam. Itaque Amyntas Regis Prætor, inclinantem ad miſericordiam concionem rurſus aſpera in Philotam oratione commovit: *Proditos eos eſſe Barbaris: neminem ad conjugem ſuam, neminem in patriam & ad parentes fuiſſe rediturum: velut truncum corpus, dempto capite, ſine ſpiritu, ſine nomine, in aliena terra ludibrium hoſtis futuros.* Haudquaquam pro re ipſius Amyntæ oratio grata Regi fuit, quod conjugum, quod patriæ admonitos, pigriores ad cætera munia exſequenda feciſſet. Tunc Cœnus, quan-

quanquam Philotæ ſororem matrimonio ſecum conjunxerat, tamen acrius quam quiſquam in Philotam invectus eſt; parricidam eſſe Regis, patriæ, exercitus clamitans: ſaxumque, quod forte ante pedes jacebat, arripuit, emiſſurus in eum; ut plerique credidere, tormentis ſubtrahere cupiens: ſed Rex manum ejus inhibuit, dicendæ prius cauſæ debere fieri poteſtatem, nec aliter judicari paſſurum ſe, affirmans. Tum dicere rurſus permiſſus Philotas, ſive conſcientia ſceleris, ſeu periculi magnitudine amens & attonitus, non attollere oculos, non hiſcere audebat. Lachrymis deinde manantibus, linquente animo, in eum, à quo tenebatur, incubuit: abſterſiſque amiculo ejus oculis, paulatim recipiens ſpiritum ac vocem, dicturus videbatur. Iamque Rex intuens eum, *Macedones*, inquit, *de te judicaturi ſunt: quæro, an patrio ſermone ſis apud eos uſurus?* Tum Philotas: *Præter Macedonas*, inquit, *plerique adſunt, quos facilius, quæ dicam, percepturos arbitror, ſi eadem lingua fuero uſus, qua tu egiſti: non ob aliud, credo, quam ut oratio tua intelligi poſſet à pluribus.* Tum Rex: *Ecquid videtis odio etiam ſermonis patrii Philotam teneri? Solus quippe faſtidit eum dicere. Sed dicat ſane utcunque cordi eſt, dum memineritis, æque illum à noſtro more atque ſermone abhorrere.* Atque ita concione exceſſit.

10 Tum Philotas: *Verba*, inquit, *innocenti reperire facile eſt, modum verborum miſero tenere difficile. Itaque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunam deſtitutus, ignoro quo modo & animo meo & tempori paream. Abeſt quidem optimus cauſæ meæ iudex: qui cur me ipſe audire noluerit, non mehercule excogito, cum illi utique, cognita*

cauſa.

cauſa, tam damnare me liceat, quam abſolvere. N
cognita vero, liberari ab abſente non poſſum, qu
præſente damnatus ſum. Sed quanquam vincti
minis non ſupervacua ſolum, ſed etiam inviſa
fenſio eſt, quæ judicem non docere videtur, ſed
guere: tamen utcunque licet dicere, memetipſe
deſeram, nec committam ut damnatus etiam m
ſententia videar. Equidem, cujus criminis reus ſi
non video. Inter conjuratos nemo me nominat.
me Nicomachus nihil dixit. Ceballinus plus qua
audierat ſcire non potuit. Atqui conjurationis c
put me fuiſſe credit Rex. Potuit ergo Dymnus eu
præterire, quem ſequebatur? præſertim cum qu
renti ſocios vel falſo fuerim nominandus, quo fa
lius qui tentabatur poſſet impelli. Non enim dete
facinore nomen meum præteriit, ut poſſet videri ſo
peperciſſe. Nicomachus, quem taciturum arcana
ſemetipſo credebat, confeſſus, aliis nominatis, me
num ſubtrahebat. Quæſo, commilitones, ſi Cebal
nus me non adiſſet, nihil me de conjuratis ſcire v
luiſſet: num hodie dicerem cauſam nullo me nom
nante? Dymnus ſane & vivat adhuc, & velit mi
parcere: quid cæteri, qui de ſe confitebuntur? me v
delicet ſubtrahent? Maligna calamitas, & vere n
xia, cum quis ſuo ſupplicio acquieſcit pro alio cru
ciatus. Tot conſcii ne in equuleum quidem impoſi
verum fatebuntur? Atqui nemo parcit moritur
nec cuiquam moriturus, ut opinor. Ad verum cri
men & ad unum revertendum mihi eſt. Cur rem de
latam ad te tacuiſti? cur tam ſecurus audiſti? Ho
qualecunque eſt, confeſſo mihi, ubicunque es Ale
xander, remiſiſti: dexteram tuam amplexus reconci
liati pignus animi, convivio quoque interfui. Si cre
didiſti mihi, abſolutus ſum: ſi pepercisti, dimiſſus. Ve
judicium tuum ſerva. Quid hac proxima nocte, qu
digreſſu

digreſſus ſum à menſa tua,feci?quod novum facinus delatum ad te mutavit animum tuum? Gravi ſopore acquieſcebam, cum me malis indormientem meis,inimici vinciendo excitarunt. Vnde & parricidæ & proditori tam alti quies ſomni? ſcelerati conſcientia obſtrepente cum dormire non poſſint. agitant eos furiæ,nõ conſummato modo,ſed & cogitato parricidio. At mihi ſecuritatem primum innocentia mea,deinde dextera tua obtulerat. Non timui ne plus alienæ crudelitati apud te liceret, quam clementiæ tuæ. Sed ne te mihi credidiſſe pœniteat, res ad me deferebatur à puero, qui non teſtem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, ſi cœpiſſet audiri. Amatoris & ſcorti jurgio interponi aures meas,credidi infelix, & fidem ejus ſuſpectam habui, quod non ipſe deferret, ſed fratrem potius ſubornaret. Timui ne negaret mandaſſe ſe Ceballino, & ego viderer multis amicorum Regis fuiſſe periculi cauſa. Sic quoque cum læſerim neminem, inveni, qui mallet perire me, quam incolumem eſſe. Quid inimicitiarum creditis excepturum fuiſſe, ſi inſontes laceſſiſſem? At enim Dymnus ſe occidit. Num igitur facturum eum divinare potui? Minime. Ita quod ſolum indicio fidem fecit, id me,cum à Ceballino interpellatus ſum,movere non potuit. At hercule, ſi conſcius Dymno tanti ſceleris fuiſſem, biduo illo proditos eſſe nos, diſſimulare non debui. Ceballinus ipſe tolli de medio nullo negotio potuit. Denique, poſt delatum indicium quo periturus eram, cubiculum Regis ſolus intravi,ferro quidem cinctus. Cur diſtuli facinus? An ſine Dymno non ſum auſus? Ille igitur princeps conjurationis fuit: ſub illius umbra Philotas latebam,qui regnum Macedonum affecto. Ecquis è vobis corruptus eſt donis? quem ducem,quem Præfectum impenſius colui? Mihi quidem obiicitur,

quod

quod ſocietatem patrii ſermonis aſperner, quod Ma cedonum mores faſtidiam. Sic ego imperio, quod d. dignor, immineo? Iampridem nativus ille ſerm commercio aliarum gentium exolevit: tam victor. bus, quam victis, peregrina lingua diſcenda eſt. No mehercule iſta me magis lædunt, quam quod Amyn tas Perdiccæ filius inſidiatus eſt Regi: cum qu quod amicitia fuerit mihi, non recuſo defendere, fratrem Regis non oportuit diligi à nobis. Sin auter in illo fortunæ gradu poſitum etiam venerari neceſſ erat, utrum, quæſo, quod nō divinavi, reus ſum? A impiorum amicis inſontibus quoque moriendur eſt? Quod ſi æquum eſt, cur tam diu vivo? ſi inju ſtum, cur nunc demum occidor? At enim ſcripſi Miſereri me eorum, quibus vivendum eſſet ſub eo qui ſe Iovis filium crederet. Fides amicitiæ, ver conſilii periculoſa libertas, vos me decepiſtis: vos, qu ſentiebam, ne reticerem, impuliſtis. Scripſiſſe me ho fateor Regi, non de Rege. non enim faciebam invidiam, ſed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iovis ſtirpem tacitus agnoſceret quam qui prædicatione jactaret. Sed quoniam oraculi fides certa eſt, ſit Deus cauſæ meæ teſtis. Retinete me in vinculis, dum conſulitur Hammon interim. Qui Regem noſtrum dignatus eſt filium, neminem eorum, qui ſtirpi ſuæ inſidiati ſunt, latere patietur. Si certiora oraculis creditis eſſe tormenta, ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amiſi: patrem nec oſtendere poſſum, nec invocare audeo, cum & ipſe tanti criminis reus ſit. Parum eſt enim tot modo liberorum parentem, in unico filio acquieſcentem, eo quoque orbari, ni ipſe in rogum meum imponitur. Ergo, chariſſime pater, & propter me morieris, & mecum. Ego tibi vitam adimo, ego

mo, ego ſenectutem tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem adverſantibus Diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Neſcio, adoleſcentia mea miſerior ſit, an ſenectus tua. Ego in ipſo robore ætatis eripior: tibi carnifex ſpiritum adimet, quem ſi fortuna exſpectare voluiſſet, natura repoſcebat. Admonuit me patris mei mentio, quam timide & cunctanter, quæ Ceballinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim cum audiſſet venenum à Philippo medico Regi parari, deterrere eum voluit epiſtola ſcripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare conſtituerat. Num creditum eſt patri meo? Num ullam autoritatem ejus litteræ habuerunt? Ego ipſe quoties, quæ audieram, detuli, cum ludibrio credulitatis repulſus ſum. Si & cum indicamus, inviſi; & cum tacemus, ſuſpecti ſumus, quid facere nos oportet? Cumque unus è circumſtantium turba exclamaſſet, *Bene meritis non inſidiari:* Philotas, *Recte*, inquit, *quiſquis es, dicis. Itaque ſi inſidiatus ſum, pœnam non deprecor: & finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia ſunt auribus veſtris.* Abducitur deinde ab iis qui cuſtodiebant eum.

11. Erat inter duces manu ſtrenuus Belon quidem, pacis artium & civilis habitus rudis: vetus miles, ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus. qui, tacentibus cæteris, ſtolida audacia ferox, admonere eos cœpit, quoties ſuis quiſque diverſoriis, quæ occupaſſent, deturbatus eſſet, ut purgamenta ſervorum Philotæ reciperentur eo, unde commilitones expuliſſet: auro argentoque vehicula ejus onuſta totis vicis ſtetiſſe: ac ne in vicinia quidem diverſorii quemquam commilitonum receptũ eſſe: ſed per diſpoſitos, quos ad ſomnum

habebat

habebat, omnes procul relegatos, ne fœmin
illa murmurantium inter ſe, ſilentio veriu
quam ſono, excitaretur. Ludibrio ei fuiſſe ruſt
cos homines, Phrygaſque & Paphlagonas ap
pellatos, qui non erubeſceret, Macedo natu
homines linguæ ſuæ per interpretem audir
Cur Hammonem conſuli vellet? eundem Iov
arguiſſe mendacium, Alexandrum filium a
noſcentis. ſcilicet veritum ne invidioſum eſſe
quod Dii offerrent. Cum inſidiaretur capiti R
gis, & amici, non conſuluiſſe eum Iovem. nu
ad oraculum mittere, dum pater ejus ſollicit
retur, qui præſit in Media: & pecunia, quæ ej
cuſtodiæ commiſſa ſit, perditos homines ad ſ
cietatem ſceleris impellat. Ipſos miſſuros a
oraculum, non qui Iovem interrogent, quod
Rege cognoverint; ſed qui gratias agant, q
vota pro incolumitate Regis optimi perſ
vant. Tum vero univerſa concio accenſa e
& à corporis cuſtodibus initium factum, cl
mantibus, diſcerpendum eſſe parricidam m
nibus eorum. Id quidem Philotas, qui gravio
ſupplicia metueret, haud ſane iniquo animo a
diebat. Rex in concionem reverſus, ſive ut
cuſtodia quoque torqueretur, ſive ut dilige
tius cuncta cognoſceret, concilium in poſt
rum diem diſtulit. Quanquam in veſperam in
clinabat dies, tamen amicos convocari jube
& cæteris quidem placebat, Macedonum mo
obrui ſaxis. Hephæſtion autem, & Craterus,
Cœnus, tormentis veritatem exprimenda
eſſe dixerunt: & illi quoque, qui aliud ſuaſeran
in horum ſententiam tranſeunt. Concilio erg
dimiſſo, Hephæſtion cum Cratero & Cœno
quæſtionem de Philota habendam conſurgur
Re.

Rex, Cratero accerſito, & ſermone habito, cujus ſumma non edita eſt, in intimam diverſorii partem receſſit, & remotis arbitris, in multam noctem quæſtionis exſpectavit eventum. Tortores in conſpectu Philotæ omnia crudelitatis tormenta proponunt. Et ille ultro: *Quid ceſſatis*, inquit, *Regis inimicum, interfectorem, conſcientem occidere? quid quæſtione opus eſt? Cogitavi, volui.* Craterus exigere, ut quæ confiteretur, in tormentis quoque diceret. Dum corripitur, dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, gentium jura, Deos patrios nequidquam apud ſurdas aures invocabat. Per ultimos deinde cruciatus, utpote damnatus, & inimicis in gratiam Regis torquentibus, laceratur. Ac primo quanquam hinc ignis, illinc verbera, jam non ad quæſtionem, ſed ad pœnam ingerebantur, non vocem modo, ſed etiam gemitus habuit in poteſtate. Sed poſtquam intumeſcens corpus ulceribus, flagellorum ictus nudis oſſibus incuſſos ferre non poterat, ſi tormentis adhibituri modum eſſent, dicturum ſe, quæ ſcire expeterent, pollicetur. Sed finem quæſtioni fore, jurare eos per Alexandri ſalutem, volebat, removerique tortores. Et utroque impetrato, Cratero inquit, *Dic quid me velis dicere.* Illo indignante, ludificari, rurſuſque revocante tortores, tempus petere cœpit, dum reciperet ſpiritum; cuncta quæ ſciret indicaturus. Interim equites, nobiliſſimus quiſque, & ii maxime, qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, poſteaquam Philotam torqueri fama vulgaverat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui Regi inſidiati erant, cum ipſis necarentur: alii ſe interficiunt, alii in devios

vios montes vaſtaſque ſolitudines fugiunt, i
genti per tota caſtra terrore diffuſo: donec Re
tumultu cognito legem ſe ſupplicii conjunct
ſontium remittere edixit. Philotas verone a
mendacio liberare ſe à cruciatu voluerit, a
ceps conjectura eſt: quoniam & vera confeſſ
& falſa dicentibus, idem doloris finis oſten
tur. Cæterum, Pater, inquit, meus, Hegeloc
quam familiariter uſus ſit, non ignoratis. Illu
dico Hegelochum, qui in acie cecidit. Ille o
nium malorum nobis cauſa fuit. Nam cum p
mum Iovis filium ſe ſalutari juſſit Rex, id in
gne ferens ille: Hunc igitur regem agnoſcim
inquit, qui Philippum dedignatur patrem?
ctum eſt de nobis, ſi iſta perpeti poſſumus. N
homines ſolum, ſed etiam Deos deſpicit, q
poſtulat Deus credi. Amiſimus Alexandru
amiſimus Regem: incidimus in ſuperbiam, n
Diis, quibus ſe exæquat, nec hominibus, quib
ſe eximit, tolerabilem. Noſtrone ſangu
Deum fecimus, qui nos faſtidiat? qui grave
mortalium adire concilium? Credite mihi
nos, ſi viri ſumus, à Diis adoptabimur. Q
proavum hujus Alexandrum, quis deinde A
chelaum, quis Perdiccam occiſos ultus eſt?
quidem interfectoribus patris ignovit. Hæc H
gelochus dixit ſuper cœnam, & poſtero die p
ma luce à patre accerſor. Triſtis erat, &
mœſtum videbat: audieramus enim quæ ſo
citudinem incuterent. Itaque ut experirem
utrumne vino gravatus effudiſſet illa, an alt
re concepta conſilio, accerſiri eum placuit,
venire: eodemque ſermone ultro repetito,
jecit, ſe, ſive auderemus duces eſſe, proxim
nobis partes vindicaturum: ſive deeſſet a
m

mus, conſilium ſilentio eſſe tecturum. Parmenioni, vivo adhuc Dario, intempeſtiva res videbatur, non enim ſibi, ſed hoſti eſſe occiſuros Alexandrum: Dario vero ſublato, præmium Regis occiſi Aſiam, & totum Orientem interfectoribus eſſe ceſſurum. Approbatoque conſilio, in hæc fides data eſt & accepta. Quod ad Dymnum pertinet, nihil ſcio: & hæc confeſſus, intelligo non prodeſſe mihi, quod prorſus ſceleris expers ſum. Illi rurſus tormentis admotis, cum ipſi quoque haſtis os oculoſque ejus everberarent, ut hoc quoque crimen confiteretur, expreſſere. Exigentibus deinde, ut ordinem cogitati ſceleris exponeret: cum diu Bactra retentura Regem viderentur, timuiſſe reſpondit, ne pater LXX. natus annos, tanti exercitus dux, tantæ pecuniæ cuſtos, interim extingueretur, ipſique ſpoliato tantis viribus, occidendi Regis cauſa non eſſet. Feſtinaſſe ergo ſe, dum præmiū haberet in manibus. Repræſentaſſe conſilium; cujus patrem fuiſſe autorem ſi crederent, tormenta, quanquam tolerare non poſſet, tamen non recuſare. Illi collocuti, ſatis quæſitum videri, ad Regem revertuntur. qui poſtero die, & quæ confeſſus erat Philotas, recitari; & ipſum, quia ingredi non poterat, juſſit afferri. Omnia agnoſcente eodem, Demetrius, qui proximi ſceleris particeps eſſe arguebatur, producitur: multa affirmatione, animique pariter conſtantia, & vultu abnuens, quidquam ſibi in Regem cogitatum eſſe. Tormenta etiam depoſcebat in ſemetipſum. Cum Philotas, circumlatis oculis incideret in Calin quendam haud procul ſtantem, propius eum juſſit accedere. Illo perturbato, & recuſante tranſire ad eum; *Patieris* inquit,

Demetrium mentiri, rurſuſque excruciari? Calin vox ſanguiſque defecerant, & Macedones Philotam inquinare innoxios velle ſuſpicabantur; quia nec à Nicomacho, nec ab ipſo Philota, cum torqueretur, nominatus eſſet adoleſcens: qui ut præfectos Regis circumſtantes ſe vidit, Demetrium & ſemetipſum id facinus cogitaſſe confeſſus eſt. Omnes ergo à Nicomacho nominatos, more patrio dato ſigno, ſaxis obruerunt. Magno non modo ſalutis, ſed etiam vitæ periculo liberatus erat Alexander. Quippe Parmenio & Philotas principes amicorum, niſi palam ſontes, ſine indignatione totius exercitus non potuiſſent damnari. Itaque anceps quæſtio fuit. Dum inficiatus eſt facinus, crudeliter torqueri videbatur: poſt confeſſionem, Philotas ne amicorum quidem miſericordiam meruit.

LIBER VII.

BREVIARIVM LIBRI.

1 *ALexander Lynceſtem majeſtatis reum interfici curat, deinde in Amyntam & Simmiam Philotæ amicos inquirit. qui ſuam innocentiam gravi oratione tuentur.*

2 *Amynta & fratribus in gratiam receptis, Polydamas à rege juſſus, in Mediam celeriter profectus, Parmenionem interfici curat. Vnde indignatio & ſeditio. quæ tandem extinguitur.*

3 *Varios populos ſub jugum mittit Alexander. ac ſeptendecim diebus, cum exercitu Caucaſum ſuperat.*

4 *Beſſus de bello adverſus Alexandrum, inter epulas,*

epulas, conſultat, ſapientique Cobaris conſilio, minime acquieſcit. Interim Rex Bactra pervenit, ubi Græcorum defectione & Satibarzane ſingulari certamine occiſo, advenit ei nuncius.

5 *Exercitus Alexandri ſiti liberatus Oxum amnem induſtrie traiicit. Beſſus dolo captus ad Alexandrum adducitur, à quo & Darii fratri Oxatri cruci figendus traditur.*

6 *Barbarorum & Macedonum benevolentia varias expugnat urbes. Sed & Alexandriam ad Tanaim condit amnem, breviſſimoque temporis abſolvit ſpatio.*

7 *De bello Scythis inferendo Alexander æger, ex vulnere cum ſuis init conſilium. Ariſtander vates regis voluntati extorum accommodat ſignificata. Menedemus à Spitamene per inſidias cum duobus peditum millibus &* CCC. *equitibus à Dahis interficitur: quod callide admodum diſſimulat Alexander.*

8. *Dum exercitus ad bellum accingitur, Scytharum legati adveniunt, ac de pace prorſus egregiam ad Alexandrum orationem habent.*

9 *Alexander legatis dimiſſis Tanaim traiicit: bellum Scythis infert: & cum victis benigne agit.*

10 *Sogdianorum nobilium invictus animus: Beſſi ſupplicium: novo milite auctus Alexandri exercitus.*

11 *Petram urbem ampliſſimam, ſitu naturaque loci fere inexpugnabilem, ad deditionem cogit Alexander.*

PHILOTAM ſicut recentibus ſceleris ejus veſtigiis jure affectum ſupplicio cenſuerant milites : ita, poſteaquam deſierat eſſe, quem odiſſent, invidia in miſericordiam vertitur. Moverat & claritas juvenis, & patris ejus ſenectus, atque orbitas. Primus Aſiam aperuerat Regi, omnium periculorum ejus particeps, ſemper alterum aciei cornu defenderat: Philippo quoque ante omnes amicus, & ipſi Alexandro tam fidus, ut occidendi Attalum non alio miniſtro uti mallet. Horum cogitatio ſubibat exercitum, ſeditioſæque voces referebantur ad Regem; queis ille haud ſane motus, ſatiſque prudens otii vitia negotio diſcuti, edicit ut omnes in veſtibulo regiæ præſto adforent. quos ubi frequentes adeſſe cognovit, in concionem proceſſit. Haud dubie ex compoſito Apharias poſtulare cœpit, ut Lynceſtes Alexander, qui multo ante quam Philotas Regem voluiſſet occidere, exhiberetur. A duobus indicibus (ſicut ſupra diximus) delatus, tertium jam annum cuſtodiebatur in vinculis. Eundem in Philippi quoque cædem conjuraſſe cum Pauſania, pro comperto fuit : ſed quia primus Alexandrum Regem ſalutaverat, ſupplicio magis, quam crimini fuerat exemptus. Tum quoque Antipatri ſoceri ejus preces juſtam Regis iram morabantur. Cæterum recruduit ſoporatus dolor : quippe veteris periculi memoriam, præſentis cura renovabat. Igitur Alexander ex cuſtodia educitur, juſſuſque dicere, quanquam toto triennio meditatus erat defenſionem, tamen hæſitans & trepidus, pauca ex iis quæ compo-

ſuerat,

ſuerat, protulit: ad ultimum non memoria ſolum, ſed etiam mens eum deſtituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conſcientiæ indicium eſſet, non memoriæ vitium. Itaque ex iis, qui proxime aſtiterant, obluctantem adhuc oblivioni, lanceis confoderunt: cujus corpore ablato, Rex introduci juſſit Amyntam & Simmiam. Nam Polemon minimus ex fratribus, cum Philotam torqueri comperiſſet, profugerat. Omnium Philotæ amicorum hi chariſſimi fuerant, ad magna & honorata miniſteria illius maxime ſuffragatione producti: memineratque Rex ſummo ſtudio ab eo conciliatos ſibi. Nec dubitabat hujus quoque ultimi conſilii fuiſſe participes. Igitur olim eſſe ſibi ſuſpectos matris ſuæ litteris, quibus eſſet admonitus, ut ab his ſalutem ſuam tueretur: cæterum ſe invitum deteriora credentem, nunc manifeſtis indiciis victum juſſiſſe vinciri. Nam pridie quam detegeretur Philotæ ſcelus, quin in ſecreto cum ipſo fuiſſet, non poſſe dubitari. Fratrem vero qui profugerit, cum Philotas torqueretur, aperuiſſe fugæ cauſam. Nuper præter conſuetudinem, officii ſpecie, amotis longius cæteris, admoviſſe ſemetipſos lateri ſuo, nulla probabili cauſa: ſeque mirantem quod non vice ſua tali fungerentur officio, & ipſa trepidatione eorum perterritum, ſtrenue ad armigeros, qui proxime ſequebantur, receſſiſſe. Ad hoc accidere, quod cum Antiphanes ſcriba equitum Amyntæ denuntiaſſet, pridie quam Philotæ ſcelus deprehenſum eſſet, ut ex ſuis equis, more ſolito, daret iis qui amiſiſſent ſuos: ſuperbe reſpondiſſe, niſi incepto deſiſteret, brevi ſciturum quis ipſe eſſet. Iam linguæ violentiam, temeritatemque

verborum, quæ in ſemetipſum jacularentur, nihil aliud eſſe, quam ſceleſti animi indicem ac teſtem: quæ ſi vera eſſent, idem meruiſſe eos, quod Philotam: ſi falſa, exigere ipſum ut refellant. Productus deinde Antiphanes, de equis non traditis, & adjectis etiam ſuperbe minis indicat. Amyntas, facta dicendi poteſtate: *Si nihil*, inquit, *intereſt Regis; peto, ut dum dico, vinculis liberer.* Rex ſolvi utrumque jubet: deſideranti-que Amyntæ ut habitus quoque redderetur, armigeri lanceam dari juſſit: quam ut læva comprehendit, evitato eo loco, in quo Alexandri corpus paulo ante jacuerat, *Qualiſcunque*, inquit, *exitus nos manet, Rex, confitemur, proſperum tibi debituros, triſtiorem fortunæ imputaturos. Sine præjudicio dicimus cauſam; liberis corporibus animiſque: habitum etiam, in quo te comitari ſolemus, reddidiſti. Cauſam non poſſumus, fortunam timere deſinemus. Te quæſo, permittas mihi id primum defendere, quod à te ultimum objectum eſt. Nos, Rex, ſermonis adverſus majeſtatem tuam habiti nullius conſcii ſumus nobis. Dicerem jam pridem viciſſe te invidiam, niſi periculum eſſet, ne alia maligne dicta crederes blanda oratione purgari. Cæterum, etiam ſi militis tui vel in agmine deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo ægri & vulnera curantis, aliqua vox aſperior eſſet accepta, merueramus fortibus factis, ut malles ea tempori noſtro imputare, quam animo. Cum quid accidit triſtius, omnes rei ſunt: corporibus noſtris, quæ utique non odimus, infeſtas admovemus manus: parentes liberis ſi occurrant, & ingrati & inviſi ſunt. Contra, cum donis honoramur, cum præmiis onuſti revertimur, quis ferre nos poteſt? quis illam animorum alacritatem continere? Militantium, nec indignatio,*

nec

nec lætitia moderata eſt. Ad omnes affectus impetu rapimur, vituperamus, laudamus, miſeremur, iraſcimur. Utcunque præſens movit affectio, modo Indiam adire & Oceanum libet, modo conjugum & liberorum patriæque memoria occurrit. Sed has cogitationes, has inter ſe colloquentium voces, ſignum tuba datum finit. In ſuos ordines quiſque currimus, & quidquid irarum in tabernaculo conceptum eſt, in hoſtium effunditur capita. Utinam Philotas quoque intra verba peccaſſet. Proinde ad id revertar, propter quod rei ſumus. Amicitiam, qua nobis cum Philota fuit, adeo non inficior, ut expetiſſe quoque nos, magnoſque ex ea fructus percepiſſe confitear. An vero Parmenionis, quem tibi proximum eſſe voluiſti, filium, omnes pene amicos tuos dignatione vincentem, cultum à nobis eſſe miraris? Tu hercule (ſi verum audire vis) Rex, hujus nobis periculi cauſa es. Quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ aſcendimus. Is apud te fuit, cujus gratiam expetere, & iram timere poſſemus. An non propemodum in tua verba, tui omnes te præeunte juravimus, eoſdem nos inimicos amicoſque habituros eſſe, quos tu haberes? hoc ſacramento pietatis obſtricti adverſaremur ſcilicet, quem tu omnibus præferebas? Igitur ſi hoc crimen eſt, tu paucos innocentes habes, imo hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici eſſe voluerunt: totidem, quot volebant, eſſe non poterant. Ita ſi à conſciis amicos non dividis, nec ab amicis quidem ſeparabis illos, qui idem eſſe voluerunt. Quod igitur conſcientiæ affertur indicium? ut opinor, quia pridie familiariter, & ſine arbitris, locutus eſt nobiſcum. At ego purgare non poſſem, ſi pridie quidquam ex vetere vita ac more mutaſſem. Nunc vero, ſi ut omnibus diebus, illo

quoque qui ſuſpectus eſt, fecimus; conſuetudo dilui
crimen. Sed equos Antiphani non dedimus, & pri
die quam Philotas detectus eſt, hæc mihi cum An
tiphane res erat. qui ſi nos ſuſpectos facere vult, quo
illo die equos non dederim, ſemetipſum, quod eos de
ſideraverat, purgare non poterit. Anceps enim cri
men eſt inter retinentem & exigentem, niſi quo
melior eſt cauſa ſuum non tradentis, quam poſcenti
alienum. Cæterum, Rex, equos decem habui, è quei
Antiphanes octo jam diſtribuerat iis, qui amiſe
rant ſuos. Omnino duos ipſe habebam: quos cun
vellet abducere homo ſuperbiſſimus, certe iniquiſſi-
mus, niſi pedes militare vellem, retinere cogebat. Ne
inficias eo, liberi hominis animo locutum eſſe m
cum ignaviſſimo, & hoc unum militiæ ſuæ uſurpan-
te, ut alienos equos pugnaturis diſtribuat. Huc enim
malorum ventum eſt, ut verba mea eodem tempor
& Alexandro excuſem, & Antiphani. At hercule
mater de nobis inimicis tibi ſcripſit. Vtinam pruden-
tius eſſet ſollicita pro filio, & non inanes quoque ſpe-
cies anxio animo figuraret. Quare enim non adſcri-
bit metus ſui cauſam? Denique non oſtendit auto-
rem, quo facto dictove noſtro mota, tam trepidas tibi
litteras ſcripſit. O miſeram conditionem meam, cui
forſitan non periculoſius eſt tacere, quam dicere. Sed
utcunq; ceſſura res eſt, malo tibi defenſionem meam
diſplicere, quam cauſam. Agnoſces autem quæ di-
cturus ſum. quippe meminiſti, cum me ad perducen-
dos ex Macedonia milites mitteres, dixiſſe te, mul-
tos integros juvenes in domo tua matris abſcondi.
Præcepiſti igitur mihi, ne quem præter te intuerer,
ſed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod
equidem feci, & liberius quam expediebat mihi, ex-
ſecutus ſum imperium tuum. Gorgiam, & Hecca-
tæum, & Gorgatam, quorum bona opera uteris, inde
perduxi.

perduxi. Quid igitur iniquius eſt, quam me, qui, ſi tibi non paruiſſem, jure daturus fui pœnas, nunc perire, quia parui? Neque enim ulla alia matri tuæ perſequendi nos cauſa eſt, quam quod utilitatem tuam muliebri præpoſuimus gratiæ. Sex millia Macedonum peditum, & DC. equites adduxi: quorum pars ſecutura me non erat, ſi militiam detrectantibus indulgere voluiſſem. Sequitur ergo, ut, quia illa propter hanc cauſam iraſcitur nobis, tu mitiges matrem, qui iræ ejus nos obtuliſti.

2 Dum hæc Amyntas agit, forte ſupervenerunt qui fratrem ejus Polemonem, de quo ante dictum eſt, fugientem conſecuti vinctum reducebant. Infeſta concio vix inhiberi potuit, quin protinus ſuo more ſaxa in eum jaceret. Atque ille ſane interritus, *Nihil*, inquit, *pro me deprecor, modo ne fratrum innocentiæ fuga imputetur mea. Hæc ſi defendi non poteſt, meum crimen ſit. Horum ob id ipſum melior eſt cauſa, quod ego, qui profugi, ſuſpectus ſum.* Hæc elocuto univerſa concio aſſenſa eſt. Lachrymæ deinde omnibus manare cœperunt, adeo in contrarium repente mutatis, ut ſolum pro eo eſſet, quod maxime læſerat. Iuvenis erat primo ętatis flore pubeſcens, quem inter equites tormentis Philotæ conturbatos alienus terror abſtulerat. Deſertum eum à comitibus, & hęſitantem inter revertendi fugiendique conſilium, qui ſecuti erant, occupaverunt. Is tum flere cœpit, & os ſuum converberare, mœſtus non ſuam vicẽ, ſed propter ipſum periclitantium fratrum. Moveratque jam Regem, non concionem modo: ſed unus erat implacabilis frater, qui terribili vultu intuens eum, *Tum*, ait, *demens lachrymare debueras, cum equo calcaria ſubderes, fratrum deſertor, & deſerto-*

rum comes. Miſer, quo, & unde fugiebas? Effeciſti ut reus capitis, accuſatoris uterer verbis. Ille peccaſſe ſe, ſed gravius in fratres, quam in ſemetipſum, fatebatur. Tum vero, neque lachrymis, neque acclamationibus, quibus ſtudia ſua multitudo profitetur, temperaverunt. Vna vox erat pari emiſſa conſenſu, ut inſontibus & fortibus viris parceret. Amici quoque, data miſericordiæ occaſione, conſurgunt; flenteſque Regem deprecantur. Ille, ſilentio facto, *Et ipſe*, inquit, *Amyntam mea ſententia fratreſque ejus abſolvo. Vos autem juvenes malo beneficii mei oblivisci, quam periculi veſtri meminiſſe. Ea fide redite in gratiam mecum, qua ipſe vobiſcum revertor. Niſi quæ delata eſſent, excuſſiſſem, valde diſſimulatio mea ſuſpecta eſſe potuiſſet. Sed ſatius eſt purgatos eſſe, quam ſuſpectos. Cogitate, neminem abſolvi poſſe, niſi qui dixerit cauſam. Tu Amynta, ignoſce fratri tuo: erit hoc ſimpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus.* Concione deinde dimiſſa, Polydamanta vocari jubet. Longe acceptiſſimus Parmenioni erat, proximus lateri in acie ſtare ſolitus. Et quanquam conſcientia fretus, in regiam venerat: tamen ut juſſus eſt fratres ſuos exhibere admodum juvenes, & Regi ignotos ob ætatem; fiducia in ſollicitudinem verſa, trepidare cœpit: ſæpius quæ nocere poſſent, quam quibus eluderetur, reputans. Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos, cum exſanguem metu Polydamanta propius accedere jubet: ſubmotiſque omnibus: *Scelere*, inquit, *Parmenionis omnes pariter appetiti ſumus: maxime ego ac tu, quos amicitiæ ſpecie fefellit; ad quem perſequendum puniendumque (vide quantum fidei tuæ credam) te miniſtro uti ſtatui. Obſides, dum hoc peragis,*

agis,

agis, erunt fratres tui. Proficiſcere in Mediam, & ad Præfectos meos litteras ſcriptas manu mea perfer. Velocitate opus eſt, qua celeritatem famæ antecedas. Noctu pervenire illuc te volo: poſtero die quæ ſcripta erunt, exſequi. Ad Parmenionem quoque epiſtolas feres, unam à me, alteram Philotæ nomine ſcriptam. Signum annuli ejus in mea poteſtate eſt. Sic pater credens à filio impreſſum, cum te viderit, nihil metuet. Polydamas, tanto liberatus metu, impenſius etiam quam exigebatur, promittit operam. Collaudatuſque, & præmiis oneratus, depoſita veſte quam habebat, Arabica induitur. Duo Arabes, quorum interim conjuges ac liberi vinculum fidei obſides apud Regem erant, dati comites. Per deſerta etiam ob ſiccitatem loca, camelis undecima die, quo deſtinaverat, pervenit. Et prius quam ipſius nuntiaretur adventus, rurſus Polydamas veſtem Macedonicam ſumit, & in tabernaculum Cleandri (Prætor hic regius erat) quarta vigilia pervenit. Redditis deinde litteris, conſtituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Namq; cæteri quoque quibus litteras Regis attulerat, ad eum venturi erant, cum Parmenioni Polydamanta veniſſe nuntiaverunt: qui dum lætatur adventu amici, ſimulque noſcendi, quæ Rex ageret, avidus, (quippe longo intervallo nullam ab eo epiſtolam acceperat) Polydamanta requiri jubet. Diverſoria regionis illius magnos receſſus habent, amœnoſque nemoribus manu conſitis. Ea præcipue Regum Satraparumque voluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenio, medius inter duces, quibus erat imperatum litteris Regis, ut occiderent. Agendæ autem rei conſtituerant tempus, cum Parmenio à Polydamante

litteras,

litteras traditas legere cœpiſſet. Polydamas procul veniens, ut à Parmenione conſpectus eſt vultu lætitiæ ſpeciem præferente, ad complectendum eum cucurrit: mutuaque gratulatione functi, Polydamas epiſtolã à Rege ſcriptam ei tradidit. Parmenio vinculum epiſtolæ ſolvens, quidnam Rex ageret, requirebat. Ille, ex ipſis litteris cogniturum eſſe, reſpondit. Quibus Parmenio lectis, *Rex*, inquit, *expeditionem parat in Arachoſios. Strenuum hominem, & nunquam ceſſantem. Sed tempus, ſaluti ſuæ, tanta jam parta gloria, parcere.* Alteram deinde epiſtolam Philotæ nomine ſcriptam, lætus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum ejus latus gladio haurit Cleander, deinde jugulum ferit: cæteri exanimem quoque confodiunt. Et armigeri qui ad aditum nemoris aſtiterant, cognita cæde, cujus cauſa ignorabatur, in caſtra perveniunt, & tumultuoſo nuntio milites concitant. Illi armati ad nemus, in quo perpetrata cædes erat, coëunt, & ni Polydamas, cæterique ejusdem noxę participes dedantur, murum circundatũ nemori everſuros denuntiant, omniumque ſanguine Duci parentaturos. Cleander primores eorum intromitti jubet, litteraſque Regis ſcriptas ad milites recitat, quibus inſidiæ Parmenionis in Regem, preceſque ut ipſum vindicaret, continebantur. Igitur, cognita Regis voluntate, non quidem indignatio, ſed tamen ſeditio compreſſa eſt. Dilapſis pluribus pauci remanſerunt, qui ſaltem ut corpus ipſius ſepelire permitterent, precabantur. Diu id negatum est Cleandri metu, ne offenderet Regem. Pertinacius deinde precantibus, materiam conſternationis ſubtrahendam ratus, capite deciſo trun-

cu:

cum humare permiſit. Ad Regem caput miſſum eſt. Hic exitus Parmenionis fuit, militiæ, domique clari viri. Multa ſine Rege proſpere, Rex ſine illo, nihil magnæ rei geſſerat. Feliciſſimo Regi, & omnia ad fortunæ ſuæ exigenti modum, ſatisfecit. LXX. natus annos, juvenis, ducis, & ſæpe etiam gregarii militis munia explicuit; acer conſilio, manu ſtrenuus, charus principibus, vulgo militum acceptior. Hæc impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum ſuſpectum fecerint, ambigi poteſt: quia Philotas ultimis cruciatibus victus, verane dixerit, quæ facta probari non poterant, an falſis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cum magis poſſet liquere, dubitatum eſt. Alexander quos mortem Parmenionis conqueſtos eſſe compererat, ſeparandos à cætero exercitu ratus, in unam cohortem ſecrevit, ducemque his Leonidam dedit, & ipſum Parmenioni quondam intima familiaritate conjunctum. Fere iidem erant, quos alioqui Rex habuerat inviſos. Nam cum experiri vellet militum animos, admonuit, qui litteras in Macedoniam ad ſuos ſcripſiſſet, iis, quos ipſe mittebat, perlaturis cum fide, traderet: ſimpliciter ad neceſſarios ſuos quiſque ſcripſerat, quæ ſentiebat. Aliis gravis erat, pleriſque non ingrata militia. Ita & agentium gratias, & querentium litteræ exceptæ ſunt. Et qui forte tædium laboris per litteras erant queſti, hanc ſeorſum cohortem à cæteris tendere ignominiæ cauſa jubet. fortitudine uſurus in bello, libertatem linguæ ab auribus credulis remoturus, & conſilium temerarium forſitan: quippe fortiſſimi juvenes contumeliis irritati erant. ſicut omnia alia felicitas Regis

excipit.

excipit. Nihil illis ad bella promptius fuit. In[cut]
tabat virtutem & ignominiæ demendæ cu[cut]
do, & quia fortiora facta in paucis latere n[cut]
poterant.

3 His ita compoſitis, Alexander Arianoru[cut]
Satrape conſtituto, iter pronuntiari jubet
Agriaſpas, quos jam tunc mutato nomin[cut]
Evergetas appellabant, ex quo frigore victuſq[cut]
penuria Cyri exercitum affectum, tectis & con[cut]
meatibus juverant. Quintus dies erat ut in ea[cut]
regionem pervenerat: cognoſcit Satibarzanen[cut]
qui ad Beſſum defecerat, cum equitum man[cut]
irrupiſſe rurſus in Arieos. Itaque Caranum [cut]
Erigyum cum Artabazo & Andronico, & ſe[cut]
millibus Græcorum peditum, DC. equites ſ[cut]
quebantur. Ipſe ſexaginta diebus gentem Eve[cut]
getarum ordinavit, magna pecunia ob egr[cut]
giam in Cyrum fidem donata. Relicto deind[cut]
qui iis præeſſet, Amenide (ſcriba is Darii fuerat
Arachoſios, quorum regio ad Ponticum mar[cut]
pertinet, ſubegit. Ibi exercitum, qui ſub Parme
nione fuerat, occupavit. Sex millia Macedo-
num erant, & CC. nobiles, & V. millia Græco-
rum, cum equitibus ducentis, haud dubie ro-
bur omnium virium Regis. Arachoſiis datus
Memnon Prætor, quatuor millibus peditum,
& DC. equitibus in præſidium relictis. Ipſe Rex
nationem ne finitimis quidem ſatis notam,
quippe nullo commercio volentem mutuos
uſus, cum exercitu intravit. Parapamiſadæ ap-
pellantur; agreſte hominum genus, & inter
Barbaros maxime inconditum: locorum aſpe-
ritas, hominum quoque ingenia duraverat. Ge-
lidiſſimum Septentrionis axem ex magna parte
ſpectant. Bactrianis ad Occidentem conjuncti
ſunt,

ſunt. Meridiana regio ad mare Indicum vergit. Tuguria latere primo ſtruunt. Et quia ſterilis eſt terra materiæ, in nudo etiam montis dorſo uſque ad ſummum ædificiorum faſtigium eodem laterculo utuntur. Cæterum ſtructura latior ab imo, paulatim incremento operis in arctius cogitur: ad ultimum in carinæ maxime modum coit. Ibi foramine relicto, ſuperne lumen accipiunt. Ad medium vites & arbores, ſi quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obruunt. Penitus hyeme defoſſæ latent. Cum nive diſcuſſa, aperiri humus cœpit, cœlo ſolique redduntur. Cæterum adeo altæ nives premunt terram, gelu & perpetuo pene rigore conſtrictæ, ut ne avium quidem feræve ullius veſtigium exſtet. Obſcura cœli verius umbra quam lux nocti ſimilis premit terram, vix ut quę prope ſunt conſpici poſſint. In hac tamen omnis humani cultus ſolitudine deſtitutus exercitus, quidquid malorum tolerari poteſt, pertulit: inopiam, frigus, laſſitudinem, deſperationem. Multos exanimavit rigor inſolitus nivis: multorum aduſſit pedes: plurimorum oculis præcipue perniciabilis fuit. fatigati quippe in ipſo gelu deficientia corpora ſternebant: quæ cum moveri deſiſſent, vis frigoris ita aſtringebat, ut rurſus ad ſurgendum conniti non poſſent. A commilitonibus torpentes excitabantur. Neq; aliud remedium erat, quam ut ingredi cogerentur. Tum demum vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor. Si qui tuguria Barbarorũ adire potuerunt, celeriter refecti ſunt. Sed tanta caligo erat, ut ædificia nulla alia res quam fumus oſtenderet. Illi, nunquam ante in terris ſui advena viſo, cum armatos repente conſpice-

rent

rent, exanimati metu, quidquid in tugur
erat,afferebant: ut corporibus ipſorum parc
retur, orantes. Rex agmen circuibat pedes, j
centes quoſdam erigens, & alios, cum ægre ſ
querentur, adminiculo corporis ſui excipien
Nunc ad prima ſigna, nunc in medium, nunc
ultimo agmine itineris, multiplicato labor
aderat. Tandem ad cultiora perventum eſ
commeatuque largo recreatus exercitus, ſim
& qui conſequi non poterant, in illa caſtra v
nerunt. Inde agmen proceſſit ad Caucaſu
montem, cujus dorſum Aſiam perpetuo jug
dividit: hinc ſimul mare, quod Ciliciam ſubit
illinc Caſpium fretum, & amnem Araxem, a
liaque regionis Scythiæ deſerta ſpectat. Tauru
ſecundæ magnitudinis mõs committitur Cau
caſo: à Cappadocia ſe attollens Ciliciam præ
terit, Armeniæque montibus jungitur. Sic inte
ſe tot juga velut ſerie cohærentia, perpetuum
habent dorſum: ex quo Aſiæ omnia fere flumi
na, alia in Rubrum, alia in Caſpium mare, ali
in Hyrcanum & Ponticum decidunt. XVII. die
rum ſpatio Caucaſum ſuperavit exercitus. Ru
pes in eo X. in circuitu ſtadia complectitur
quatuor in altitudinem excedit: in qua vinctum
Promethea fuiſſe antiquitas tradit. Condenda
in radicibus montis urbi ſedes electa eſt. VII.
millibus ſeniorum Macedonum, & præterea
militibus, quorum opera uti deſiſſet, permiſſum
in novam urbem conſidere. Hanc quoque Alexandriam incolæ appellaverunt.

4 At Beſſus Alexandri celeritate perterritus, Diis patriis ſacrificio rite facto, ſicut illis gentibus mos eſt, cum amicis ducibuſque copiarum inter epulas de bello conſultabat. Graves mero ſuas

ſuas vires extollere, hoſtium nunc temeritatem, nunc paucitatem, ſpernere. Præcipue Beſſus ferox verbis, & parto per ſcelus regno ſuperbus, ac vix potens mentis, dicere: Socordiâ Darii creviſſe hoſtium famam. Occurriſſe enim in Ciliciæ anguſtiſſimis faucibus, cum retrocedendo poſſet perducere incautos in loca natura & ſitu invia, tot fluminib⁹ objectis, tot montium latebris, inter quas deprehenſus hoſtis, ne fugæ quidem, nedum reſiſtendi, occaſionem fuerit habiturus. Sibi placere in Sogdianos recedere. Oxum amnem velut murum objecturum hoſti, dum ex finitimis gentib⁹ valida auxilia concurrerent. Venturos autem Choraſmios, & Dahas, Sacaſque, & Indos, & ultra Tanaim amnem colentes Scythas, quorum neminem adeo humilem eſſe, ut humeri ejus non poſſent Macedonis militis verticem æquare. Conclamant temulenti, unam hanc ſententiam ſalubrem eſſe: & Beſſus circumferri merum largius jubet, debellaturus ſuper menſa Alexandrum. Erat in eo convivio Cobares natione Medus, ſed magicæ artis (ſi modo ars eſt, non vaniſſimi cujuſque ludibrium) magis profeſſione quam ſcientia celeber, alioquin moderatus, & probus. Is cum præfatus eſſet, ſcire ſervo eſſe utilius parere dicto, quam afferre conſilium, cum illos qui pareant, idem quod cæteros maneat; qui vero ſuadeant, proprium periculum: poculum ei, quod habebat in manu, tradidit. Quo accepto Cobares, *Natura*, inquit, *mortalium, hoc quoque nomine prava & ſiniſtra duci poteſt, quod in ſuo quiſque negotio hebetior eſt quam in alieno. Turbida facta ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent. Obſtat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogita-*

cogitaveris, amor. Nam in te ſuperbia non cadit. E-
pertus es, unumquemque quod ipſe repererit, aut ſ-
lum, aut optimum ducere. Magnum onus ſuſti-
capite, regium inſigne. Hoc aut moderate perfer-
dum eſt, aut (quod abominor) in te ruet. Conſi-
non impetu opus eſt. Adiicit deinde, quod ap-
Bactrianos vulgo uſurpabant, *Canem timid-*
vehementius latrare, quam mordere. Altiſſi-
quæque flumina minimo ſono labi. Quæ inſerui,
qualiſcunque inter Barbaros potuit eſſe pr-
dentia, traderetur. In his audientium ſuſpen-
rat exſpectationem ſui. Tum conſilium ap-
rit, utilius Beſſo, quam gratius. *In veſtibulo,* i-
quit, *regiæ tuæ velociſſimus conſiſtit Rex. Antè*
agmen, quam tu menſam iſtam movebis. Nunc
Tanai exercitum accerſes, armis flumina oppon-
Scilicet, qua tu fugiturus es, hoſtis ſequi non poteſ-
Iter utrique commune eſt, victori tutius. Licet ſtr-
nuum metum putes eſſe, velocior tamen ſpes e-
Quin validioris occupas gratiam, dediſque te? V-
cunque ceſſerit, meliorem fortunam deditus, qua-
hoſtis, habiturus. Alienum habes regnum, quo fac-
lius eo careas. Incipiet forſitan juſtus eſſe Rex, cu-
ipſe fecerit, qui tibi & dare poteſt regnum, & erip-
re. Conſilium habes fidele, quod diutius exſequi ſ-
pervacuum eſt. Nobilis equus umbra quoque virg-
regitur; ignavus ne calcari quidem concitari poteſt.
Beſſus & ingenio & multo mero ferox ade-
exarſit, ut vix ab amicis, quo minus occider-
eum (nam ſtrinxerat quoque acinacem) cont-
neretur. Certe è convivio proſilivit, haudqua-
quam potens mentis. Cobares inter tumultum
elapſus, ad Alexandrum transfugit. Octo milli-
Bactrianorum habebat armata Beſſus, quæ
quamdiu propter cœli intemperiem Indiam
potiu

potius Macedonas petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt. Poſtquam adventare Alexandrum compertum eſt, in ſuos quiſque vicos dilapſi, Beſſum reliquerunt. Ille cum clientum manu, qui non mutaverant fidem, Oxo amne ſuperato, exuſtiſq; navigiis, quibus tranſierat, ne iiſdem hoſtis uteretur, novas copias in Sogdianis contrahebat. Alexander Caucaſum quidem (ut ſupra dictum eſt) tranſierat: ſed inopia frumenti prope ad famem ventum erat. Succo ex ſeſama expreſſo, haud ſecus quam oleo, artus perungebant. Sed hujus ſucci ducenis quadragenis denariis amphoræ ſingulæ, mellis denariis trecenis nonagenis, trecenis vini æſtimabantur: tritici nihil, aut admodum exiguum reperiebatur. Siros vocabant Barbari; quos ita ſolerter abſcondunt, ut niſi qui defoderunt, invenire non poſſint. In iis conditæ fruges erant. In quarum penuria milites fluviatili piſce & herbis ſuſtinebantur. Iamque hæc ipſa alimenta defecerant, cum jumenta, quibus onera portabant, cędere juſſi ſunt: horum carne, dum in Bactrianos perventum, traxere vitam. Bactrianæ terræ multiplex & varia natura eſt. Alibi multa arbor, & vitis largos miteſq; fructus alit. Solum pingue crebri fontes rigant. Quæ mitiora ſunt, frumento conſeruntur. Cętera armentorum pabulo cedunt. Magnam deinde partem ejuſdem terræ ſteriles arenæ tenent. Squalida ſiccitate regio, non hominem, non frugem alit. Cum vero venti à Pontico mari ſpirant, quidquid ſabuli in campis jacet, converrunt. Quod ubi cumulatum eſt, magnorum collium procul ſpecies eſt, omniaque priſtini itineris veſtigia intereunt. Itaq; qui tranſ-

eunt

eunt campos, navigantium modo noctu ſid
obſervant, ad quorum curſum iter dirigunt:
propemodum clarior eſt noctis umbra, qua
lux. Ergo interdiu invia eſt regio: quia nec v
ſtigium, quod ſequantur, inveniunt, & nit
ſiderum caligine abſconditur. Cæterum
quos ille ventus, qui à mari exoritur, deprehe
dit, arena obruit. Sed qua mitior terra eſt,
gens hominum equorumque multitudo gig
tur. Itaque Bactriani equites triginta mil
expleverant. Ipſa Bactra, regionis ejus cap
ſita ſunt ſub monte Paropamiſſo. Bactrus a
nis præterit mœnia. Is urbi & regioni de
nomen. Hic Regi ſtativa habenti nuntiatur
Græcia Peloponnenſium Laconumq; defecti
Nondum enim victi erant, cum proficiſcere
tur tumultus ejus principia nuntiaturi: & ali
præſens terror affertur, Scythas, qui ultra T
naim amnem colunt, adventare, Beſſo ferent
opem: eodem tempore, quæ in gente Arioru
Catanus & Erigyus geſſerant, perferuntu
Commiſſum erat prœlium inter Macedon
Arioſque. Transfuga Satibarzanes Barbar
præerat: qui cum pugnam ſegnem utrinqu
æquis viribus ſtare vidiſſet, in primos ordin
adequitavit, demptaque galea, inhibitis qui tel
jaciebant, ſi quis viritim dimicare vellet, pro
vocavit ad pugnam, nudum ſe caput in certa
mine habiturum. Non tulit ferociam Barbari
dux exercitus Erigyus, gravis quidem ętate, ſe
& animi & corporis robore nulli juvenum
poſtferendus. Is galea dempta canitiem oſten
tans: *Venit*, inquit, *dies, quo aut victoria, aut mort
honeſtiſſima, quales amicos & milites Alexande
habeat, oſtendam.* Nec plura elocutus, equum in
hoſtem

hoſtem egit. Crederes imperatum, ut acies utræque tela cohiberent. Protinus certe ceſſerunt, dato libero ſpatio intenti in eventum, non duorum modo, ſed etiam ſuæ ſortis. quippe alienum diſcrimen ſecuturi. Prior Barbarus emiſit haſtam, quam Erigyus modica capitis declinatione vitavit. At ipſe infeſtam fariſſam, equo calcaribus concito, in medio Barbari gutture ita fixit, ut per cervicem emineret. Præcipitatus ex equo Barbarus, adhuc tamen repugnabat. Sed ille extractam ex vulnere haſtam rurſus in os dirigit. Satibarzanes haſtam manu complexus, quo maturius interiret, ictum hoſtis adjuvit: & Barbari, duce amiſſo, quem magis neceſſitate quam ſponte ſecuti erant, tunc haud immemores meritorum Alexandri, arma Erigyo tradunt. Rex his quidem lætus, de Spartanis haudquaquam ſecurus, magno tamē animo defectionem eorum tulit, dicens: Non ante auſos conſilia nudare, quam ipſum ad fines Indiæ perveniſſe cognoviſſent. Ipſe Beſſum perſequens copias movit: cui Erigyus ſpolia Barbarica, ceu opimum belli decus, præferens occurrit.

5. Igitur Bactrianorum regione Artabazo tradita, ſarcinas & impedimenta ibi cum præſidio reliquit. Ipſe cum expedito agmine loca deſerta Suſitanorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens. Aquarum (ut ante dictum eſt) penuria, prius deſperatione, quam deſiderio bibendi ſitim accendit. Per c c c c ſtadia, ne modicus quidem humor exiſtit. Arenas vapor æſtivi ſolis accendit, quæ ubi flagrare cœperunt, haud ſecus quam continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico

terræ

terræ fervore excitata, lucem tegit: camporun que non alia, quam vaſti & profundi æquor ſpecies eſt. Nocturnum iter tolerabile videba tur, quia rore & matutino frigore corpora l vabantur. Cæterum cum ipſa luce æſtus or tur, omnemq; naturalem abſorbet humore ſiccitas, ora viſceraque penitus uruntur. Itaqı primum animi, deinde corpora deficere cœp runt. Pigebat & conſiſtere, & progredi. Pauci peritis regionis admoniti, prępararant aquar Hæc paulisper repreſſit ſitim. Deinde creſcen æſtu, rurſum deſiderium humoris accenſu eſt. Ergo quidquid vini oleique erat, hominib ingerebatur. Tantaque dulcedo bibendi fu ut in poſterum ſitis non timeretur. Graves d inde avide hauſto humore, non ſuſtinere arm non ingredi poterant: & feliciores videbantı quos aqua defecerat, cum ipſi ſine modo inf ſam vomitu cogerentur egerere. Anxium R gem tantis malis circumfuſi amici, ut men niſſet, orabant, animi ſui magnitudinem ur cum remedium deficientis exercitus eſſe. cu ex iis, qui præceſſerant ad capiendum locu caſtris, duo occurrunt, utribus aquam geſta tes, ut filiis ſuis, quos in eodem agmine eſſe, ægre pati ſitim non ignorabant, occurreren qui cum in Regem incidiſſent, alter ex iis, ut reſoluto, vas quod ſimul ferebat implet porr gens Regi: ille, percontatus, quibus aqua portarent, filiis ferre cognoſcit. Tunc pocu pleno (ſicut oblatum eſt) reddito, *Nec ſolu* inquit, *bibere ſuſtineo, nec tam exiguum divide omnibus poſſum. Vos currite, & liberis veſtris, qu propter illos attuliſtis, date.* Tandem ad flumé Oxum ipſe pervenit prima fere veſpera. Sed e
ercitı

rcitus magna pars non potuerat conſequi. In dito monte ignes jubet fieri, ut ii, qui ægre ſequebantur, haud procul caſtris ſe abeſſe cognoſcerent. Eos autem qui primi agminis erant, nature cibo ac potione firmatos, implere alios itres, alios vaſa, quibuſcum aqua poſſit portari, juſſit, ac ſuis opem ferre. Sed qui intemperantius hauſerant, intercluſo ſpiritu extincti unt. Multoque major horum numerus fuit, juam ullo amiſerat prœlio. At ille thoracem adhuc indutus, nec aut cibo refectus aut potu, qua veniebat exercitus, conſtitit. Nec ante ad curandum corpus receſſit, quam prætererant, qui agmen ſequebantur: totamq; eam noctem cum magno animi motu perpetuis vigiliis egit, nec poſtero die lætior erat; quia nulla navigia habebat, nec pons erigi poterat circumquaque amnem nudo ſolo, & materia maxime ſterili. Conſilium igitur, quod unum neceſſitas ſubjecerat, init. Vtres quamplurimos ſtramentis refertos dividit. His incubantes tranſnavere amnem: quique primi tranſierant, in ſtatione erant, dum trajicerent cæteri. Hoc modo ſexto demum die in ulteriore ripa totum exercitum expoſuit. Iamque ad perſequendum Beſſum ſtatuerat progredi, cum ea, quæ in Suſianis erant, cognoſcit. Spitamenes erat inter omnes amicos præcipuo honore cultus à Beſſo Sed nullis meritis perfidia mitigari poteſt, quæ tamen jam minus in eo inviſa eſſe poterat, quia nihil ulli nefas tunc in Beſſum interfectorem Regis ſui videbatur. Titulus facinoris ſpecioſus præferebatur, vindicta Darii. Sed fortunam, non ſcelus, oderant Beſſi. Nam ut Alexandrum flumen Oxum ſuperaſſe cognovit, Dataphernem

nem & Catenem. quibus à Beſſo maxima fide habebatur, in ſocietatem cogitatæ rei aſciſcit. Illi promptius adeunt, quam rogabantur; aſſumptiſque octo fortiſſimis juvenibus, talem dolum intendunt. Spitamenes pergit ad Beſſum, & remotis arbitris comperiſſe ait ſe, inſidiari ei Dataphernem & Catenem, ut vivum Alexandro traderent agitantes à ſemet occupatos eſſe, & vinctos teneri. Beſſus tanto merito (ut credebat) obligatus, partim gratias agit, partim avidus explendi ſupplicii, adduci eos jubet. Illi, manibus ſua ſponte religatis, à participibus conſilii trahebantur: quos Beſſus truci vultu intuens conſurgit, manibus non temperaturus. At illi ſimulatione omiſſa circumſiſtunt eum, & fruſtra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni inſigni; laceratque veſte, quam ſpoliis occiſi Regis induerat. Ille Deos ſui ſceleris ultores adeſſe confeſſus, adjecit: Non Dario iniquos fuiſſe, quem ſic ulciſcerentur: ſed Alexandro propitios, cujus victoriam ſemper etiam hoſtis adjuviſſet. Multitudo an vindicatura Beſſum fuerit incertum eſt, niſi illi, qui vinxerant, juſſu Alexandri feciſſe ipſos ementiti, dubios adhuc animi terruiſſent. In equum impoſitum Alexandro tradituri ducunt. Inter hæc Rex, quibus matura erat miſſio, relictis XC. fere, equiti bina talenta dedit, pediti terna denarium millia; monitoſque ut liberos generarent remiſit domum. Cæteris gratiæ actæ, quod ad reliqua belli navaturos operam pollicebantur. Tum Beſſus perducitur. Perventum erat in parvulum oppidum: Branchidæ ejus incolæ erant. Mileto quondam juſſu Xerxis cum è Græcia rediret, tranſierant

& in ea ſede conſtiterant: quia templum, quod Didymaon appellatur, in gratiam Xerxis violaverant. Mores patrii nondum exoleverant, ſed jam bilingues erant, paulatim à domeſtico externoque ſermone degeneres. Magno igitur gaudio Regem excipiunt, urbem ſeque dedentes. Ille Mileſios, qui apud ipſum militarant, convocari jubet. Vetus odium miles gerebat in Branchidarum gentem, proditionis ergo. His, ſive injuriæ, ſive originis meminiſſe mallent, liberũ de Branchidis permittit arbitrium. Variantibus deinde ſententiis, ſeipſum conſideraturum quod optimum factu eſſet, oſtendit. Poſtero die occurrentibus, Branchidas ſecum procedere jubet. Cumque ad urbem ventum eſſet, ipſe cum expedita manu portam intrat. Phalanx mœnia oppidi circuire juſſa, & dato ſigno diripere urbem proditorum receptaculum: ipſoſque ad unum cædere. Illi inermes paſſim trucidantur, nec aut commercio linguæ, aut ſupplicum velamentis precibuſque inhiberi crudelitas poteſt: tandem ut dejicerent, fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod urbis veſtigium exſtaret. Nec mora, lucos quoque ſacros non cædunt modo, ſed etiam exſtirpant, ut vaſta ſolitudo & ſterilis humus, excuſſis etiam radicibus, linqueretur: quæ ſi in ipſos perditionis authores excogitata eſſent, juſta ultio eſſe, non crudelitas videretur. Nunc culpam majorum poſteri luêre, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerant prodere. Inde proceſſit ad Tanaim amnem. Quo perductus eſt Beſſus, non vinctus modo, ſed etiam omni velamento corporis ſpoliatus. Spitamenes eum tenebat, collo in-

ſerta catena, tum Barbaris quam Macedonibus gratum ſpectaculum. Tum Spitamenes, *Et te*, inquit, *& Darium Reges meos ultus, interfectorem domini ſui adduxi, eo modo captum, cujus ipſe fecit exemplum. Aperiat ad hoc ſpectaculum oculos Darius. Exiſtat ab inferis, qui illo ſupplicio indignus fuit, & hoc ſolatio dignus eſt.* Alexander, multum collaudato Spitamene, converſus ad Beſſum: *Cujus*, inquit, *feræ rabies occupavit animum tuum, cum Regem de te optime meritum, prius vincire, deinde occidere ſuſtinuiſti? Sed hujus parricidii mercedem falſo Regis nomine perſolviſti.* Ibi ille facinus purgare non auſus, Regis titulum ſe uſurpare dixit, ut gentem ſuam tradere ipſi poſſit: qui ſi ceſſaſſet, alium fuiſſe regnum occupaturum. At Alexander Oxatrem fratrem Darii, quem inter corporis cuſtodes habebat, propius juſſit accedere, tradique Beſſum ei, ut cruci affixum, mutilatis auribus naribuſque, ſagittis configerent Barbari, aſſervarentq; corpus, ut ne aves quidem contingerent. Oxatres cætera ſibi curæ fore pollicetur. Aves non ab alio quam à Catene poſſe prohiberi adjicit; eximiam ejus artem cupiens oſtendere: namque adeo certo ictu deſtinata feriebat, ut aves quoque exciperet. Nam etſi forſitan ſagittandi tam celebri uſu minus admirabilis videri hæc ars poſſit, tamen ingens viſentibus miraculum, magnoque honori Cateni fuit. Dona deinde omnibus, qui Beſſum adduxerant, data ſunt. Cæterum ſupplicium ejus diſtulit, ut eo loco, in quo Darium ipſe occiderat, necaretur.

6. Interea Macedones ad petendum pabulum incompoſito agmine egreſſi, à Barbaris, ubi de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur;

muntur;pluresque capti ſunt,quam occiſi. Barbari autem, captivos præ ſe agentes, rurſus in montem receſſerunt. Viginti millia latronum erant, fundis ſagittiſque pugnam invadunt: quos dum obſidet Rex, inter promptiſſimos dimicans, ſagitta ictus eſt, quæ in medio crure fixa reliquerat ſpiculum. Illum quidem mœſti & attoniti Macedones in caſtra referebant. Sed nec Barbaros fefellit ſubductus ex acie Rex: quippe ex edito monte cuncta proſpexerant. Itaque poſtero die misêre legatos ad Regem, quos ille protinus juſſit admitti, ſolutiſque faſciis magnitudinem vulneris diſſimulans, crus Barbaris oſtendit. Illi juſſi conſidere, affirmant, non Macedonas quam ipſos fuiſſe triſtiores, cognito vulnere ipſius: cujus ſi autorem repeperiſſent, dedituros fuiſſe. Cum Diis enim pugnare ſacrilegos tantum. Cæterum ſe gentem in fidem dedere, ſuperatos virtute illius. Rex, fide data, & captivis receptis, gentem in deditionem accepit. Caſtris inde motis, lectica militari ferebatur, quam pro ſe quiſque eques pedeſque ſubire certabant. Equites, cum quibus Rex prœlia inire ſolitus erat, ſui muneris id eſſe cenſebant. Pedites contra, cum ſaucios commilitones ipſi geſtare aſſueviſſent. eripi ſibi proprium officium, tum potiſſimum, cum Rex geſtandus eſſet, querebantur. Rex in tanto utriuſque partis certamine, & ſibi difficilem, & præteritis gravem electionẽ futuram ratus, invicem ſubire eos juſſit. Hinc quarto die ad urbem Maracanda perventum eſt. LXX ſtadia murus urbis amplectitur. arx nullo cingitur muro. Præſidio urbi relicto proximos vicos depopulatur, atque urit. Legati deinde Abiorum Scytharum

ſuperveniunt: liberi ex quo deceſſerat Cyrus tum imperata facturi. Iuſtiſſimos Barbarorum conſtabat. Armis abſtinebant, niſi laceſſiti. Libertatis modico & æquali uſu, principibus humiliores pares fecerunt. Hos benigne allocutus, ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Penidam quendam miſit ex amicis, qui denuntiaret eis, ne Tanaim amnem regionis injuſſu Regis tranſirent. Eidem mandatum, ut contemplaretur locorum ſitum, & illos quoque Scythas, qui ſuper Boſphoro incolunt, viſeret. Condendę urbis ſedem ſuper ripam Tanais elegerat, clauſtrum etiam perdomitorum, & quos deinde adire decreverat. Sed conſilium diſtulit. Sogdianorum nuntiata defectio, quæ Bactrianos quoque traxit. Septem millia equitum erant, quorum autoritatem cæteri ſequebantur. Alexander Spitamenem & Catenem, à quibus ei traditus erat Beſſus, haud dubius quin eorum operâ redigi poſſent in poteſtatē, coërcendo, qui novaverant, juſſit accerſiri. At illi defectionis, ad quam coërcendam evocabantur, autores, vulgaverant famam, Bactrianos equites à Rege omnes ut occiderentur, accerſiri: idque imperatum ipſis, non ſuſtinuiſſe tamen exſequi, ne inexpiabile in populares facinus admitterent: non magis Alexandri ſævitiam, quam Beſſi parricidium ferre potuiſſe. Itaq; ſua ſponte jam motos, metu pœnæ haud difficulter concitaverunt ad arma. Alexander, transfugarum defectionę comperta, Craterum obſidere Cyropolim jubet. Ipſe aliam urbem regionis ejuſdem corona capit, ſignoque ut puberes interficerentur dato, reliqui in prædam ceſſere victoris. Vrbs diruta eſt, ut cæteri cladis exemplo

exemplo continerentur. Memaceni, valida gens, obſidionem, non ut honeſtiorem modo, ſed etiam ut tutiorem, ferre decreverant. Ad quorum pertinaciam mitigandam Rex L equites præmiſit, qui clementiam ipſius in deditos, ſimulque inexorabilem animum in devictos oſtenderent. Illi nec de fide, nec de potentia Regis ipſos dubitare reſpondent, equiteſque tendere extra munimenta urbis jubent. Hoſpitaliter deinde exceptos, graveſque epulis & ſomno, intempeſta nocte adorti interfecerunt. Alexander haud ſecus quam par erat motus, urbem corona circumdedit, munitiorem quam ut primo impetu capi poſſet. Itaque Meleagrum, & Perdiccam, in obſidionem jungit, Cyropolim (ut ante dictum eſt) obſidentes. Statuerat autem parcere urbi cōditę à Cyro: quippe non alium gentium illarum magis admiratus eſt, quam hunc Regem & Semiramim. in queis & magnitudinem animi, & claritatem rerum longe emicuiſſe credebat. Cæterum pertinacia oppidanorum ejus iram accendit. Itaque captam urbem diripere juſſit delectos Macedones, haud injuria infeſtos, & ad Meleagrum & Perdiccam redit. Sed non alia urbs fortius obſidionem tulit, quippe & militū promptiſſimi cecidere, & ipſe Rex ad ultimum periculum venit. Namque cervix ejus ſaxo ita icta eſt, ut oculis caligine offuſa collaberetur; ne mentis quidem compos. Exercitus certe velut erepto eo ingemuit. Sed invictus adverſus ea, quæ cæteros terrent, nondum percurato vulnere acrius obſidioni inſtitit. naturalem celeritatem ira concitante. Cuniculo ergo ſuffoſſa mœnia, ingens nudavere ſpatium, per quod

irrupit, victorque urbem dirui juſſit. Hinc Me-nedemum cum tribus millibus peditum, & octingentis equitibus, ad urbem Maracanda miſit. Spitamenes transfuga, præſidio Macedonum inde dejecto, muris urbis ejus incluſerat ſe, haud oppidanis conſilium defectionis approbantibus. Sequi tamen videbantur, quia prohibere non poterant. Interim Alexander ad Tanaim amnem redit, & quantum ſoli occupaverant caſtris, muro circundit. Sexaginta ſtadiorum urbis murus fuit: hanc quoque urbem Alexandriam appellari juſſit. Opus tanta celeritate perfectum eſt, ut decimo ſeptimo die, qua munimenta excitata erant, tecta quoque urbis abſolverentur. Ingens militum certamen inter ipſos fuerat, ut ſuum quiſq; munus (nam diviſum erat) primus oſtenderet. Incolæ novæ urbi dati captivi, quos reddito pretio dominis, liberavit: quorum poſteri nunc quoque nondum apud eos tam longa ętate propter memoriam Alexandri exoleverunt.

7. Rex Scytharum, cujus tum ultra Tanaim imperium erat, ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, ſuis impoſitam eſſe cervicibus, fratrem, Cartaſim nomine, cum magna equitũ manu miſit ad diruendam eam, proculque amne ſubmovendas Macedonum copias. Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europæos vocant, dividit. Idem Aſiam & Europam finis interfluit. Cæterum Scytharum gens haud procul Thracia ſita, ab Oriente ad Septentrionem ſe vertit. Sarmatarumque, ut quidam credidere, non finitima, ſed pars eſt. Rectà deinde regionem aliam ultra Iſtrum jacentem colit. Vltima Aſiæ, quæ Bactra ſunt,

ſtringit:

ſtringit: quæ Septentrioni proxima ſunt, profundæ inde ſylvæ, vaſtæque ſolitudines excipiunt. Rurſus, quæ ad Tanaim & Bactra ſpectant, humano cultu haud diſparia ſunt. Primus cum hac gente non proviſum bellum Alexander geſturus, cum in conſpectu ejus obequitaret hoſtis, adhuc æger ex vulnere, præcipue voce deficiens, quam & modicus cibus, & cervicis extenuabat dolor, amicos in cõſilium advocari jubet. Terrebat eum non hoſtis, ſed iniquitas temporis. Bactriani defecerant. Scythæ etiam laceſſebant. Ipſe non inſiſtere in terra, non equo vehi, non docere, non hortari ſuos poterat. Ancipiti periculo implicitus, Deos quoque incuſans, querebatur ſe jacere ſegnem, cujus velocitatem nemo antea valuiſſet effugere. Vix ſuos credere, nõ ſimulari valetudinem. Itaque qui poſt Darium victum ariolos & vates conſulere deſierat, rurſus ad ſuperſtitionem humanarum mentium ludibria revolutus, Ariſtandrum, cui credulitatem ſuam addixerat, explorare eventum rerum ſacrificiis jubet. Mos erat aruſpicibus, exta ſine Rege ſpectare, & quæ portenderentur referre. Inter hæc Rex, dum fibris pecudum exploratur eventus latentium rerum, propius ipſum conſidere amicos jubet, ne contentione vocis cicatricem infirmam adhuc rumperet. Hephæſtion, Craterus, & Erigyus erant cum cuſtodibus in tabernaculum admiſſi. *Diſcrimen*, inquit, *me occupavit, meliore hoſtium quam meo tempore. Sed neceſſitas ante rationem eſt; maxime in bello, quo raro permittitur tempora eligere. Deficere Bactriani, in quorum cervicibus ſtamus, & quantum in nobis animi ſit, alieno Marte experiuntur. Haud dubie*

ſi omiſerimus Scythas ultro arma inferentes, contempti ad illos, qui defecerunt, revertemur. Si vero Tanaim tranſierimus, & ubique invictos eſſe nos Scytharum pernicie ac ſanguine oſtenderimus; quis dubitabit patere etiam Europam victoribus? Fallitur, qui terminos gloriæ noſtræ metitur ſpatio, quod tranſituri ſumus. Vnus amnis interfluit: quem ſi trajicimus, in Europam arma proferimus. Et quanti æſtimandum eſt, dum alium ſubigimus, in alio quodammodo orbe trophæa ſtatuere, & quæ tam longo intervallo natura videtur diremiſſe, una victoria ſubito committere? At hercule ſi paululum ceſſaverimus, in tergis noſtris Scythæ hærebunt. An ſoli ſumus, qui flumina tranare poſſumus? Multa in noſmetipſos recident, quibus adhuc vicimus. Fortuna belli, artem victos quoque docet. Vtribus amnem trajiciendi exemplum fecimus nuper. hoc ut Scythæ imitari neſciant, Bactriani docebunt. Præterea unus gentis hujus adhuc exercitus venit, cæteri exſpectantur. Ita bellum vitando alemus, & quod inferre poſſumus, accipere cogemur. Manifeſta eſt conſilii mei ratio. Sed an permiſſuri ſint Macedones animo uti meo, dubito: quia ex quo hoc vulnus accepi, non equo vectus ſum, non pedibus ingreſſus. Sed ſi me ſequi vultis, valeo, amici. Satis virium eſt ad toleranda iſta. Aut ſi jam adeſt vitæ meæ finis, in quo tandem opere melius extinguar? Hæc quaſſa adhuc voce deficiens, vix proximis exaudientibus dixerat; cum omnes à tam præcipiti conſilio Regem deterrere cœperunt. Erigyus maxime, qui haud ſane authoritate proficiens apud obſtinatum animum, ſuperſtitionem, cujus potens non erat Rex, incutere tentavit, dicendo, Deos quoque obſtare conſilio, magnumque periculum, ſi flumen tranſiſſet,

tranſiſſet, oſtendi. Intranti Erigyo tabernaculum Regis, Ariſtander occurrerat, triſtia exta fuiſſe ſignificans. Hæc ex vate comperta Erigyus nuntiabat. Quo inhibito, Alexander non ira ſolum, ſed etiam pudore confuſus, quod ſuperſtitio, quam celaverat, detegebatur, Ariſtandrum vocari jubet. Qui ut venit, intuens eum, *Non Rex*, inquit, *ſed privatus ſum. Sacrificium ut faceres mandavi. Quid eo portenderetur, cur apud alium quam apud me profeſſus es? Erigyus arcana mea & ſecreta, te prodente, cognovit. Quem certum mehercule habeo extorum interpretē metu ſuo. Tibi autem ſæpius quam poteſt, denuntio, ipſe mihi indices quid ex extis cognoveris, ne poſſis inficiari dixiſſe, quæ dixeris.* Ille exſanguis attonitoq; ſimilis ſtabat, per metum etiam voce ſuppreſſa. Tandemq; eodem metu ſtimulante, ne Regis exſpectationem moraretur. *Magni*, inquit, *laboris non irriti diſcrimē inſtare prædixi. Nec me mea ars quā benevolentia magis perturbat. Infirmitatem valetudinis tuæ video: & quantū in uno te ſit, ſcio. Vereor, ne non præſenti fortunæ tuæ ſufficere poſſis.* Rex juſſum confidere felicitati ſuæ remiſit. Sibi enim ad alia gloriam concedere Deos. Conſultanti deinde cum iiſdem, quonam modo flumen tranſirent, ſupervenit Ariſtander, non aliàs lætiora exta vidiſſe ſe affirmans, utique prioribus longe diverſa: tum ſollicitudinis cauſas aperuiſſe, nunc prorſus egregie litatum eſſe. Cæterum quæ ſubinde nuntiata ſunt Regi, continuę felicitati rerum ejus impoſuerant labem. Menedemum, ut ſupra dictum eſt, miſerat ad obſidendum Spitamenem Bactrianæ defectionis autorem. Qui comperto hoſtis adventu, ne muris urbis includeretur, ſimul fretus excipi

poſſe quem venturum ſciebat, conſedit occul tus. Sylveſtre iter aptum inſidiis tegendis erat Ibi Dahas condidit. Equi binos armatos ve hunt, quorum invicem ſinguli repente deſi liunt, equeſtris pugnæ ordinem turbant. Equo rum velocitati par eſt hominũ pernicitas. Ho Spitamenes ſaltum circuire juſſos, pariter & à lateribus, & à fronte, & à tergo, hoſti oſtendit Menedemus undique incluſus, ne numero qui dem par, diu tamen reſtitit, clamitans: Nihi aliud ſupereſſe locorum fraude deceptis, quan honeſtæ mortis ſolatium ex hoſtium cæde Ipſum prævalens equus vehebat, quo ſæpius ir cuneos Barbarorum effuſis habenis evectus magna ſtrage eos fuderat. Sed cum unum o mnes peterent, vulneribus exſanguis, Hipſiden quendam ex amicis hortatus eſt, ut in equun ſuum aſcenderet, & ſe fuga eriperet. Hæc agentem anima defecit, corpuſque ex equo defluxi in terram. Hipſides poterat quidem effugere ſed amiſſo amico mori ſtatuit. Vna erat cura ne inultus occideret. Itaque ſubditis calcaribu equo, in medios hoſtes ſe immiſit, & memorabili edita pugna, obrutus telis eſt. Quod ubi videre qui cæde ſupererant, tumulum paulc quam cætera editiorem capiunt, quos Spitamenes fame in deditionem ſubacturus obſedit. Cecidere eo prœlio peditum duo millia, trecenti equites. Quam cladem Alexander ſolerti conſilio texit, morte denuntiata iis, qui ex prœlio venerant, ſi acta vulgaſſent.

8 Cæterum cum animo diſparem vultum diutius ferre non poſſet, in tabernaculum, ſupra ripam fluminis de induſtria locatum, receſſit. Ibi ſine arbitris ſingula animi conſulta pen-

ſando

ſando, noctem vigiliis extraxit, ſæpe pellibus tabernaculi allevatis, ut conſpiceret hoſtium ignes, è quibus conjectare poterat, quanta hominum multitudo eſſet. Iamque lux appetebat, cum thoracem indutus, procedit ad milites, tum primum poſt vulnus proxime acceptum. Tanta erat apud eos veneratio Regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem, præſentia ejus excuteret. Læti ergo, & manantibus præ gaudio lachrymis conſalutant eum, & quòd ante recuſaverant bellum, feroces depoſcunt. Ille ſe ratibus equitem phalangemque tranſportaturum eſſe pronuntiat: ſuper utres jubet nare levius armatos. Plura nec dici res deſideravit: nec Rex dicere per valetudinem potuit. Cæterum tanta alacritate militum rates junctæ ſunt, ut in triduum ad duodecim millia effectæ ſint. Iamque ad tranſeundum omnia aptaverant, cum legati Scytharum viginti, more gentis, per caſtra equis vecti nuntiari jubent Regi, velle ipſos ad eum mandata perferre. Admiſſi in tabernaculum, juſſique conſidere, in vultu Regis defixerant oculos, credo, quia, magnitudine corporis animum æſtimantibus, modicus haudquaquam famæ par videbatur. Scythis autem non ut cæteris Barbaris rudis & inconditus ſenſus eſt. Quidam eorum ſapientiam capere dicuntur, quantamcunque gens capit ſemper armata. Sicque locutos eſſe apud Regem memorię proditum eſt, abhorrentia forſitan moribus noſtris, & tempora & ingenia cultiora ſortitis. Sed ut poſſit oratio eorum ſperni, tamen fides noſtra non debet: quæ utcunque tradita ſunt, incorrupta perferemus. Igitur unum ex his maximum natu ita locutum

tum accepimus : *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet. Altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. Et hoc aſſecutus, ſcire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis, quæ non capis. Ab Europa petis Aſiam : ex Aſia tranſis in Europam. Deinde, ſi humanum genus omne ſuperaveris, cum ſylvis, & nivibus, & fluminibus, feriſque beſtiis geſturus es bellum. Quid tu? ignoras, arbores magnas diu creſcere, una hora exſtirpari? Stultus eſt, qui fructus earum ſpectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit, & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab invalido. Quid nobis tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus. Qui ſis, unde venias, licetne ignorare in vaſtis ſylvis viventibus? Nec ſervire ulli poſſumus, nec imperare deſideramus. Dona à nobis data ſunt, ne Scytharum gentem ignores, jugum boum, aratrum, & ſagitta, & patera. His utimur & cum amicis, & adverſus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quæſitas : Patera cum iiſdem vinum Diis libamus: inimicos ſagitta eminus, haſta cominus petimus. Sic Scythæ Regem, & poſtea Perſarum, Medorumque ſuperavimus, patuitque nobis iter uſque in Ægyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones perſequendos venire; omnium gentium, quas adiſti, latro es. Lydiam cepiſti, Syriam occupaſti, Perſidem tenes, Bactrianos habes in poteſtate, Indos petiſti. Iam etiam ad pecora noſtra avaras & inſtabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus eſt, quæ te eſurire cogunt? Primus omnium ſatietate paraſti famem, ut quo plura haberes, acrius quæ non habes,*

habes, cuperes. Non ſuccurrit tibi, quam diu circum Bactra hæreas? Dum illos ſubigis, Sogdiani bellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria naſcitur. Nam ut major fortiorque ſis quam quiſquam; tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Tranſi modo Tanaim, ſcies quam late pateant, nunquam tamen conſequeris Scythas. Paupertas noſtra velocior erit, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rurſus, cum procul abeſſe nos credes, videbis in tuis caſtris. Eadem enim velocitate & ſequimur, & fugimus. SCYTHARUM SOLITUDINES, *Græcis etiam proverbiis audio eludi. Nos deſerta & humano cultu vacua, magis quam urbes & opulentos agros ſequimur. Proinde fortunam tuam preſſis manibus tene: lubrica eſt, nec invita teneri poteſt: impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges. Noſtri* SINE PEDIBUS *dicunt eſſe* FORTUNAM, *quæ manus & pinnas tantum habet. cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non ſinit. Denique, ſi Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere. Sin autem homo es: id quod es, ſemper eſſe te cogita. Stultum eſt eorum meminiſſe, propter quæ tui obliviſceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam & firmiſſima eſt inter pares amicitia: & videntur pares, qui non fecerunt inter ſe periculum virium. Quos viceris, amicos tibi eſſe cave credas. Inter dominum & ſervum nulla amicitia eſt: etiam in pace, belli tamen jura ſervantur. Iurando gratiam Scythas ſancire ne credideris: colendo fidem jurant. Græcorum iſta cautio eſt, qui acta conſignant, & Deos invocant: nos religionem in ipſa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos. Nec tibi amico opus eſt, de cujus benevolentia dubites. Cæterum nos & Aſiæ & Europæ cuſtodes habebis. Bactra,*

ſtra, niſi dividat Tanais, contingimus. Ultra Tanaim, uſque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam conjunctam eſſe fama eſt. utrique imperi tuo, finitimos, hoſtes an amicos velis eſſe, conſidera. Hæc Barbarus.

9 Contra Rex, fortuna ſua, & conſiliis eorum ſe uſurum eſſe reſpondet. Nam & fortunam cui confidat, & conſilium ſuadentium, ne quid temere & audacter faciat, ſecuturum. Dimiſſiſque legatis, in preparatas rates exercitum impoſuit. In proris clypeatos locaverat, juſſos in genua ſubſidere, quo tutiores eſſent adverſus ictus ſagittarum. Poſt hos, qui tormenta intenderent, ſtabant, & ab utroque latere, & à fronte circundati armatis. Reliqui, qui poſt tormenta conſtiterant, remigem lorica indutum ſcutorum teſtudine armati protegebant. Idem ordo in illis quoque ratibus, quæ equitem vehebant, ſervatus eſt: major pars à puppe nantes equos loris trahebat. At illos, quos utres ſtramento repleti vehebant, objectæ rates tuebantur. Ipſe Rex cum delectis, primus ratem ſolvit, & in ripam dirigi juſſit. Cui Scythæ admotos ordines equitum in primo ripæ margine opponunt, ut ne applicari quidem terræ rates poſſent. Cæterum præter hanc ſpeciem ripis præſidentis exercitus, ingens navigantes terror invaſerat. Namque curſum gubernatores, cum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant: vacillanteſque milites, & ne excuterentur ſolliciti, nautarum miniſteria turbaverant. Nec tela quidem conati niſu vibrare poterant, cum prior ſtandi ſine periculo, quam hoſtem inceſſendi cura eſſet. Tormenta ſaluti fuerunt, quibus inconfertos ac temere ſe offeren-

offerentes, haud fruſtra excuſſa ſunt tela. Barbari quoque ingentem vim ſagittarum infudere ratibus. Vixque ullum fuit ſcutum, quod non pluribus ſimul ſpiculis perforaretur. Iamque terræ rates applicabantur, cum acies clypeata conſurgit, & haſtas certo ictu, utpote libero niſu, mittit è ratibus. Et ut territos recipienteſq; equos videre, alacres mutua adhortatione in terram deſiliere. Turbatis acriter pedem inferre cœperunt. Equitum deinde turmæ, quæ frænatos habebant equos, perfregere Barbarorum aciem. Interim cæteri, agmine dimicantium tecti, aptavere ſe pugnæ. Ipſe Rex, quod vigoris ægro adhuc corpori deerat, animi firmitate ſupplebat. Vox adhortantis non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice cervicis: ſed dimicantem cuncti videbant. Itaque ipſi quidem ducum fungebantur officio: aliuſq; alium adhortati in hoſtem, ſalutis immemores, ruere cœperunt. Tum vero non ora, non arma, non clamorem hoſtium Barbari tolerare potuerunt, omneſque effuſis habenis (namque equeſtris acies erat) capeſſunt fugam: quos Rex, quanquam vexationem invalidi corporis pati non poterat, per LXXX. tamen ſtadia inſequi perſeveravit. Iamque linquente animo, ſuis præcepit, ut, donec lucis aliquid ſupereſſet, fugientium tergis inhærerent. Ipſe, exhauſtis etiam animi viribus, in caſtra ſe recepit, reliquum ſubſtitit. Tranſierant jam Liberi patris terminos, quorum monumenta lapides erant crebris intervallis diſpoſiti, arboreſque proceræ, quarum ſtipites hedera contexerat. Sed Macedonas ira longius provexit: quippe media fere nocte in caſtra redierunt, multis interfectis,

pluribus

pluribus captis, equoſque M.DCCC.abegere.Ceciderunt autem Macedonum equites LX. pedites C.fere, M. ſaucii fuerunt. Hæc expeditio deficientem magna ex parte Aſiam famâ tam opportunæ victoriæ domuit. Invictos Scythas eſſe crediderant: quibus fractis nullam gentem Macedonum armis parem fore confitebantur. Itaque Sacæ miſere legatos, qui pollicerentur gentem mandata facturam. Moverat eos Regis non virtus magis, quam clementia in devictos Scythas: quippe captivos omnes ſine pretio remiſerat, ut fidem faceret, ſibi cum ferociſſimis gentium de fortitudine, non de ira, fuiſſe certamen. Benigne igitur exceptis Sacarum legatis comitem Excipinum dedit, admodum juvenem, ætatis flore conciliatum ſibi: qui, cum ſpecie corporis æquaret Hephæſtionem, lepore haud ſane illi par erat. Ipſe, Cratero cum majore parte exercitus modicis itineribus ſequi juſſo, ad Maracanda urbem pervenit: ex qua Spitamenes, cognito ejus adventu, Bactra perfugerat. Itaque quatriduo Rex longum itineris ſpatium emenſus, pervenerat in eum locum, in quo, Menedemo duce, duo millia peditum, & trecentos equites amiſerat. Horum oſſa tumulo contegi juſſit, & inferias more patrio dedit. Iam Craterus cum phalange ſubſequi juſſus, ad Regem pervenerat. Itaque ut omnes, qui defecerant, pariter belli clade premerentur, copias dividit; urique agros, & interfici puberes juſſit.

10 Sogdiana regio majori ex parte deſerta eſt: octuaginta fere ſtadia in latitudinem vaſtæ ſolitudines tenent. Ingens ſpatium rectæ regionis eſt, per quam amnis (Polytimetum vocant incolæ) fertur. Torrentem eum ripæ in tenuem alveum

alveum cogunt: deinde caverna accipit, & ſub terram rapit. Curſus abſconditi indicium eſt aquę meantis ſonus, cum ipſum ſolum, ſub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem reſudet humore. Ex captivis Sogdianorum, ad Regem triginta nobiliſſimi, corporum robore eximio, perducti erant. Qui, ut per interpretem cognoverunt, juſſu Regis ipſos ad ſupplicium trahi, carmen lætantium more canere, tripudiiſque, & laſciviori corporis motu, gaudium quoddam animi oſtentare cœperunt. Admiratus Rex, tanta magnitudine animi oppetere mortem, revocari eos juſſit, cauſam tam effuſæ lætitiæ, cum ſupplicium ante oculos haberent, requirens. Illi, ſi ab alio occiderentur, triſtes morituros fuiſſe reſpondent. Nunc à tanto Rege victore omnium gentium majoribus ſuis redditos, honeſtam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus ſui moris lætitiaque celebrare. Tum Rex admiratus magnitudinem animi: *Quæro itaque,* inquit, *an vivere velitis non inimici mihi, cujus beneficio victuri eſtis?* Illi, nunquam ſe inimicos ei, ſed bello laceſſitos, hoſtes fuiſſe reſpondent. Si quis ipſos beneficio, quam injuria experiri maluiſſet, certaturos fuiſſe ne vincerentur officio. Interrogantique, quo pignore fidem obligaturi eſſent: *Vitam, quam acciperent, pignori futuram eſſe dixerunt*; *reddituros, quandoque repetiſſet.* Nec promiſſum fefellerũt. Nam qui remiſſi domos ierant, in fide continuêre populares. Quatuor inter cuſtodes corporis retenti, nulli Macedonum in regem charitate ceſſerunt. In Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum (neque enim majori præſidio indigebat) relicto, Bactra pervenit,

venit. Inde Beſſum Ecbatana duci juſſit, inte
fecto Dario pœnas capite perſoluturum. Iiſde
fere diebus Ptolemæus & Menidas peditu
tria millia, & equites mille adduxerunt me
cede militaturos: Alexander quoque ex Lyci
cum pari numero peditum, & quingentis equi
tibus venit. Totidem è Syria Aſclepiodoru
ſequebantur. Antipater Græcorum octo milli
in queis quingenti equites erant, miſerat. Itaqu
exercitu aucto, ad ea, quæ defectione turbat
erant, componenda proceſſit: interfectiſqu
conſternationis autoribus, quarto die ad flu
men Oxum perventum eſt: hic, quia limum ve
hit, turbidus ſemper, & inſalubris eſt potu. Ita
que puteos miles cœperat fodere. Nec tame
humo alte egeſta exiſtebat humor, cum in ipſ
tabernaculo Regis conſpectus eſt fons: quem
quia tarde notaverant, ſubito exſtitiſſe finxe
runt. Rexque ipſe credi voluit, donum Dei i
fuiſſe. Superatis deinde amnibus Ocho & Oxo
ad urbem Marginiam pervenit. Circa eam ſe
oppidis condendis electa ſedes eſt. Duo ad me
ridiem verſa, quatuor ſpectātia Orientem, mo
dicis inter ſe ſpatiis diſtabant, ne procul repetē
dum eſſet mutuum auxilium. Hæc omnia ſita
ſunt in editis collibus, tum velut fræni domi-
tarum gentium: nunc originis ſuæ oblita, ſer-
viunt quibus imperaverunt. Et cætera quidem
pacaverat.

11. Vna erat petra, quam Arimazes Sogdia-
nus cum XXX millibus armatorum obtinebat,
alimentis ante congeſtis, quæ tantæ multitu-
dini vel per biennium ſuppeterent. Petra in al-
titudinem XXX. eminet ſtadia, circuitu C & L.
complectitur. Vndique abſciſſa & abrupta, ſe-
mita

mita perangusta aditur. In medio altitudinis ſpatio habet ſpecum, cujus os arctum & obſcurum eſt: paulatim deinde ulteriora panduntur. Vltima etiam altos receſſus habent: fontes per totum fere ſpecum manant. E quibus collatæ aquæ per prona montis flumen emittunt. Rex, loci difficultate ſpectata, ſtatuerat inde abire: Cupido deinde inceſſit animo, naturam quoque fatigandi. Prius tamen quam fortunam obſidionis experiretur, Cophen (Artabazi hic filius erat) miſit ad Barbaros, qui ſuaderet, ut dederent rupem. Arimazes loco fretus, ſuperbe multa reſpondit. Ad ultimum, an Alexander volare poſſit, interrogat. Quæ nuntiata Regi, ſic accendere animum, ut adhibitis cum quibus conſultare erat ſolitus, indicaret inſolentiam Barbari illudentis ipſos, quia pinnas non haberent. Se autem proxima nocte effecturum, ut crederet, Macedonas etiam volare, *Trecentos*, inquit, *pernicioſiſſimos juvenes ex ſuis quiſque copiis perducite ad me, qui per calles, & pene invias rupes, domi pecora agere conſueverint.* Illi præſtantes & levitate corporum, & ardore animorum ſtrenue adducunt: quos intuens Rex, *Vobiſcum*, inquit, *ô juvenes, & mei æquales, urbium invictarum ante munimenta ſuperavi: montium juga perenni nive obruta emenſus ſum: anguſtias Ciliciæ intravi: Indiæ ſine laſſitudine vim frigoris ſum perpeſſus. Et mei documenta vobis dedi, & veſtra habeo. Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem Barbari obſident, cætera negligunt. Nullæ vigiliæ ſunt, niſi quæ caſtra noſtra ſpectant. Invenietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus ferenteis ad cacumen. Nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti. Experiendo, quæ cæteri*

cæteri deſperaverunt, Aſiam habemus in poteſtat Evadite in cacumen: quod cum ceperitis, candid velis ſignum mihi dabitis: ego, copiis admotis, ho ſtem in nos à vobis convertam. Præmium erit e qui primus occupaverit verticem, talenta decem Vno minus accipiet, qui proximus ei venerit: ea demque ad decem homines ſervabitur portio. Cer tum habeo, vos non tam liberalitatẽ intueri mean quam voluntatem. His animis Regem audierun ut jam cepiſſe verticem viderentur. dimiſſiqu ferreos cuneos, quos inter ſaxa defigerent, va lidoſque funes parabant. Rex circumvectos pe tram, qua minime aſper ac præruptus aditus v debatur, ſecunda vigilia (quod bene verteret ingredi jubet. Illi, alimentis in biduum ſum ptis, gladiis modo atque haſtis armati ſubir cœperunt. Ac primo pedibus ingreſſi ſunt: de inde, ut in prærupta perventum eſt, alii mani bus eminentia ſaxa complexi, levavere ſemet. alii adjectis funium laqueis evaſere, cum cuneo inter ſaxa defigerent, queis gradus ſubinde in ſiſterent: diem inter metum laboremque con ſumpſerunt. Per aſpera enixis, duriora reſta bant. & creſcere altitudo petræ videbatur. Ill vero miſerabilis erat facies, cum ii, quos inſta bilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolveren tur: mox eadẽ in ſe patienda alieni caſus oſten debat exemplum. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fati gatione continuati laboris affecti; quidam multati parte membrorum. pariterque eos & nox, & ſomnus oppreſſit. Stratis paſſim cor poribus in inviis & in aſperis ſaxorum, periculi inſtantis obliti in lucem quieverunt: tandem que velut ex alto ſopore excitati, occultas ſub

jectaſque

jectaſque ipſis valles rimantes, ignari in qua parte petræ tanta vis hoſtium condita eſſet, fumum ſpecus infra ſeipſos evolutum notaverunt. Ex quo intellectum eſt, illam hoſtium latebram eſſe. Itaque haſtis impoſuere quod convenerat ſignum, totoque è numero duos & triginta in aſcenſu interiiſſe cognoſcunt. Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vicem eorum, quos ad tam manifeſtum periculum miſerat, ſollicitus, toto die cacumina montis intuens reſtitit. Noctu demum cum obſcuritas cōſpectum oculorum ademiſſet, ad curandum corpus receſſit. Poſtero die nondum ſatis clara luce, primus vela, ſignum capti verticis, conſpexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas cœli, internitente lucis fulgore conditi. Verum ut liquidior lux apparuit cœlo, dubitatio exempta eſt. Vocatumque Cophen, per quem Barbarorum animos tentaverat, mittit ad eos, qui moneret; nunc ſaltem ſalubrius cōſilium inirent. Sin autem fiducia loci perſeverarent, oſtendi à tergo juſſit, qui ceperant verticem. Cophes ad eos miſſus ſuadere cœpit Arimazi petram tradere, gratiam Regis inituro, ſi tantas res molientem in unius rupis obſidione hærere non coëgiſſet. Ille, ferocius ſuperbiuſque quam antea locutus, abire Cophen jubet. At is prehenſum manu Barbarum rogat, ut ſecum extra ſpecum prodeat: quo impetrato, juvenes in cacumine oſtendit, ejuſque ſuperbiæ haud immerito illudens, Pinnas ait habere milites Alexandri. Iamque è Macedonum caſtris ſignorum concentus, & totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, ſicut pleraque belli vana & inania, Barbaros ad deditionem traxit.

quippe

quippe occupati metu, paucitatem eorum, qu à tergo erant, æſtimare non poterant. Itaqu Cophen (nam trepidantes reliquerat) ſtrenu revocant, & cum eo triginta principes mittũ qui petram tradant, & ut incolumibus abir liceat, paciſcantur. Ille, quanquam verebatu ne conſpecta juvenum paucitate deturbarer eos Barbari; tamen & fortunæ ſuæ confiſu & Arimazi ſuperbiæ infenſus, nullam ſe cond tionem deditionis accipere reſpondit. Arima zes, deſperatis magis quam perditis rebus, cur propinquis nobiliſſimiſque gentis ſuæ deſcen dit in caſtra, quos omneis verberibus affecto ſub ipſis radicibus Petræ crucibus juſſit affig Multitudo dedititiorum incolis novarum ur bium cum pecunia capta dono data eſt. Arta bazus, in petræ regioniſque quæ appoſita eſſe ei, tutela, relictus eſt.

LIBER VIII.

BREVIARIUM LIBRI.

1 *Maſſagetis, Dahis, & Sogdianis ſubactis Scythæ ſui regis filiam Alexandro conjugem offerunt, qui leone interfecto & quatuor millibus ferarum in venatione dejectis, Clytum ſolenni convivio adhibitum, & liberius loquentem, interficit.*

2 *Sera Alexandri pœnitentia, quam ſequuntur bellicæ expeditiones adverſus Bactrianos transfugas & Syſimithren: Philippi item ſtrenuiſſimi juvenis, & Erigyi clariſſimi ducis, obitus.*

3 *Spitamenis uxorem, interfecti mariti caput afferen-*

afferentem, Alexander caſtris excedere jubet: provincias quaſdam à præfectorum ſuorum injuriis vindicat.

4 *Frigoris nimia vi pene opprimitur exercitus Gabazam aditurus. Alexandri conſtantia, & erga gregarium militem humanitas, ejuſdemque cum Roxane matrimonium.*

5 *Cogitationibus in bellum Indicum verſis, adulatorum fraude, nimia ſuperbia elatus Alexander, Iovis filius vult ſalutari: quod Caliſthenes gravi oratione improbat.*

6 *Ex ignominia Hermolao nobili puero illata naſcitur in caput Alexandri conjuratio, qua detectà, inter autores ſceleris innocens Caliſthenes conjicitur.*

7 *Hermolai Caliſthenem juſtum eſſe aſſeverantis, adverſus crudelem Alexandri ſuperbiam invectiva.*

8 *Alexandri ad Hermolai invectivam reſponſio: conjuratorum item atque innocentis Caliſthenis ſupplicium.*

9 *Indi, Gangis, Dyardenis, Indiæ, ejus incolarum, luxu diffluentium regum, ac ſapientum, luculenta deſcriptio,*

10 *Varios Indiæ populos mira felicitate, non tamen ſine ſanguine Alexander ſubjicit.*

11. *Aornus petra & arx inacceſſa ab Alexandro oppugnatur, & ab obſeſſis relicta capitur.*

12 *Omphis rex potentiſſimus ſe regnumq; ſuum Alexandro permittit. à quo in integrum reſtituitur: unde mutua dona regia.*

13 *Porum regem, Omphis ſuaſu, Alexander ancipiti quidem & ſub initia periculoſiſſimo aggreditur bello.*

14 *Indorum & Macedonum inſignis & cruenta pu-*

ta pu-

ta pugna: Pori captivi magnanimitas, & Alexa dri regia clementia.

ALEXANDER majore fama qua gloria in ditionem redacta Petr cum propter vagum hoſtem ſpa gendæ manus eſſent, in tres part diviſit exercitum: Hephæſtione uni, Cœnon alteri duces dederat: ipſe cæte præerat. Sed non eadem mens omnibus Barb ris fuit. Armis quidam ſubacti, plures ante c tamen imperata fecerunt: quibus eorum, q in defectione perſeveraverant, urbes agroſq juſſit attribui. At exſules Bactriani cum D c equitibus Maſſagetarum proximos vicos vaſ verunt. Ad quos coërcendos Attinas regior ejus Præfectus CCC equites, inſidiarum quæ p rabantur ignarus, eduxit. Namque hoſtis ſylvis, quæ erant forte campo junctæ, arm tum militem condidit, paucis propellentib pecora, ut improvidum ad inſidias præda pe duceret. Itaque incompoſito agmine, ſolut que ordinibus, Attinas prædabundus ſequeb tur: quem prætergreſſum ſylvam, qui in conſederant, ex improviſo adorti, cum omı bus interemerunt. Celeriter ad Craterum huj cladis fama perlata eſt, qui cum omni equita ſupervenit. Et Maſſagetæ quidem jam refug rant. Dahæ mille oppreſſi ſunt: quorum clad totius regionis finita defectio. Alexander qu que, Sogdianis rurſus ſubactis, Maracanda r petit. Ibi Berdes, quem ad Scythas ſuper Bo phorum colentes miſerat, cum legatis gen occurrit. Phrataphernes quoque, qui præer Maſſagetis & Dahis regionum confinio adju

ct

ctis, miſerat, qui facturum imperata pollicerentur. Scythæ petebant, ut Regis ſui filiam matrimonio ſibi jungeret: ſi dedignaretur affinitatem, principes Macedonum cum primoribus ſuæ gentis connubio coire pateretur. Ipſum quoque Regem venturum ad eum pollicebantur. Vtraque legatione benigne audita, Hephęſtionem & Artabazum opperiens, ſtativa habuit: quibus adjunctis, in regionem, quæ appellatur Bazaria, pervenit. Barbaræ opulentiæ in illis locis haud ulla ſunt majora indicia, quã magnis nemoribus ſaltibuſque nobilium ferarum greges clauſi. Spatioſas ad hoc eligunt ſylvas, crebris perennium aquarum fontibus amœnas. Muris nemora cinguntur, turreſque habent venantium receptacula. Quatuor continuis ætatibus intactum ſaltum fuiſſe conſtabat; quem Alexander cum toto exercitu ingreſſus, agitari undique feras juſſit. Inter quas cum leo magnitudinis raræ ipſum Regem invaſurus incurreret, forte Lyſimachus, qui poſtea regnavit proximus Alexandro, venabulum objicere feræ cœperat. Quo Rex repulſo, & abire juſſo, adjecit: Tam à ſemet uno, quam à Lyſimacho, leonem interfici poſſe. Lyſimachus enim quondam, cum venaretur in Syria, occiderat eximiæ magnitudinis feram ſolus, ſed lævo humero uſq; ad oſſa laceratus, ad ultimum periculi pervenerat. idipſum exprobrans ei Rex, fortius quam locutus eſt, fecit. Nam feram non excepit modo, ſed etiam uno vulnere occidit. Fabulam, quæ objectum leoni à Rege Lyſimachum temere vulgavit, ab eo caſu (quẽ ſupra diximus) ortam eſſe crediderim. Cæterum Macedones, quanquam proſpero eventu

defunctus erat Alexander, tamen ſcivere gent
ſuæ more, ne pedes venaretur ſine delectis prir
cipum, amicorumque. Ille quatuor millibus fe
rarum dejectis, in eodem ſaltu cum toto exe
citu epulatus eſt. Inde Maracanda reditum eſ
Acceptaque ætatis excuſatione ab Artabazo
provinciam ejus deſtinat Clyto. Hic erat, qu
apud Granicum amnem nudo capite Regem d
micantem clypeo ſuo texit: & Rhoſacis ma
num capiti Regis imminentem gladio ampu
tavit; vetus Philippi miles, multiſque bellic
operibus clarus. Hellanice, quæ Alexandrun
educaverat, ſoror ejus haud ſecus quam mate
à Rege diligebatur. Ob has cauſas validiſſiman
imperii partem fidei ejus tutelæque commiſi
Iamque iter parare in poſterum juſſus, ſolenr
& tempeſtivo adhibetur convivio. In quo Re
cum multo incaluiſſet mero, immodicus æſti
mator ſui, celebrare, quæ geſſerat, cœpit: gravi
etiam eorum auribus, qui ſentiebant vera me
morari. Silentium tamen habuere ſeniores, do
nec Philippi res orſus obterere, nobilem apu
Cheroneam victoriam ſui operis fuiſſe jactavit
ademptamque ſibi malignitate & invidia pa
tris tantæ rei gloriam. Illum quidem, ſedition
inter Macedonas milites & Græcos mercena
rios orta, debilitatum vulnere, quod in ea con
ſternatione acceperat, jacuiſſe, non alias quan
ſimulatione mortis tutiorem: ſe corpus eju
protexiſſe clypeo ſuo, ruenteſque in illum ſu
manu occiſos. Quæ patrem nunquam æquo
animo eſſe confeſſum, invitum filio debenten
ſalutem ſuam. Itaque poſt expeditionem quan
ſine eo feciſſet ipſe in Illyricos, victorem ſcri-
pſiſſe ſe patri, fuſos fugatoſque hoſtes, nec af-
fuiſſe

fuiſſe uſquam Philippum. Laude dignos eſſe, non qui Samothracum initia viſerent, cum Aſiam uri, vaſtarique oporteret; ſed eos, qui magnitudine rerum fidem anteceſſiſſent. Hæc & his ſimilia læti audiere juvenes: ingrata ſenioribus erant, maxime propter Philippum, ſub quo diutius vixerant. Tum Clytus, ne ipſe quidem ſatis ſobrius, ad eos, qui infra ipſum cubabant, converſus, Euripidis retulit carmen, ita ut ſonus magis quam ſermo exaudiri poſſet à Rege. Quo ſignificabatur, male inſtituiſſe Græcos quod trophæis Regum duntaxat nomina inſcriberentur. Alieno enim ſanguine partam gloriam intercipi. Itaque Rex cum ſuſpicaretur malignius habitum eſſe ſermonem, percontari proximos cœpit, quid ex Clyto audiſſent. Et illis ad ſilentium obſtinatis Clytus paulatim majore voce Philippi acta, bellaque in Græcia geſta commemorat, omnia præſentibus præferens. Hinc inter juniores ſeneſq; orta contentio eſt. Et Rex, velut patienter audiret, queis Clytus obterebat laudes ejus, ingentem iram conceperat. Cæterum cum animo videretur imperaturus, ſi finem procaciter orto ſermoni Clytus imponeret: nihil eorum omittente, magis exaſperabatur. Iamque Clytus etiam Parmenionem defendere audebat: & Philippi de Athenienſibus victoriam, Thebarum præferebat excidio; non vino modo, ſed etiam animi prava contentione provectus. Ad ultimum, *Si moriendum*, inquit, *eſt pro te, Clytus eſt primus. At victoriæ majus præmium ferunt, qui procaciſſime patris tui memoriæ illudunt. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, & non modo indomitam, ſed quæ ne ſubigi quidem poſſit. Mittor ad*

feras beſtias,præcipitia ingentia ſortitas.Sed quæ a me pertinēt,tranſeo: Philippi milites ſpernis,oblitu niſi hic Atharias ſenex juniores pugnā detractant revocaſſet, adhuc nos circa Halicarnaſſum hæſur fuiſſe. Quomodo ergo Aſiam etiam cum iſtis juni ribus ſubjeciſti?Verum eſt(ut opinor)quod avuncu lum tuum in Italia dixiſſe cōſtat:Ipſum in viros in cidiſſe,te in fœminas. Nihil ex omnibus inconſu te ac temere actis Regem magis moverat,quar Parmenionis cū honore mentio illata;dolorer tamen Rex preſſit,contentus juſſiſſe,ut cōvivi excederet: nec quidquam aliud adjecit, quar forſitan eum (ſi diutius locut⁹ foret) exprobra turum ſibi fuiſſe vitam à ſemetipſo datam: ho enim ſuperbe ſæpe jactaſſe. Atq; illum cunctan tem adhuc ſurgere,qui proximi ei cubuerāt, in jectis manibus,j urgantes monenteſq;conaban tur abducere. Clytus cum abſtraheretur,ad pri ſtinam vinolentiam ira quoque adjecta: *Suo pe ctore tergum illius eſſe defenſum: nunc poſteaquan tanti meriti præteriit tempus, etiam memoriam in viſam eſſe,proclamat. Attali quoque cædem objicie bat:& ad ultimum,Iovis,quem patrem ſibi Alexan der aſſereret,oraculū eludens,Veriora ſe Regi, quan patrem ejus, reſpondiſſe dicebat.* Iam tantum ira conceperat Rex, quantum vix ſobrius ferre potuiſſet. Enimvero mero ſenſibus victis, ex lecto repente proſiluit. Attoniti amici,ne poſitis quidem,ſed abjectis poculis, conſurgunt,in eventū rei, quam tanto impetu acturus eſſet, intenti. Alexander, rapta lancea ex manibus armigeri, Clytum adhuc eadem linguę intemperantia furentem percutere conatus, à Ptolemæo & Perdicca inhibetur.medium complexi,& obluctari perſeverantē, morabantur. Lyſimachus & Leonatus

natus etiam lanceam abſtulerant. Ille militum fidem implorans, comprehendi ſe à proximis amicorũ, quod Dario nuper accidiſſet, exclamat: ſignumq; tuba dari, ut ad regiam armati coirẽt, jubet. Tum vero Ptolemæus & Perdiccas genibus advoluti orant, ne in tam præcipiti ira perſeveret, ſpatiumque potius animo det: omnia poſtero die juſtius exſecuturum. Sed clauſæ erant aures, obſtrepente ira. Itaque impotens animi, percurrit in regiæ veſtibulum, & vigili excubanti haſta ablata conſtitit in aditu, quo neceſſe erat iis, qui ſimul cœnaverant, egredi. Abierant cæteri: Clytus ultimus ſine lumine exibat. Quem Rex, quiſnam eſſet, interrogat. Eminebat, etiam in voce, ſceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille jam non ſuæ, ſed Regis iræ memor, Clytum eſſe, & de convivio exire reſpondit. Hæc dicentis latus haſta transfixit, morientiſque ſanguine aſperſus: *I nunc*, inquit, *ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum.*

2 Male humanis ingeniis natura conſuluit, quod plerunq; non futura, ſed tranſacta perpendimus. quippe Rex poſteaquã ira mente deceſſerat, etiam ebrietate diſcuſſa, magnitudinẽ facinoris ſera æſtimatione perſpexit. Videbat tunc immodica libertate abuſum, ſed alioqui egregium bello virum, & niſi erubeſceret fateri, ſervatorem ſui, occiſum. Deteſtabile carnificis miniſterium occupaverat Rex, verborũ licentiam, quę vino poterat imputari, nefanda cęde ultus. Manabat toto veſtibulo cruor paulo ante convivę: vigiles attoniti & ſtupentibus ſimiles procul ſtabant, liberioremq; pœnitentiam ſolitudo exciebat. Ergo haſtam ex corpore jacentis evulſam retorſit in ſemet: jamq; admoverat pectori,

 cum

cum advolant vigiles, & repugnanti è manibu extorquent, allevatumq; in tabernaculum deferunt. Ille humi proſtraverat corpus; gemitu ejulatuque miſerabili tota perſonante regia. Laniare deinde os unguibus, & circumſtantes rogare, ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem eſſe paterentur. In has preces tota nox exacta eſt: ſcrutantemque num ira Deorum ad tantum nefas actus eſſet, ſubit, anniverſarium ſacrificium Libero patri non eſſe redditum ſtato tempore Itaque inter vinum & epulas cæde commiſſa iram Dei fuiſſe manifeſtam. Cæterum magis ec movebatur, quod omnium amicorum animo videbat attonitos: neminem cum ipſo ſociar ſermonem poſtea auſurum. Vivendum eſſe in ſolitudine, velut feræ beſtiæ terrenti alias, alia timenti. Prima deinde luce tabernaculo corpus, ſicut adhuc cruentum erat, juſſit inferri Quo poſito ante ipſum, lachrymis obortis *Hanc*, inquit, *nutrici meæ gratiam retuli, cuju duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuer mortem? hic frater, unicum orbitatis ſolatium, a me inter epulas occiſus eſt. Quo nunc ſe conferet miſera? Omnibus ejus unus ſuperſum, quem ſolum æquis oculis videre non poterit. Et ego ſervatorum meorum latro revertar in patriam, ut ne dexteram quidem nutrici ſine memoria calamitatis ejus afferre poſſim?* Et cum finis lachrymis querelisque non fieret, juſſu amicorum corpus ablatum eſt. Rex triduum jacuit incluſus. Quem ut armigeri corporiſque cuſtodes ad moriendum obſtinatum eſſe cognoverunt, univerſi in tabernaculū irrumpunt, diuque precibus ipſorum reluctatum ægre vicerunt, ut cibum caperet. Quoque minus cædis puderet, jure interfectum

ſeἛum Clytum Macedones decernunt, ſepultura quoque prohibituri, ni Rex humari juſſiſſet. Igitur decem diebus maxime ad confirmandum pudorem apud Maracanda conſumptis, cum parte exercitus Hephæſtionem in regionem Bactrianam miſit, commeatus in hyemem paraturum. Quam Clyto autem deſtinaverat provinciam, Amyntæ dedit. Ipſe Xenippa pervenit, Scythiæ confinis eſt regio, habitaturque pluribus ac frequentibus vicis, quia ubertas terræ non indigenas modo detinet, ſed etiam advenas invitat. Bactrianorum exſulum, qui ab Alexandro defecerant, receptaculum fuerat. Sed poſteaquam Regem adventare compertum eſt, pulſi ab incolis, duo millia fere & ducenti congregantur. Omnes equites erant, etiam in pace latrociniis aſſueti. Tum ferocia ingenia non bellum modo, ſed etiam veniæ deſperatio efferaverat. Itaque ex improviſo adorti Amyntam Prætorem Alexandri, diu anceps prœlium fecerant. Ad ultimum, DCC. ſuorum amiſſis, quorum CCC. hoſtis cepit, dedere terga victoribus, haud ſane inulti: quippe LXXX. Macedonum interfecerunt, præterque eos trecenti & quinquaginta ſaucii facti ſunt, veniam tamen etiam poſt alteram defectionem impetraverunt. His in fidem acceptis, in regionem, quam Naura appellant, Rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Syſimithres, duobus ex ſua matre filiis genitis: quippe apud eos parentibus ſtupro coire cum liberis fas eſt. Duobus millibus armatis popularibus, fauces regionis, qua in arctiſſimum cogitur, valido munimento ſepſerant. Præterfluebat torrens amnis, qui terga petræ claudebat, hanc manu

perviam incolæ fecerant. Sed aditus ſpecus a cipit lucem: interiora, niſi illato lumine, o ſcura ſunt. Perpetuus cuniculus iter præbet i campos ignotum, niſi indigenis. At Alexar der, quanquam anguſtias naturali ſitu munit. valida manu Barbari tuebantur, tamen ariet bus admotis, munimenta, quæ manu adjunct erant, concuſſit, fundiſque & ſagittis propu gnantium pleroſque dejecit: quos ubi diſpe ſos fugavit, ruinas munimentorum ſupergre ſus, ad petram admovit exercitum. Cæterun interveniebat fluvius coëuntibus aquis ex ſupe riore faſtigio in vallem, magnique operis vide batur tam vaſtam voraginem explere. Cæd tamen arbores, & ſaxa congeri juſſit. Ingen que Barbaros pavor rudes ad talia opera con cuſſerat, excitatam molem ſubito cernentes Itaque Rex ad deditionem metu poſſe compell ratus, Oxarten miſit nationis ejuſdem, ſed ditionis ſuæ, qui ſuaderet duci, ut traderet Petram. Interim ad augendam formidinem, & turres admovebantur, & excuſſa tormentis tela emicabant. Itaque verticem Petræ omni alio præſidio damnato, petiverunt. At Oxartes trepidum diffidentemque rebus ſuis Syſimithrem cœpit hortari, ut fidem, quam vim Macedonum, mallet experiri, neu moraretur feſtinationem victoris exercitus in Indiam tendentis: cui quiſquis ſemet offerret, in ſuum caput alienam cladem eſſe verſurum. Et ipſe quidem Syſimithres deditionem annuebat: cæterum mater eademque conjux morituram ſe ante denuntians quam in ullius veniret poteſtatem, Barbari animum ad honeſtiora quam tutiora converterat: pudebatque, libertatis majus eſſe

apud

apud fœminas quam apud viros pretium. Itaque dimiſſo internuntio pacis, obſidionem ferre decreverat. Sed cum hoſtis vires, ſuaſque penſaret, rurſus muliebris conſilii, quod præceps magis quam neceſſarium eſſe credebat, pœnitere eum cœpit. Revocatoq; ſtrenue Oxarte, futurum ſe in Regis poteſtate reſpondit; unum precatus, ne voluntatem & conſilium matris ſuę proderet, quo facilius venia illi quoque impetraretur. Præmiſſum igitur Oxartem cum matre liberiſque, & totius cognationis grege, ſequebatur, ne exſpectato quidem fidei pignore, quod Oxartes promiſerat. Rex, equite præmiſſo, qui reverti eos juberet, opperirique præſentiam ipſius, ſupervenit, & victimis Minervæ ac Victoriæ cæſis, imperium Syſimithri reſtituit, ſpe majoris etiam provinciæ facta, ſi cum fide amicitiam ipſius coluiſſet. Duos illi juvenes patre tradente, ſecum militaturos ſequi juſſit. Relicta deinde phalange, ad ſubigendos, qui defecerant, cum equite proceſſit. Arduum & impeditum ſaxis iter primo utcunque tolerabant. Mox equorum non ungulis modo attritis, ſed corporibus etiam fatigatis, ſequi pleriique non poterant, & rarius ſubinde agmen fiebat, pudorem (ut fere fit) immodico labore vincente. Rex tamen ſubinde equos mutans, ſine intermiſſione fugientes inſequebatur. Nobiles juvenes comitari eum ſoliti defecerant, præter Philippum; Lyſimachi erat frater, tum primum adultus, &, quod facile appareret, indolis rarę. Is pedes (incredibile dictu) per cc. ſtadia vectum Regem comitatus eſt, ſæpe equum ſuum offerente Lyſimacho; nec tamen ut digrederetur à Rege, effici potuit, cum lorica indutus

ductus arma geſtaret. Idem, cum perventum eſſet in ſaltum, in quo ſe Barbari abdiderant, nobilem edidit pugnam, Regemque cominus cum hoſte dimicantem protexit. Sed poſteaquam Barbari in fugam effuſi deſeruere ſylvas, animus, qui in ardore pugnæ corpus ſuſtentaverat, liquit: ſubitoque ex omnibus membris profuſo ſudore, arboris proximæ ſtipiti ſe applicuit. Deinde, ne illo quidem adminiculo ſuſtinente, manibus Regis exceptus eſt; inter quas collapſus, extinguitur. Mœſtum Regem alius haud levis dolor excepit. Erigyus inter claros duces fuerat, quem extinctum eſſe paulo ante quam reverteretur in caſtra, cognovit. Vtriuſq funus omni apparatu atque honore celebratum eſt.

3 Dahas deinde ſtatuerat petere: ibi namq; Spitamenem eſſe cognoverat. Sed hanc quoque expeditionem, ut pleraque alia, fortuna, indulgendo ei nunquam fatigata, pro abſente tranſegit. Spitamenes uxoris immodico amore flagrabat: quam ægre fugam & nova ſubinde exſilia tolerantem, in omne diſcrimen comitem trahebat. Illa malis fatigata, identidem muliebres adhibere blanditias, ut tandem fugam ſiſteret, victoriſque Alexandri clementiam expertus placaret, quem effugere non poſſet. Tres adulti erant liberi ex eo geniti: quos cum pectori patris admoviſſet, ut ſaltem eorum miſereri vellet, orabat. Et quo efficaciores eſſent preces, haud procul erat Alexander. Ille ſe prodi, non moneri ratus, & formæ profecto fiducia cupere eam quam primum dedi Alexandro, acinacem ſtrinxit, percuſſurus uxorem, niſi prohibitus eſſet fratrum ejus occurſu. Cæterum abire

è con-

è conſpectu jubet, addito metu mortis, ſi ſe oculis ejus obtuliſſet: & ad deſiderium levandum noctes inter pellices agere cœpit. Sed penitus hærens amor, faſtidio præſentium accenſus eſt. Itaque rurſus uni ei deditus, orare non deſtitit, ut tali conſilio abſtineret, pateretur que ſortem, quamcunque his fortuna feciſſet. Sibi mortem deditione eſſe leviorem. At illa purgare ſe, quod quæ utilia eſſe cenſebat, muliebriter forſitan, ſed fida tamen mente ſuaſiſſet: de cætero futuram in viri poteſtate. Spitamenes ſimulato captus obſequio, de die convivium apparari jubet: vinoque & epulis gravis ſemiſomnus in cubiculum fertur. Quem ut alto & gravi ſomno ſopitum eſſe ſenſit uxor, gladium; quem veſte occultaverat, ſtringit; caputque ejus abſciſſum cruore reſperſa ſervo ſuo conſcio facinoris tradit. Eodem comitante (ſicut erat cruenta veſte) in Macedonum caſtra pervenit, nuntiarique Alexandro jubet, eſſe, quæ ex ipſa deberet agnoſcere. Ille protinus Barbaram juſſit admitti. Quam ut aſperſam cruore conſpexit, ratus ad deplorandam contumeliam veniſſe, dicere, quæ vellet, jubet. At illa, ſervum, quem ſtare in veſtibulo juſſerat, introduci deſideravit. Qui, quia caput Spitamenis veſte tectum habebat, ſuſpectus, ſcrutantibus quid occuleret, oſtendit. Confuderat oris exſanguis notas pallor, nec quis eſſet noſci ſatis poterat. Ergo Rex certior factus, humanum caput afferre eum, tabernaculo exceſſit, percontatuſque quid rei ſit, illo profitente cognoſcit. Variæ hinc cogitationes invicem animum diverſa agitantem commoverant. Meritum ingens in ſemet eſſe credebat, quod transfuga & proditor, tan-

tis

tis rebus (ſi vixiſſet) injecturus moram, interfectus eſſet. Contra facinus ingens averſabatur cum optime meritum de ipſa, communium parentem liberorum per inſidias interemiſſet. Vicit tamen gratiam meriti ſceleris atrocitas, denuntiarique juſſit, ut excederet caſtris, neu licentiæ Barbaræ exemplar in Græcorum mores & mitia ingenia transferret. Dahæ, Spitamenis cæde comperta, Dataphernem defectionis ejus participem vinctum Alexandro, ſeque dedunt. Ille maxima præſentium curarum parte liberatus, convertit animum ad vindicandas injurias eorum, quibus à Prætoribus ſuis avare ac ſuperbe imperabatur. Ergo Phrataphernì Hyrcaniam, & Mardos cum Tapuris tradidit, mandavitque, ut Phradatem, cui ſuccedebat, ad ſe in cuſtodiam mitteret. Arſami Cariæ Præfecto ſubſtitutus eſt Staſanor. Arſaces in Mediam miſſus, ut Oxidates inde diſcederet. Babylonia, mortuo Mazæo, Deditameni ſubjecta eſt.

4 His compoſitis, tertio menſe ex hybernis movit exercitum; regionem, quæ Gabaza appellatur, aditurus. Primus dies quietum iter præbuit, proximus ei nondum quidem procelloſus & triſtis, obſcurior tamen priſtino, non ſine minis creſcentis mali, damno præteriit. Tertio ab omni parte cœli emicare fulgura, & nunc, internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, ſed etiam animos terrere cœperunt. Erat prope continuus cœli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebatur: attonitiſque auribus ſtupens agmen, nec progredi, nec conſidere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens, torrentis modo effunditur. Ac primo quidem armis ſuis tecti

tecti exceperant. Sed jam nec retinere arma lubrica rigentes manus poterant, nec ipſi deſtinare, in quam regionem obverterent corpora, cum undique tempeſtatis violentia major, quam vitabatur, occurreret. Ergo ordinibus ſolutis, per totum ſaltum errabundum agmen ferebatur, multique, prius metu quam labore defatigati, proſtraverant humi corpora, quanquam imbrem vis frigoris concreto gelu aſtrinxerat. Alii ſe ſtipitibus arborum admoverant; id plurimis & adminiculum & ſuffugium erat. Nec fallebat ipſos, morti locum eligere, cum immobileis vitalis calor linqueret. Sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recuſabant extingui quieſcendo: quippe non vehemens modo, ſed etiam pertinax vis mali inſiſtebat, lucemque, naturale ſolatium, prȩter tempeſtatem haud diſparem nocti, ſylvarum quoque umbræ ſuppreſſerant. Rex unus tanti mali patiens, circuire milites, contrahere diſperſos, allevare proſtratos, oſtendere procul evolutum ex tuguriis fumum, hortarique ut proxima quæque ſuffugia occuparent. Nec ulla res magis ſaluti fuit, quam quod multiplicato labore ſufficientem malis, quibus ipſi ceſſerant, Regem deſerere erubeſcebant. Cæterum efficacior in adverſis neceſſitas, quam ratio, frigoris remedium invenit. Dolabris enim ſylvas ſternere aggreſſi, paſſim acervos ſtrueſque accenderunt. Continenti incendio ardere crederes ſaltum, & vix inter flammas agminibus relictum locum. Hic calor ſtupentia membra commovit, paulatimque ſpiritus, quem continuerat rigor, meare libere cœpit. Excepere alios tecta Barbarorum, quæ in ultimo ſaltu abdita neceſſitas inveſtigaverat;

verat. Alios caſtra,quæ in humido quidem, ſe
jam cœli miteſcente ſævitia locaverunt. Mil
militum atque lixarum calonumque peſtis il
conſumpſit. Memoriæ proditum eſt, quoſda
applicatos arborum truncis, & non ſolum v
ventibus, ſed & inter ſe colloquentibus ſimil
eſſe conſpectos, durante adhuc habitu, in qu
mors quemque deprehenderat. Forte Maced
gregarius miles, ſeque & arma ſuſtentans, tar
dem in caſtra pervenerat. Quo viſo, Rex, quar
quam ipſe tunc maxime admoto igne refov
bat artus, ex ſella ſua exſiluit, torpentemqu
militem, & vix compotem mentis, demptis ar
mis, in ſua ſede juſſit conſidere. Ille diu, nec ul
requieſceret, nec à quo eſſet exceptus, agnovi
Tandem recepto calore vitali, ut regiam ſeden
Regemque vidit, territus ſurgit. Quem intuen
Alexander: *Ecquid intelligis, miles,* inquit, *quant meliore ſorte, quam Perſæ, ſub Rege vivatis? Illi enim in ſella Regis conſediſſe capitale foret, tibi ſaluti fuit.* Poſtero die convocatis amicis, copiarumque ducibus, pronuntiari juſſit, ipſum omnia quæ amiſſa eſſent redditurum, & promiſſo fides exſtitit. Nam Syſimithres multa jumenta & camelorum duo millia adduxit, pecoraque & armenta, quæ diſtributa, pariter militem & damno & fame liberaverunt. Rex gratiam ſibi relatam à Syſimithre præfatus, ſex dierum cocta cibaria ferre milites juſſit. Sacas petens totam hanc regionem depopulatus, triginta millia pecorum ex præda Syſimithri dono dat. Inde pervenit in regionem, cui Cohortanus Satrapes nobilis præerat, qui ſe Regis poteſtati fideique permiſit. Ille imperio ei reddito, haud amplius, quam, ut duo ex tribus filiis ſecum militarent,

litarent, exegit. Satrapes etiam eo, qui penes ipſum relinquebatur, tradito, Barbara opulentia convivium, quo Regem accipiebat, inſtruxerat, Id cum multa comitate celebraret, introduci triginta nobiles virgines juſſit. Inter quas erat filia ipſius Roxane nomine, eximia corporis ſpecie, & decore habitus in Barbaris raro. Quæ, quanquam inter electas proceſſerat, omnium tamen oculos convertit in ſe, maxime Regis minus jam cupiditatibus ſuis imperantis inter obſequia fortunæ, contra quam non ſatis cauta mortalitas eſt. Itaque ille, qui uxorem Darii, qui duas filias virgines, quibus forma præter Roxanē comparari nulla poterat, haud alio animo quam parentis aſpexerat; tunc in amorem virgunculæ, ſi regiæ ſtirpi compararetur, ignobilis, ita effuſus eſt, ut diceret ad ſtabiliendum regnum pertinere, Perſas & Macedonas connubio jungi: hoc uno modo & pudorem victis, & ſuperbiam victoribus detrahi poſſe. Achillem quoque, à quo genus ipſe deduceret, cum captiva coiſſe. Ne inferri nefas arbitrarentur, ita matrimonii jure velle jungi. Inſperato gaudio lætus pater, ſermonem ejus excepit. Et Rex medio cupiditatis ardore juſſit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedonas ſanctiſſimum coëuntium pignus) quem diviſum gladio uterque libabat. Credo, eos qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe, jungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent. Hoc modo Rex Aſiæ & Europæ, introductam inter convivales ludos matrimonio ſibi adjunxit, è captiva geniturus qui victoribus imperaret. Pudebat amicos, ſuper vinum & epulas ſocerum ex deditis

eſſe

eſſe electum. Sed poſt Clyti cędem libertate ſublata, vultu, qui maxime ſervit, aſſentiebantur.

5 Cæterum Indiam, & inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo, quod deſtinata impedire poſſet, moveretur, ex omnibus provinciis triginta millia juniorum legi juſſit, & ad ſe armata perduci, obſides ſimul habiturus & milites. Craterum autem ad perſequendos Hauſtanem & Catenem, qui ab ipſo defecerant, miſit, quorum Hauſtanes captus eſt, Catenes in prœlio occiſus. Polypercon quoque regionem, quę Bubacene appellatur, in deditionem redegit. Itaque omnibus compoſitis, cogitationes in bellum Indicum vertit. Dives regio habebatur, non auro modo, ſed gemmis quoque margaritiſque ad luxum magis, quam ad magnificentiam exculta. Clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur. Itaque necubi vincerentur, cum cæteris præſtaret, ſcutis argenteas laminas, equis frænos aureos addidit; loricas quoque alias auro alias argento adornavit, CXX. millia armatorum erant, quæ Regem ad id bellum ſequebantur. Iamque omnibus præparatis, quod olim prava mente conceperat, tunc eſſe maturum, quonam modo cœleſtes honores uſurparet, cœpit agitare. Iovis filium non dici tantum ſe, ſed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare poſſet, ac linguis. Itaque more Perſarum Macedonas venerabundos ipſum ſalutare proſternentes humi corpora. Non deerat talia concupiſcenti pernicioſa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio quam hoſtis evertit. Nec Macedonum hæc erat culpa: nemo enim illorum quidquam ex patrio more labare ſuſtinuit: ſed

Græ-

Græcorum, qui profeſſionem honeſtarum artium malis corruperant moribus. Agis quidam Argivus peſſimorum carminum poſt Chœrilum conditor, & ex Sicilia Cleo: hic quidem, non ingenii ſolum, ſed etiam nationis vitio, adulator, & cætera urbium ſuarum purgamenta, quæ propinquis etiam, maximorumq; exercituum ducibus à Rege præferebantur: hi tum cœlum illi aperiebant, Herculemque & patrem Liberum, & cum Polluce Caſtorem novo numini ceſſuros eſſe jactabant. Igitur feſto die omni opulentia convivium exornari jubet, cui non Macedones modo, & Græci principes amicorum, ſed etiam nobiles adhiberentur. Cum quibus cum diſcubuiſſet Rex, pauliſper epulatus, convivio egreditur. Cleo, ſicut præparaverat, ſermonem cum admiratione laudum ejus inſtituit. Merita deinde percenſuit, quibus uno modo referri gratia poſſet, ſi quem intelligerent Deum eſſe, confiterentur, exigua thuris impenſa tanta beneficia penſaturi. Perſas quidem non pie ſolum, ſed etiam prudenter, Reges ſuos inter Deos colere: majeſtatem enim imperii, ſalutis eſſe tutelam. Ne Herculem quidem, & patrem Liberum, prius dicatos Deos, quam viciſſent ſecum viventium invidiam. Tantundem quoque poſteros credere, quantum præſens ætas ſpopondiſſet. Quod ſi cæteri dubitent, ſemetipſum, cum Rex iniſſet convivium, proſtraturum humi corpus. debere idem facere cæteros, & in primis ſapientia præditos. Ab illis enim cultus in Regem eſſe prodendum exemplum. Haud perplexe in Caliſthenem dirigebatur oratio. Gravitas viri & prompta libertas inviſa erat Regi, quaſi ſolus Macedonas paratos

ad tale

ad tale obſequium moraretur. Is tum, ſilenti facto, unum illum intuentibus cæteris, *Si Re* inquit, *ſermoni tuo affuiſſet, nullius profecto v reſponſuri tibi deſideraretur; Ipſe enim peteret, ne peregrinos ritus degenerare ſe cogeres, neu rebus fe ciſſime geſtis invidiam tali adulatione contraher. Sed quoniam abeſt, ego tibi pro illo reſpondeo. Nu lum eſſe eundem & diuturnum, & præcocem fr ctum: cæleſteſque honores, non dare te Regi, ſed a ferre. Intervallo enim opus eſt, ut credatur Deu ſemperque hanc gratiam magnis viris poſteri re dunt. Ego autem ſeram immortalitatem precor, R gi ut vita diuturna ſit, & æterna majeſtas. Hom nem conſequitur aliquando, nunquam comitatu divinitas. Herculem modo, & patrem Liberum, con ſecratæ immortalitatis exempla, referebas. Crediſ illos unius convivii decreto Deos factos? Prius a oculis mortalium amolita natura eſt, quam in cæ lum fama perveheret. Scilicet ego & tu, Cleo, Deo facimus? A nobis divinitatis ſuæ autoritatem ac cepturus eſt Rex? Potentiam tuam experiri libe. Fac aliquem Regem, ſi Deum potes facere. Faciliu eſt imperium dare, quam cælum. Dii propitii ſin invidia quæ Cleo dixit, audierint: eodemque curſu quo fluxere res, ire patiantur. Noſtris moribus velin nos eſſe contentos. Non pudet patriæ, nec deſidero, a quem modum Rex mihi colendus ſit, diſcere. Quo equidem victores eſſe confiteor, ſi ab illis leges, quei vivamus, accipimus.* Æquis auribus Caliſthenes, veluti vindex publicę libertatis, audiebatur. Expreſſerat non aſſentationem modo, ſed etiam vocem, ſeniorum præcipue, quibus gravis erat inveterati moris externa mutatio: nec quidquam eorum quæ invicem jactata erant, Rex ignorabat, cum poſt aulæa, quæ lectis obduxerat,

rat, ſtaret. Igitur ad Agim & Cleonem miſit, ut ſermone finito, Barbaros tantum, cum intraſſet, procumbere ſuo more paterentur. Et paulo poſt, quaſi potiora quædam egiſſet, convivium repetit. Quem venerantibus Perſis, Polypercon, qui cubabat ſuper Regem, unum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cœpit hortari, ut vehementius id quateret ad terram: elicuitq; iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaque Rex: *Tu autem,* inquit, *non veneraberis me? An tibi uni digni videmur eſſe ludibrio?* Ille nec Regem ludibrio, nec ſe cõtemptu dignum eſſe reſpondit. Tum detractum eum lecto Rex præcipitat in terram. Et cum is pronus corruiſſet, *Videſne,* inquit, *idem te feciſſe, quod in alio paulo ante videbas?* Et tradi eo in cuſtodiam juſſo, convivium ſolvit. Polyperconti quidem poſtea caſtigato diu, ignovit.

6. In Caliſthenem olim contumaciâ ſuſpectum, pervicacioris iræ fuit, cujus explendæ matura obvenit occaſio. Mos erat (ut ſupra dictum eſt) principibus Macedonum, adultos liberos Regibus tradere ad munia haud multum ſervilibus miniſteriis abhorrentia. Excubabant ſervatis noctium vicibus proximi foribus ejus ædis, in qua Rex acquieſcebat. Per hos pellices introducebantur alio aditu, quam quem armati obſidebant. Iidem acceptos ab agaſonibus equos, cum Rex aſcenſurus eſſet, admovebant, comitabanturq; & venantem, & in prœliis; omnibus artibus ſtudiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quod licebat ſedentibus veſci cum Rege. Caſtigandi verberibus eos nullius poteſtas præter ipſum erat.

Hæc

Hæc cohors velut ſeminarium ducum præfe-ctorumque apud Macedonas fuit. Hinc habue-re poſteri Reges, quorum ſtirpi per multas æta-tes Romani opes ademerunt. Igitur Hermo-laus, puer nobilis ex regia cohorte, cum aprum telo occupaſſet, quem Rex ferire deſtinaverat, juſſu ejus verberibus affectus eſt. Quam igno-miniam ægre ferens, deflere apud Soſtratum cœpit. Ex eadem cohorte erat Soſtratus amore ejus ardens: qui cum laceratum corpus, in quo deperibat, intueretur, forſitan olim ob aliam quoque cauſam Regi infeſtus, juvenem ſua ſponte jam motum, data fide acceptaque per-pulit, ut occidendi Regem conſilium ſecum ini-ret. Nec puerili impetu rem exſecuti ſunt: quippe ſolerter legerunt, quos in ſocietatem ſceleris aſciſcerent; Nicoſtratum, Antipa-trum, Aſclepiodorumque, placuit & Philo-tam aſſumi. Per hos adjecti ſunt Elaptonius & Epimenes. Cæterum agendæ rei haud ſane faci-lis patebat via. Opus erat eadem omnes con-juratos nocte excubare, ne ab expertibus con-ſilii impedirentur. forte autem alius alia nocte excubabat. Itaque in permutandis ſtationum vicibus, cæteroque apparatu exſequendæ rei, triginta & duo dies abſumpti ſunt. Aderat nox, qua conjurati excubare debebant, mutua fide læti, cujus documentum tot dies fuerant. Ne-minem metus ſpeſve mutaverat. Tanta omni-bus vel in Regem ira, vel fides inter ipſos fuit. Stabant igitur ad fores ædis ejus, in qua Rex veſcebatur, ut convivio egreſſum in cubiculum deducerent. Sed fortuna ipſius, ſimulque epu-lantium comitas, provexit omnes ad largius vinum. ludi etiam convivales extraxere tem-

pus:

pus: nunc lætis conjuratis, quod ſopitum aggreſſuri eſſent: nunc ſollicitis, ne in lucem convivium extraheretur. Quippe alios in ſtationem oportebat prima luce ſuccedere, ipſorum poſt ſeptem dies reditura vice. nec ſperare poterant, in illud tempus omnibus duraturam fidem. Cæterum, cum jam lux appeteret, & convivium ſolvitur, & conjurati exceperunt Regem; læti, occaſionem exſequendi ſceleris admotam, cum mulier attonitæ, ut creditum eſt, mentis, converſari in regia ſolita, quia inſtinctu videbatur futura prædicere, non occurrit modo abeunti, ſed etiam ſemet objecit, vultuque & oculis motum præferens animi, ut rediret in convivium monuit: & ille per ludum, Bene Deos ſuadere, reſpondit: revocatiſque amicis, in horam diei ferme ſecundam convivii tempus extraxit. Iam alii ex cohorte in ſtationem ſucceſſerant, ante cubiculi fores excubaturi. Adhuc tamen conjurati ſtabant, vice officii ſui expleta. Adeo pertinax ſpes eſt, quam humanæ mentes, quam ingentes concupiſcentiæ devoverunt. Rex benignius quam aliâs allocutus, diſcedere eos ad curanda corpora, quoniam tota nocte perſtitiſſent, jubet: data ſingulis quinquaginta ſeſtertia: collaudatique, quod etiam ab aliis tradita vice, tamen excubare perſeveraſſent. Illi tanta ſpe deſtituti domos abeunt, & cæteri quidem exſpectabant ſtationis ſuæ noctem. Epimenes, ſive comitate Regis, qua ipſum inter conjuratos exceperat, repente mutatus, ſive quia cœptis Deos obſtare credebat, fratri ſuo Eurylocho, quem antea expertem eſſe conſilii voluerat, quid pararetur, aperit. Omnibus Philotæ ſupplicium in oculis erat. Itaque pro-

protinus injicit fratri manum, & in regiam p...
venit: excitatiſque cuſtodibus corporis, ad ...
lutem Regis pertinere, quæ afferret, affirma...
& tempus, quo venerant, & vultus haud ſa...
ſecuri animi index, & mœſtitia è duobus al...
rius, Ptolemæum ac Leonatum excubantes ...
cubiculi limen excitaverunt. Itaque apertis f...
ribus, & lumine illato, ſopitum mero ac ſomn...
excitant Regem. Ille, paulatim mente collect...
quid afferrent, interrogat. Nec cunctatus E...
rylochus, non ex toto domum ſuam averſa...
Deos dixit, quia frater ipſius, quanquam im...
pium facinus auſus foret, tamen & pœnite...
tiam ejus ageret, & per ſe potiſſimum profit...
retur indicium, in eam ipſam noctem, qua d...
tegeret, inſidias comparatas fuiſſe. Autores ſc...
leſti conſilii eſſe, quos minime crederet Re...
Tum Epimenes cuncta ordine, conſciorumqu...
nomina exponit. Caliſthenem non ut partic...
pem facinoris nominatum eſſe conſtabat, ſe...
ſolitum puerorum ſermonibus vituperantiu...
criminantiumque Regem faciles aures præb...
re. Quidam adjiciunt, cum Hermolaus apu...
eum quoque verberatum ſe à Rege quereretu...
dixiſſe: Caliſthenem meminiſſe debere, eos jam...
viros eſſe. Idque an ad conſolandam patien...
tiam verberum, an ad incitandum juvenum...
dolorem dictum eſſet, in ambiguo fuiſſe. Re...
animi corporiſque ſopore diſcuſſo, cum tant...
periculi imago oculis oberraret; Eurylochum...
quinquaginta talentis, & cujuſdam Tyridati...
opulenti bonis donat protinus: fratremque...
antequam pro ſalute ejus precaretur, reſtituit...
Sceleris autem autores, interque eos Caliſthe-
nem, vinctos aſſervari jubet; quibus in regiam
adductis,

adductis, toto die & nocte proxima mero ac vigiliis gravis acquievit. Poſtero autem die, frequens concilium adhibuit, cui patres propinquique eorum, de quibus agebatur, intererant, ne de ſua quidem ſalute ſecuri: quippe Macedonum more perire debebant, omnium devotis capitibus, qui ſanguine contigiſſent eos. Rex introduci conjuratos, præter Caliſthenem, juſſit. atq; quæ agitaverant ſine cunctatione confeſſi ſunt. Increpantibus deinde univerſis eos: ipſe Rex, Quo ſuo merito tantum in ſemet cogitaſſent facinus, interrogat.

7. Stupentibus cæteris, Hermolaus, *Nos vero,* inquit, *quoniam quaſi neſcias quæris, occidendi te conſilium inivimus. quia non ut ingenuis imperare cœpiſti, ſed quaſi in mancipia dominaris.* Primus ex omnibus pater ipſius, Sopolis, parricidam etiam parentis ſui clamitans eſſe, conſurgit, & ad os manu objecta, ſcelere & malis inſanientem, ultra negat audiendum. Rex, inhibito patre, dicere Hermolaum jubet, quæ ex magiſtro didiciſſet Caliſthene. Et Hermolaus, *Vtor,* inquit, *beneficio tuo, & dico quæ noſtris malis didici. Quota pars Macedonum ſævitiæ tuæ ſupereſt? Quotus quiſque non è viliſſimo ſanguine? Attalus, & Philotas, & Parmenio, & Lynceſtes Alexander, & Clytus, quantum ad hoſtes pertinet, vivunt; ſtant in acie, te clypeis ſuis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria, vulnera accipiunt: quibus tu egregiam gratiam retuliſti. Alius menſam tuam ſanguine ſuo aſperſit. Alius ne ſimplici quidem morte defunctus eſt. Duces exercituum tuorum in equuleum impoſiti, Perſis, quos vicerant, fuere ſpectaculo. Parmenio, indicta cauſa, trucidatus eſt: per quem Attalum occideras. Invicem enim*

miſere-

miſerorum uteris manibus ad expetenda ſupplici. Et quos paulo ante miniſtros cædis habuiſti, ſubi ab aliis jubes trucidari. Obſtrepunt ſubinde cun ẽti Hermolao. Pater ſupremum ſtrinxerat fe rum, percuſſurus haud dubie, ni inhibitus eſſe à Rege, (quippe Hermolaum dicere juſſit) p tiitque, ut cauſas ſupplicii augentem, patient audirent. Ægre ergo coërcitis, rurſus Hermo laus. *Quam liberaliter,* inquit, *pueris rudibus a dicendum agere permittis! at Caliſthenis vox ca cere incluſa eſt, quia ſolus poteſt dicere. Cur enim non producitur, cum etiam confeſſi audiuntur Nempe quia liberam vocem innocentis audire m tuis, ac ne vultum quidem pateris. Atqui nih eum feciſſe contendo. Sunt hic qui mecum rem pu cherrimam cogitaverunt. Nemo eſt, qui conſcium fuiſſe nobis Caliſthenem dicat, cum morti olim de ſtinatus ſit à juſtiſſimo & patientiſſimo Rege. Hæ ergo ſunt Macedonum præmia, quorum ut ſuper vacuo & ſordido abuteris ſanguine. At tibi trigint millia mulorum captivum aurum vehunt, cum milites nihil domum præter gratuitas cicatrices re laturi ſint. Quæ tamen omnia tolerare potuimus antequam nos Barbaris dederes, & novo more vi ctores ſub jugum mitteres. Perſarum te veſtis & diſciplina delectat, patrios mores exoſus es. Perſarum ergo, non Macedonum Regem occidere voluimus: & te transfugam, belli jure, perſequimur. Tu Macedonas voluiſti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem averſaris, & ſi quis Deorum ante Iovem haberetur, faſtidires etiam Iovem. Miraris, ſi liberi homines ſuperbiam tuam ferre non poſſumus? Quid ſperamus ex te, quibus aut inſontibus moriendum eſt, aut, quod triſtius morte eſt, in ſervitute vivendum? Tu quidem,*

quidem, ſi emendari potes, multum mihi debes. Ex me enim ſcire cœpiſti, quid ingenui homines ferre non poſſunt. De cætero parce: quorum orbam ſenectutem ſuppliciis ne oneraveris. Nos jube duci, ut quod ex tua morte petieramus, conſequamur ex noſtra. Hæc Hermolaus.

8. At Rex, *Quam falſa ſint,* inquit, *quæ iſte tradita à magiſtro ſuo dixit, patientia mea oſtendet. Confeſſum enim ultimū facinus, tamen ut vos quoque, non ſolum ipſe, audiretis, expreſſi, non imprudens, cum permiſiſſem huic latroni dicere, uſurum eum rabie, qua compulſus eſt, ut me, quem parentis loco colere debet, vellet occidere. Nuper cum procacius ſe in venatione geſſiſſet, more patrio, & ab antiquiſſimis Macedoniæ Regum uſurpato, caſtigari eum juſſi. Hoc & oportet fieri, & ut à tutoribus pupilli, à maritis uxores, ſervis quoque pueros hujus ætatis verberare concedimus. Hæc eſt ſævitia in ipſum mea, quam impia cæde voluit ulciſci. Nam in cæteros, qui mihi permittunt uti ingenio meo, quam mitis ſim, non ignoratis, & commemorare ſupervacuum eſt. Hermolao parricidarum ſupplicia non probari, cum eadem ipſe meruerit, minime hercule admiror. Nam cum Parmenionem & Philotam laudat, ſuæ ſervit cauſæ. Lynceſtem vero Alexandrum bis inſidiatum capiti meo, à duobus judiciis liberavi. Rurſum convictum, per biennium tamen diſtuli, donec vos poſtularetis, ut tandem debito ſupplicio ſcelus lueret. Attalum, antequam Rex eſſem, hoſtem meo capiti fuiſſe meminiſtis. Clytus utinam non coëgiſſet me ſibi iraſci: cujus temerariam linguam probra dicentem mihi, & vobis, diutius tuli, quàm ille eadem me dicentem tuliſſet. Regum ducumq; clementia non in ipſorum modò, ſed etiam in illorum, qui parent, ingeniis ſita eſt.*

Obſequio mitigantur imperia. Ubi vero reverenti… exceſſit animis, & ſumma imis confundimus, … opus eſt ut vim repellamus. Sed quid ego mirer, iſtu… crudelitatem mihi objeciſſe, qui avaritiam expro… brare auſus ſit? Nolo ſingulos veſtrûm excitare, n… inviſam liberalitatem meam faciam, ſi pudori ve… ſtro gravem fecero. Totum exercitum aſpicite. qu… paulo ante nihil præter arma habebat, nunc argen… teis cubat lectis. Menſas auro onerant, greges ſervo… rum ducunt, ſpolia de hoſtibus ſuſtinere non poſ… ſunt. At enim Perſæ, quos vicimus, in magno ho… nore ſunt. Apud me quidem, moderationis meæ cer… tiſſimum indicium eſt, quod ne victis quidem ſu… perbe impero. Veni enim in Aſiam, non ut funditu… everterem gentes, nec ut dimidiam partem terra… rum ſolitudinem facerem: ſed ut illos quoque, quos bello ſubegiſſem, victoriæ meæ non pœniteret. Itaque militant vobiſcum, pro imperio veſtro ſanguinem fundunt, qui ſuperbe habiti rebellaſſent. Non eſt diuturna poſſeſſio, in quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia ſempiterna eſt. Si habere Aſiam, non tranſire volumus, cum his communicanda eſt noſtra clementia. horum fides ſtabile & æternum faciet imperium: & ſane plus habemus quam cupimus. Inſatiabilis autem avaritiæ eſt, adhuc implere velle, quod jam circumfluit. Veruntamen eorum mores in Macedonas transfundo. in multis enim gentibus eſſe video, quæ non erubeſcamus imitari; nec aliter tantum imperium apte regi poteſt, quam ut quædam & tradamus illis, & ab iiſdem diſcamus. Illud pene dignum riſu fuit, quod Hermolaus poſtulabat à me, ut averſarer Iovem, cujus oraculo agnoſcor. An etiam quid Dii reſpondeant in mea poteſtate eſt? Obtulit nomen filii mihi: recipere, ipſis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Utinam

nam Indi quoq; Deum eſſe me credant. Fama enim bella conſtant, & ſæpe etiam quod falſo creditum eſt, veri vicem obtinuit. An me luxuriæ indulgentem, putatis arma veſtra auro argentoque adornaſſe? Aſſuetis nihil vilius hac videri materia volui. Macedonas invictos cæteris, nec auro quidem vinci. Oculos ergo primum eorum ſordida omnia & humilia ſpectantium capiam: & docebo nos non auri aut argenti cupidos, ſed orbem terrarum ſubacturos veniſſe. quam gloriam tu parricida intercipere voluiſti, & Macedonas, Rege adempto, devictis gentibus dedere. At nunc mones me, ut veſtris parentibus parcam. Non oportebat quidem vos ſcire, quid de his ſtatuiſſem, quo triſtiores periretis, ſi qua vobis parentum memoria & cara eſt. Sed olim iſtum morem occidendi cum ſceleſtis inſontes propinquos parenteſque ſolvi: & profiteor in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. Nam tuum Caliſthenem, cui uni vir videris, quia latro es, ſcio cur produci velis, ut coram his probra, quæ modo in me jeciſti, modo audiſti, illius quoque ore referantur. Quem, ſi Macedo eſſet, tecum introduxiſſem, digniſſimum te diſcipulo magiſtrum. Nunc Olynthio non idem juris eſt. Poſt hæc concilium dimiſit, tradique damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erant, juſſit. Illi, ut fidem ſuam ſævitia Regi approbarent, excruciatos necaverunt. Caliſthenes quoque ante tortus interiit, initi conſilii in caput Regis innoxius: ſed haudquaquam aulę & aſſentantium accommodatus ingenio. Itaq; nullius cædes majorem apud Græcos Alexandro excitavit invidiam, quam quod præditum optimis moribus, artibuſque, à quo revocatus ad vitam erat, cum interfecto Clyto mori perſeveraret, non tantum occiderit, ſed

etiam torſerit, indicta quidem cauſa. Quam crudelitatem ſera pœnitentia conſecuta eſt.

9. Sed ne otium ſerendis rumoribus natum aleret, in Indiam movit, ſemper bello quam poſt victoriam clarior. India tota ferme ſpectat Orientem, minus in latitudinem, quam recta regione ſpatioſa. quæ Auſtrum accipiunt, in altius terræ faſtigium excedunt. Plana ſunt cætera, multiſque inclytis amnibus Caucaſo monte ortis, placidum per campos iter præbent. Indus gelidior eſt, quam cæteri. Aquas vehit à colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu maximus, à Meridiana regione decurrit, & magnorum montium juga recto alveo ſtringit. In eum objectæ rupes inclinant ad Orientem. Vterque Rubro mari accipitur findens ripas, multaſque arbores cum magna ſoli parte exſorbet. Saxis quoque impeditus, crebro reverberatur. Vbi mollius ſolum reperit, ſtagnat, inſulaſque molitur. Aceſines eum auget. Ganges decurſurum in mare intercipit: magnoque motu amnis uterque colliditur. Quippe Ganges aſperum os influenti objicit. nec repercuſſæ aquæ cedunt. Dyardenes minus celeber auditu eſt, quia per ultima Indiæ currit. Cæterum non crocodilos modo, uti Nilus, ſed etiam delphines, ignotaſque aliis gentibus belluas alit. Erimanthus crebris flexibus ſubinde curvatus, ab accolis rigantibus carpitur. Ea cauſa eſt, cur tenues reliquias jam ſine nomine in mare emittat. Multis præter hos amnibus tota regio dividitur, ſed ignobilibus, quia non adeo interfluunt. Cæterum quæ propiora ſunt mari, Aquilones maxime deurunt. Ii cohibiti jugis montium, ad interiora non penetrant.

ita

ita alendis frugibus mites. Sed adeo in illa plaga mundus ſtatas temporum vices mutat, ut cum alia fervore ſolis exæſtuant, Indiam nives obruant: rurſuſque ubi cætera rigent, illic intolerandus æſtus exiſtat: nec cur, ulli ſe naturæ cauſa ingeſſit. Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro Rege inditum eſt nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt. Terra lini ferax: inde pleriſque ſunt veſtes. Libri arborum teneri, haud ſecus quam ceræ, literarũ notas capiunt. Aves ad imitandum humanæ vocis ſonum dociles ſunt: animalia inuſitata cæteris gentibus niſi invecta. Eadem terra & rhinocerotas alit; non generat. Elephantorũ major eſt vis, quam quos in Africa domitant. Et viribus magnitudo reſpondet. Aurum flumina vehunt, quæ leni modicoq; lapſu ſegnes aquas ducunt. Gemmas margaritaſque mare littoribus infundit. Neque alia illis major opulentiæ cauſa eſt; utique poſtquam vitiorum commercium vulgavere in exteras gentes; quippe æſtimantur purgamenta æſtuantis freti pretio, quod libido conſtituit. Ingenia hominum, ſicut ubique, apud illos locorum quoque ſitus format. Corpora uſque pedes carbaſo velant. Soleis pedes, capita linteis vinciunt. Lapilli ex auribus pendent: brachia quoque, & lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt ſæpius quam tondent. Mentum ſemper intonſum eſt. Reliquam oris cutem ad levitatem exæquant. Regum tamen luxuria, quam ipſi magnificentiam appellant, ſupra omnium gentium vitia. Cum Rex ſe in publico cõſpici patitur, thuribula argentea

miniſtri ferunt, totumque iter, per quod ferr deſtinavit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat. Diſtincta ſunt auro & purpura carbaſa, quæ indutus eſt: lecticam ſequuntur armati corporiſque cuſtodes. Inter quos ramis aves pendent, quas cantu ſeriis rebus obſtrepere docuerunt. Regia auratas columnas habet, totas eas vitis auro cælata percurrit, aviumque, quarum viſu maxime gaudent, argenteæ effigies opera diſtinguunt. Regia adeuntibus patet. Cum capillum pectit atque ornat, tunc reſponſa legationibus, tunc jura popularibus reddit. Demptis ſoleis, odoribus illinuntur pedes. Venatus maximus labor eſt, incluſa vivario animalia inter vota cantuſque pellicum figere. Binûm cubitorum ſagittæ ſunt, quas emittunt majore nixu quam effectu: quippe telum, cujus in levitate vis omnis eſt, inhabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit. Longior ubi expeditio eſt, elephanti vehunt currum, & tantarum belluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus deſit, lecticis aureis pellicum longus ordo ſequitur. Separatum à Reginæ ordine agmen eſt, æquatque luxuria. Fœminæ epulas parant. Ab iiſdem vinum miniſtratur, cujus omnibus Indis largus eſt uſus. Regem mero ſomnoq; ſopitum, in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium invocantes Deos. Quis credat inter hæc vitia curam eſſe ſapientiæ? Vnum agreſte & horridum genus eſt, quos Sapientes vocant. Apud hos occupare fati diem, pulchrum; & vivos ſe cremari jubent. Quibus aut ſegnis ætas, aut incommoda valetudo eſt, exſpectatam mortem pro dedecore

decore vitæ habent. Nec ullus corporibus, quæ ſenectus ſolvit, honos redditur. Inquinari putant ignem, niſi qui ſpirantes recipit. Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, ſiderum motus ſcite ſpectare dicuntur, & futura prædicere. Nec quenquam admovere lethi diem credunt, cui exſpectare interrite liceat. Deos putant, quidquid colere cœperunt: arbores maxime, quas violare capitale eſt. Menſes in quinos denos deſcripſerunt dies. Anni plena ſpatia ſervant. Lunæ curſu notant tempora, non ut plerique, cum orbem ſidus implevit, ſed cum ſe curvare cœpit in cornua: & idcirco breviores habent menſes, qui ſpatium eorum ad hunc Lunæ modum dirigunt. Multa & alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud ſane operæ pretium videbatur.

10 Igitur Alexandro fines Indiæ ingreſſo, gentium ſuarum Reguli occurrerunt, imperata facturi: illum tertium Iove genitum ad ipſos perveniſſe memorantes. Patrem Liberum, atq; Herculem, fama cognitos eſſe: ipſum coram adeſſe, cernique. Rex benigne exceptos ſequi juſſit, iiſdem itinerum ducibus uſurus. Cęterum cum amplius nemo occurreret, Hephæſtionem & Perdiccam cum copiarum parte præmiſit, ad ſubigendos, qui averſarentur imperium: juſſitque ad flumen Indum procedere, & navigia facere, queis in ulteriora tranſportari poſſet exercitus. Illi, quia plura flumina ſuperãda erant, ſic junxere naves, ut ſolutæ plauſtris vehi poſſent, rurſuſque conjungi. Poſt ſe Cratero cum phalange juſſo ſequi, equitatum ac levem armaturam eduxit, eoſque, qui occurrerant, levi prœlio in urbem proximam compulit. Iam ſu-

pervenerat Craterus. Itaque ut principio terrc rem incuteret genti, nondum arma Macedc num expertæ, præcipit ne cui parceretur, mu nimentis urbis, quam obſidebat, incenſis. Cæte rum dum obequitabat mœnibus, ſagitta ictu eſt. Cepit tamen oppidum, & omnibus incoli ejus trucidatis, etiam in tecta ſævitum eſt. Ind domita ignobili gente, ad Nyſam urbem pervenit. Forte caſtris ante mœnia ipſa in ſylveſtr loco poſitis, nocturnum frigus vehementius quam alias horrore corpora affecit, opportunumque remedium ignis oblatum eſt. Cæſis quippe ſylvis flammam excitaverunt: quæ igni alita, oppidanorum ſepulchra comprehendit. Vetuſta cedro facta erant, conceptumq; ignem late fudere, donec omnia ſolo æquata ſunt. Et ex urbe primum canum latratus, deinde etiam hominum fremitus auditus eſt. Tum & oppidani hoſtem, & Macedonas ipſos ad urbem veniſſe cognoſcunt. Iamque Rex eduxerat copias, & mœnia obſidebat, cum hoſtium, qui diſcrimen tentaverant, obruti telis ſunt. Aliis ergo deditionem, aliis pugnam experiri placebat: quorum dubitatione comperta, circumſideri tantum eos, & abſtineri cædibus juſſit. Tandemque obſidionis malis fatigati dedidere ſe. A Libero patre conditos ſe eſſe dicebant, & vera hæc origo erat. Sita eſt ſub radicibus montis, quem Meron incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxere licentiam, Iovis ſemine Liberum patrem eſſe celatum. Rex ſitu montis cognito ex incolis, cum toto exercitu, præmiſſis commeatibus, verticem ejus aſcendit. Multa hedera vitiſque toto gignitur monte. Multæ perennes aquæ manant. Pomorum quoque varii

rii ſalubreſque ſucci ſunt, ſua ſponte fortuitorum ſeminum fruges humo nutriente. Lauri, baccæque, & multa in illis rupibus agreſtis eſt ſylva. Credo equidem non divino inſtinctu, ſed laſcivia eſſe provectos, ut paſſim hederæ ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore ſimiles bacchantibus vagarentur. Vocibus ergo tot millium præſidem nemoris ejus Deum adorantium, juga montis colleſque reſonabant, cum orta licentia à paucis (ut fere fit) in omnes ſe repente vulgaſſet. Quippe velut in media pace, per herbas congeſtamque frondem, proſtraverant corpora. Et Rex fortuitam licentiam non averſatus, large ad epulas omnibus præbitis, per decem dies Libero patri operatum habuit exercitum. Quis neget eximiam quoque gloriam ſæpius fortunæ quam virtutis eſſe beneficium? quippe, ne epulantes quidem & ſopitos mero, aggredi auſus eſt hoſtis; haud ſecus bacchantium ululantiumq; fremitu perterritus, quam ſi prœliantium clamor eſſet auditus. Eadem felicitas ab Oceano revertentes temulentos comeſſanteſque protexit. Hinc ad regionem, quæ Dædala vocatur, perventum eſt. Deſeruerant incolæ ſedes, & in avios ſylveſtreſque montes confugerant. Ergo Acadera tranſit, æque uſta & deſtituta incolentium fuga. Itaque rationem belli neceſſitas mutavit. Diviſis enim copiis, pluribus ſimul locis arma oſtendit: oppreſſique & qui exſpectaverant hoſtem, omni clade perdomiti ſunt. Ptolemæus plurimas urbes, Alexander maximas cepit: rurſuſque quas diſtribuerat copias junxit. Superato deinde Choaſpe amne, Cœnon in obſidione urbis opulentæ (Beziram incolæ vocant) reli-

quit. Ipſe ad Mazagas venit, nuper Aſſacan (cujus regnum fuerat) demortuo. Regio quoque urbique præerat mater ejus Cleophe: Triginta millia peditum tuebantur urbem, no ſitu ſolum, ſed etiam opere munitam. Nam qu ſpectat Orientem, cingitur amne torrenti, q præruptis utrinque rupibus aditum ad urbem impedit. Ab Occidente & à Meridie, velut de induſtria, rupes præaltas admolita natura eſt infra quas cavernæ & voragines longa vetu ſtate in altum cavatæ jacent; quaque deſinunt foſſa ingentis operis objecta eſt. Triginta quin que ſtadia murus urbem complectitur, cuju inferiora ſaxo, ſuperiora crudo latere ſunt ſtructa. Lateri vinculum lapides ſunt, quos interpoſuere, ut duriori materiæ fragilis incumberet: ſimulque terra humore diluta, ne tamen universa conſideret, interpoſitæ erant trabes validæ, quibus injecta tabulata muros & tegebant & pervios fecerant. Hæc munimenta contemplantem Alexandrum, conſiliique incertum (quia nec cavernas, niſi aggere, poterat implere, nec tormenta aliter muris admovere) quidam è muro ſagitta percuſſit. Tum forte in ſuram incidit telum, cujus ſpiculo evulſo admoveri equum juſſit: quo vectus, ne obligato quidem vulnere, haud ſegnius deſtinata exſequebatur. Cæterùm cum crus ſaucium penderet, & cruore ſiccato frigeſcens vulnus aggravaret dolorem, dixiſſe fertur: Se quidem Iovis filium dici, ſed corporis ægri vitia ſentire. Non tamen ante ſe recepit in caſtra, quam cuncta proſpexit, & quæ fieri vellet, edixit. Ergo ſicut imperatum erat, alii extra urbem tecta demoliebantur, ingentemque vim materiæ faciendo aggeri detrahe-

trahebant: alii magnarum arborum ſtipites cumulis, ac moles ſaxorum in cavernas deiiciebant. Iamque agger æquaverat ſummæ faſtigium terræ. Itaque turres erigebantur, quæ opera ingenti militum ardore intra nonum diem abſoluta ſunt. Ad ea viſenda Rex, nondum obducta vulneri cicatrice, proceſſit: laudatiſque militibus, admoveri machinas juſſit, è quibus ingens vis telorum in propugnatores effuſa eſt. præcipue rudes talium operum terrebant mobiles turres: tantaſq; moles nulla ope, quæ cerneretur, adjutas, Deorum numine agi credebant. Pila quoq; muralia, & excuſſas tormentis prægraves haſtas, negabant convenire mortalibus. Itaque deſperata urbis tutela, conceſſere in arcem. Inde, quia nihil obſeſſis præter deditionem placebat, legati ad Regem deſcenderunt, veniam petituri. Qua impetrata, Regina cum magno nobilium fœminarum grege aureis pateris vina libantium, proceſſit. Ipſa genibus Regis parvo filio admoto, non veniam modo, ſed etiam priſtinæ fortunæ impetravit decus: quippe appellata eſt Regina, & credidere quidam, plus formæ quam miſerationi datum. Puero quoque certe poſtea ex ea utcunque genito, Alexandro fuit nomen.

11 Hinc Polypercon ad urbem Noram cum exercitu miſſus, inconditos oppidanos prœlio vicit: intra munimenta compulſos ſecutus, urbem in deditionem redegit. Multa ignobilia oppida deſerta à ſuis venere in Regis poteſtatem. Quorum incolæ armati, petram Aornum nomine occupaverunt. Hanc ab Hercule fruſtra obſeſſam eſſe, terræque motu coactum abſiſtere, fama vulgaverat. Inopem conſilii Alexandrum,

drum, quia undique præceps & abrupta rupe
erat, ſenior quidam peritus locorum cum duo
bus filiis adiit, ſi pretium operi eſſet, aditum ſ
monſtraturum eſſe promittens. Octoginta ta
lenta conſtituit daturum Alexander, & alterc
ex juvenib⁹ obſide retento, ipſum ad exſequen
da, quæ obtulerat, dimiſit. Leviter armatis du
datus eſt Mullinus ſcriba Regis. Hos enim cir
cuitu, qui fallerent hoſtem, in ſummum jugun
placebat evadere. Petra non ut pleræque mo
dicis ac mollibus clivis in ſublime faſtigium cre
ſcit, ſed in metæ maxime modum erecta eſt
cujus ima ſpatioſiora ſunt, altiora in arctiu
coëunt, ſumma in acutum cacumen exſurgunt
Radices ejus Indus amnis ſubit, præaltus utrin
que aſperis ripis. Ab altera parte, voragines elu
vieſque præruptæ ſunt; nec alia expugnand
patebat via, quam ut replerentur. Ad manum
ſylva erat, quam Rex ita cædi juſſit, ut nudi ſti-
pites jacerentur: quippe rami fronde veſtiti im-
pediſſent ferentes. Ipſe primus truncam arbo-
rem jecit, clamorque exercitus index alacritatis
ſecutus eſt, nullo detrectante munus, quod Rex
occupaſſet. Intra ſeptimum diem cavernas ex-
pleverant, cum Rex Sagittarios & Agrianos ju-
bet per ardua niti. Iuveneſque fortiſſimos ex
ſua cohorte triginta delegit. Duces his dati
ſunt Charus & Alexander, quem Rex nominis,
quod ſibi cum eo commune eſſet, admonuit.
Ac primo, quia tam manifeſtum periculum
erat, ipſum Regem diſcrimen ſubire non pla-
cuit. Sed ut ſignum tuba datum eſt, vir auda-
ciæ promptæ, converſus ad corporis cuſtodes,
ſequi ſe jubet, primuſque invadit in rupem. Nec
deinde quiſquam Macedonum ſubſtitit, relictiſ-
que

que ſtationibus ſua ſponte Regem ſequebantur. Multorum miſerabilis fuit caſus, quos ex præ-rupta rupe lapſos amnis præterfluens hauſit. Triſte ſpectaculum etiam non periclitantibus. Cum vero alieno exitio, quid ipſis timendum foret, admonerentur, in metum miſericordia verſa, non extinctos, ſed ſemetipſos deflebant. Et jam eo perventum erat, unde ſine pernicie, niſi victores redire non poſſent; ingentia ſaxa in ſubeuntes provolventibus Barbaris. qui per-culſi, inſtabili & lubrico gradu præcipites reci-debant. Evaſerant tamen Alexander & Charus, quos cum triginta delectis præmiſerat Rex, & jam pugnare cominus cœperant. Sed cum ſu-perne tela Barbari ingererent, ſæpius ipſi ferie-bantur quam vulnerabant. Ergo Alexander & nominis ſui, & promiſſi memor, dum acrius quam cautius dimicat, confoſſus undique ob-ruitur. Quem ut Charus jacentem reſpexit, rue-re in hoſtem, omnium præter ultionem imme-mor, cœpit: multoſque haſta, quoſdam gladio interemit. Sed cum tot unum inceſſerent ma-nus, ſuper amici corpus procubuit exanimis. Haud ſecus quam par erat promptiſſimorum juvenum cæterorumq; militum interitu com-motus Rex, ſignum receptui dedit. Saluti fuit, quod ſenſim & intrepidi ſe receperunt. Et Bar-bari hoſtem depuliſſe contenti, non inſtitere cedentibus. Cæterum Alexander cum ſtatuiſ-ſet deſiſtere incœpto: quippe nulla ſpes potiun-dæ petræ offerebatur, tamen ſpeciem oſtendit in obſidione perſeverantis. Nam & itinera ob-ſideri juſſit, & turres admoveri, & fatigatis alios ſuccedere. Cujus pertinacia cognita, Indi per biduum quidem, ac duas noctes, cum oſtenta-

tione

tione non fiduciæ modo, ſed etiam victoriæ epulati ſunt, tympana ſuo more pulſantes. Tertia vero nocte tympanorum quidem ſtrepitu deſierat audiri: cæterum ex tota petra faces refulgebant, quas accenderant Barbari, ut tutior eſſet ipſis fuga obſcura nocte per invia ſaxa curſuris. Rex, Balacro qui ſpecularetur præmiſſo, cognoſcit petram fuga Indorum eſſe deſertam. Tum dato ſigno ut univerſi conclamarent, incompoſite fugientibus metum incuſſit, multique (tanquam adeſſet hoſtis) per lubrica ſaxa, perque invias cotes præcipitati occiderunt. Plures aliqua membrorum parte mulctati, ab integris deſerti ſunt. Rex locorum magis quam hoſtium victor, tamen magnæ victoriæ ſacrificiis & cultu Deûm ſatisfecit. Aræ in petra locatæ ſunt Minervæ Victoriæque. Ducibus itineris, quos ſubire juſſerat leviter armatos, etſi promiſſis minora præſtiterant, pretium cum fide redditum eſt.

12 Petræ, regioniſque ei adjunctæ, Siſocoſto tutela permiſſa. Inde proceſſit Ecbolima: & cum anguſtias itineris obſideri viginti millibus armatorum ab Eryce quodam comperiſſet, gravius agmen exercitus Cœno ducendum modicis itineribus tradidit. Ipſe prægreſſus cum funditore ac ſagittario, deturbatis qui obſederant ſaltum, ſequentibus ſe copiis viam fecit. Indi, ſive odio ducis, ſive gratiam victoris Regis inituri, Erycem fugientem adorti interemerunt, caputque ejus atque arma ad Alexandrum detulerunt. Ille, facto impunitatem dedit: honorem denegavit exemplo. Hinc ad flumen Indum ſextisdecimis caſtris pervenit, omniaque (ut præceperat) ad traiiciendum præparata ab Hephæ-

Hephæſtione reperit. Regnabat in ea regione Omphis, qui patri quoque fuerat autor dedendi regnum Alexandro. Et poſt mortem parentis legatos miſerat, qui conſulerent eum, regnare ſe interim vellet, an privatum opperiri ejus adventum? Permiſſoque ut regnaret, non tamen jus datum uſurpare ſuſtinuit. Is benigne quidem exceperat Hephæſtionem, gratuitum frumentum copiis ejus admenſus: non tamen ei occurrerat, ne fidem ullius, niſi Regis, experiretur. Itaque venienti obviam cum armato exercitu egreſſus eſt. Elephanti quoque per modica intervalla militum agmini immixti, procul caſtellorum fecerant ſpeciem. Ac primo Alexander, non ſocium, ſed hoſtem adventare credebat. Iamque & ipſe, arma milites capere, & equites diſcedere in cornua juſſerat, paratos ad pugnam. At Indus, cognito Macedonum errore, juſſis ſubſiſtere cæteris, ipſe concitat equum, quo vehebatur. Idem Alexander quoque fecit: ſive hoſtis, ſive amicus occurreret, vel ſua virtute, vel illius fide tutus, coivere, quod ex utriuſque vultu poſſet intelligi, amicis animis: cæterum ſine interprete non poterat conſeri ſermo. Itaque adhibito eo, Barbarus, occurriſſe ſe dixit cum exercitu, totas imperii vires protinus traditurum, nec exſpectaſſe, dum per nuntios daretur fides. Corpus ſuum & regnum permittere illi, quem ſciret gloriæ militantem, nihil magis quam famam timere perfidię. Lętus ſimplicitate Barbari Rex, & dextram fidei ſuæ pignus dedit, & regnum reſtituit. LVI. elephanti erant, quos tradidit Alexandro, multaque pecora eximiæ magnitudinis. Tauros ad tria millia, pretioſum in ea regione, acceptumque animis

mis regnantium armentum. Quęrenti Alexan-dro, plures agricultores haberet, an milites? cum duobus Regibus bellanti ſibi, majore militum quam agreſtium manu opus eſſe, reſpondit. Abiſares & Porus erant. Sed in Poro eminebat autoritas. Vterque ultra Hydaſpen amnem regnabat, & belli fortunam, quiſquis arma inferret, experiri decreverat. Omphis, permittente Alexandro, & regium inſigne ſumpſit, & more gentis ſuæ nomen, quod patri fuerat: Taxilem appellavere populares, ſequente nomine imperium, in quemcunque tranſiret. Ergo cum per triduum hoſpitaliter Alexandrum accepiſſet, quarto die, & quantum frumenti copiis, quas Hephæſtion duxerat, præbitum à ſe eſſet, oſtendit: & aureas corona ipſi, amiciſque omnibus, præter hæc ſignati argenti octoginta talenta dono dedit. Qua benignitate ejus Alexander mire lætus, & quæ is dederat, remiſit, & mille talenta ex præda, quam vehebat, adjecit: multaque convivalia ex auro & argento vaſa, plurimum Perſicæ veſtis, triginta equos ex ſuis cum iiſdem inſignibus queis aſſueverant, cum ipſum veherent. Quæ liberalitas, ſicut Barbarum adſtrinxerat, ita amicos ipſius vehementer offendit. E quibus Meleager ſuper cœnam largiore vino uſus, gratulari ſe Alexandro dixit, quod ſaltem in India reperiſſet dignum talentis mille. Rex haud oblitus, quam ægre tuliſſet, quod Clytum ob linguæ temeritatem occidiſſet, iram quidem tenuit, ſed dixit, Invidos homines nihil aliud quam ipſorum eſſe tormenta.

13 Poſtero die legati Abaſarę adiere Regem. omnia ditioni ejus, ita ut mandatum erat, permitte-

mittebant, firmataque invicem fide remittuntur ad Regem. Porum quoque nominis ſui fama ratus ad deditionem poſſe compelli, miſit ad eum Cleocharem, qui denuntiaret ei, ut ſtipendium penderet,& in primo finium ſuorum aditu occurreret Regi. Porus alterum ex his factuгum ſeſe reſpondit, ut intranti regnũ ſuum præſto eſſet, ſed armatus. Iam Hydaſpen Alexander ſuperare decreverat,cum Barzentes defectionis Arachoſiis author, vinctus, trigintaque elephanti ſimul capti perducuntur, oportunum adverſus Indos auxilium. quippe plus in belluis quam in exercitu ſpei aut virium illis erat: Gamaxuſque Rex exiguę partis Indorum, qui Barzenti ſe conjunxerat, vinctus adductus eſt. Igitur transfuga & Regulo in cuſtodiam, elephantis autem Taxili traditis,ad amnem Hydaſpen pervenit. In cujus ulteriore ripa Porus conſederat, tranſitu prohibiturus hoſtem. LXXXV elephantos objecerat eximio corporũ robore, ultraque eos currus CCC. & peditum XXX fere millia: in queis erant ſagittarii (ſicut ante dictum eſt) gravioribus telis,quam ut apte excuti poſſent.Ipſum vehebat elephantus ſuper cæteras belluas eminens. armaque auro & argento diſtincta, corpus raræ magnitudinis honeſtabãt. Par animus robori corporis,& quanta inter rudes poterat eſſe ſapientia. Macedonas, non conſpectus hoſtium ſolum, ſed etiam fluminis, quod tranſeundum erat, magnitudo deterrebat. Quatuor in latitudinem ſtadia diffuſum profundo alveo & nuſquam vada aperiente,ſpeciem vaſti maris fecerat. Nec pro ſpatio aquarum late ſtagnantium impetum coërcebat,ſed quaſi in arctum coëuntibus ripis,torrens

rens & eliſus ferebatur, occultaque ſaxa ineſ oſtendebant pluribus locis undæ repercuſſa. Terribilior erat facies ripæ, quam equi viriq compleverant. Stabant ingentes vaſtorum co porum moles, & de induſtria irritatæ horrei do ſtridore aures fatigabant. Hinc hoſtis, hin amnis, capacia quidem bonæ ſpei pectora, & ſæpe ſe experta, improviſo tamen pavore pe cuſſerant. quippe inſtabiles rates, nec dirigi a ripam, nec tuto applicari poſſe credebât. Eran in medio amne inſulę crebræ, in quas & Indi & Macedones nantes, levatis ſuper capita armi tranſibant. Ibi levia prœlia conſerebantur, & uterque Rex parvæ rei diſcrimine, ſummæ ex periebatur eventum. Cęterum in Macedonun exercitu temeritate atq; audacia inſignes fuer Symmachus & Nicanor, nobiles juvenes, & perpetua partium felicitate ad ſpernendum o mne periculum accenſi. Queis ducibus prom ptiſſimi juvenum lanceis modo armati trana vere in inſulam, quam frequens hoſtis tenebat multoſque Indorum nulla re magis quam au dacia armati interemerunt. Abire cum gloria poterant, ſi unquam temeritas felix invenire modum. Sed dum ſupervenientes contemptim & ſuperbe quoque exſpectant, circumventi ab his qui occulti enataverant, eminus obruti telis ſunt. Qui effugerant hoſtem, aut impetu amnis ablati ſunt, aut vorticibus impliciti. Eaque pugna multam fiduciam Pori erexit, cuncta cernentis è ripa. Alexander inops conſilii, tandem ad fallendum hoſtem talem dolum intendit. Erat inſula in flumine amplior cæteris, ſylveſtris eadem, & tegendis inſidiis apta. Foſſa quoque præalta haud procul à ripa, quam tenebat ipſe,

ipſe, non pedites modo, ſed etiam cum equis viros poterat abſcondere. Vt igitur à cuſtodia hujus opportunitatis oculos hoſtium averteret, Ptolemæum cum omnibus turmis obequitare juſſit procul inſula, & ſubinde Indos clamore terrere, quaſi flumen tranaturus foret. Per complures dies Ptolemæus id fecit, eoque conſilio Porum agmenque ſuum ei parti, quam ſe petere ſimulabat, coëgit advertere. Iam extra conſpectum hoſtis inſula erat. Alexander in diverſa parte ripæ ſtatui ſuum tabernaculum juſſit, aſſuetamq; comitari ipſum cohortem, ante id tabernaculum ſtare, & omnem apparatum regię magnificentię hoſtium oculis de induſtria oſtendit. Attalum, etiam æqualem ſibi, & haud diſparem habitu oris & corporis, utique cum procul viſeretur, veſte regia exornat, præbiturum ſpeciem ipſum Regem illi ripæ præſidere, nec agitare de tranſitu. Hujus conſilii effectum primo morata tempeſtas eſt, mox adjuvit; incommoda quoque ad bonos eventus vertente fortuna. Trajicere amnem cum cæteris copiis in regionem inſulæ (de qua ante dictum eſt) parabat. averſo hoſte in eos, qui cum Ptolemęo inferiorem obſederant ripam, cum procella imbrem vix ſub tectis tolerabilem effudit, obrutique milites nymbo, in terram refugerunt, navigiis ratibuſque deſertis. Sed tumultuantium fremitus, obſtrepentibus ripis, ab hoſte non poterat audiri. Deinde momento temporis repreſſus eſt imber. Cæterum adeo ſpiſſæ intendere ſe nubes, ut conderent lucem, vixque colloquētium inter ipſos facies noſcitaretur. Terruiſſet alium obducta nox cœlo, cum ignoto amne navigandum eſſet, forſitan hoſte eam ipſam

ipſam ripam quam cœci atque improvidi, & d
periculo gloriam accerſentes petebant, occ
pante: obſcuritatem, quæ cæteros terreba
ſuam occaſionem ratus, dato ſigno ut omn
ſilentio aſcenderent in rates, eam, qua ipſe v
hebatur, primam juſſit expelli. Vacua erat a
hoſtibus ripa, quæ petebatur: quippe adhuc Po
rus Ptolemæum tantum intuebatur. Vna erg
navi, quam petræ fluctus illiſerat, hærente, ca
teræ evadunt: armaque capere milites, & ire i
ordinem juſſit.

14. Iamque agmen in cornua diviſum ip
ducebat, cum Poro nuntiatur, armis viriſqu
ripam obtineri, & rerum adeſſe diſcrimen. A
primo humani ingenii vitio ſpei ſuę indulgen
Abiſarem belli ſocium, & ita convenerat, ac
ventare credebat. Mox liquidiore luce aperien
te hoſtem, centum quadrigas & quatuor mil
lia equitum venienti agmini Porus objecit. Du
erat copiarum, quas præmiſit, Hages frate
ipſius. Summa virium in curribus. ſenos viro
ſinguli vehebant, duos clypeatos, duos ſagitta
rios ab utroque latere diſpoſitos, cæteri auriga
erant haud ſane inermes: quippe jacula com-
plura, ubi cominus prœliandum erat, omiſſi
habenis, in hoſtem ingerebant. Cæterum vix
ullus uſus hujus auxilii eo die fuit. Namque (ut
ſupra dictum eſt) imber violentius quam alias
fuſus, campos lubricos & inequitabiles fecerat:
graveſque & propemodum immobiles currus
illuvie & voraginibus hærebant. Contra Ale-
xander, expedito ac levi agmine ſtrenue inve-
ctus eſt. Scythæ & Dahæ primi omnium inva-
ſere Indos. Perdiccam deinde cum equitibus in
dextrum cornu hoſtium emiſit. Iam undique
pugna

pugna ſe moverat, cum ii, qui currus agebant, illud ultimum auxilium ſuorum rati, effuſis habenis in medium diſcrimen ruere cœperunt. Anceps id malum utriſque erat. Nam & Macedonum pedites primo impetu obterebantur, & per lubrica atque invia immiſſi currus excutiebant eos à quibus regebantur. Aliorum turbati equi non in voragines modo lacunaſque, ſed etiam in amnem præcipitavere curricula. Pauci tamen hoſtium tenus exacti penetravere ad Porum, acerrime pugnam cientem. Is ut diſſipatos tota acie currus vagari ſine rectoribus vidit, proximis amicorum diſtribuit elephantos. Poſt eos poſuerat pedites, ac ſagittarios tympana pulſare ſolitos. Id pro cantu tubarum Indis erat. nec ſtrepitu eorum movebantur; olim ad notum ſonum auribus mitigatis. Herculis ſimulachrum agmini peditum præferebatur. id maximum erat bellantibus incitamentum: & deſeruiſſe geſtantes militare, flagitium habebatur. Capitis enim ſanxerant pœnam iis, qui ex acie non retuliſſent; metu, quem ex illo hoſte quondam conceperant, etiam in religionem venerationemque converſo. Macedonas non belluarum modo, ſed etiam ipſius Regis aſpectus parumper inhibuit. Belluæ diſpoſitæ inter armatos, ſpeciem turrium procul fecerant. Ipſe Porus humanæ magnitudinis propemodum exceſſerat formam. magnitudini adjicere videbatur bellua, qua vehebatur, tantum inter cæteras eminens, quantum aliis ipſe præſtabat. Itaque Alexander contemplatus & Regem, & agmen Indorum, *Tandem*, inquit, *par animo meo periculum video. Cum beſtiis ſimul & cum egregiis viris res eſt.* Intuenſque Cœnum:

num: *Cum ego,* inquit, *Ptolemæo, Perdiccaq*
& Hephæſtione comitatus, in lævum hoſtium corn
impetum fecero, viderisque me in medio ardore ce
taminis, ipſe dextrum move, & turbatis ſigna infe
Tu, Antigone, & tu, Leonate, & Tauron, inveh
mini non in mediam aciem, ſed urgebitis fronten
Haſtæ noſtræ prælongæ & validæ, non alias mag
quam adverſus belluas rectoreſque earum uſui eſ
poterunt. Deturbate eos, qui vehuntur, & ipſas con
fodite. Anceps genus auxilii eſt, & in ſuos acri
furit. In hoſtem enim imperio, in ſuos pavore agitu
Hæc elocutus, concitat equum primus. Ian
que (ut deſtinatum erat) invaſerat ordines ho
ſtium, cum Cœnus ingenti vi in lævum corn
invehitur. Phalanx quoque in mediam Indo
rum aciem uno impetu prorupit. At Porus qu
equitem invehi ſenſerat, belluas agi juſſit. Se
tardum, & pene immobile animal, equorum
velocitatem æquare non poterat. Nec ſagitta-
rum quidem ullus erat Barbaris uſus. Quippe
longas & prægraves, niſi prius in terra ſtatue-
rent arcum, haud ſatis apte & commode im-
ponunt: tum humo lubrica & ob id impedien-
te conatum, molientes ictus, celeritate ho-
ſtium occupabantur. Ergo ſpreto Regis impe-
rio (quod fere fit, ubi turbatis acrius metus
quam dux imperare cœpit) totidem erant im-
peratores, quot agmina errabant. Alius junge-
re aciem, alius dividere; ſtare quidam, & non-
nulli circumvehi terga hoſtium jubebant. Ni-
hil in medium conſulebatur. Porus tamē cum
paucis, quibus metu potior fuerat pudor, colli-
gere diſperſos, obvius hoſti ire pergit, elephan-
toſque ante agmen ſuorum agi jubet. Magnum
belluæ injecere terrorem, inſolituſque ſtridor
non

:on equos modo, tam pavidum ad omnia ani-
ıal, ſed viros quoque, ordineſque turbaverat.
ım fugæ circumſpiciebant locum paulo ante
ictores, cum Alexander Agrianos, & Thra-
as leviter armatos, meliorem concurſatione
uam cominus militem, emiſit in belluas. In-
entem ii vim telorum injecere & elephantis
: regentibus eos. Phalanx quoq; inſtare con-
:anter territis cœpit. Sed quidam avidius per-
:cuti belluas, in ſemet irritavere vulneribus.
)btriti ergo pedibus earum, cæteris, ut parcius
ıſtarent, fuere documentum. Præcipue terri-
ilis illa facies erat, cum manu arma viroſque
orriperent, & ſuper ſe regentibus traderent.
ınceps ergo pugna, nunc ſequentium, nunc
ıgientium elephantos, in multum diei va-
ium certamen extraxit, donec ſecuribus (id
ıamque genus auxilii præparatum erat) pedes
mputare cœperunt. Copidas vocant gladios
:viter curvatos falcibus ſimiles, queis appete-
ant belluarum manus. Nec quidquam inex-
ertum, non mortis modo, ſed etiam in ipſa
ıorte novi ſupplicii timor, omittebat. Ergo
lephanti vulneribus tandem fatigati, ſuos im-
etu ſternunt, & qui rexerant eos, præcipitati
a terram ab ipſis obterebantur. Itaque peco-
um modo magis pavidi quam infeſti, ultra
ciem exigebantur, cùm Porus deſtitutus à plu-
ibus, tela multo ante præparata, in circumfu-
os, ex elephanto ſuo cœpit ingerere, multiſ-
ue eminus vulneratis, expoſitus ipſe ad ictus
ındique petebatur. Novem jam vulnera hinc
ergo, illinc pectore exceperat: multoque ſan-
;uine profuſo, languidis manibus magis ela-
ıſa quam excuſſa tela mittebat. Nec ſegnius
bellua

bellua inſtincta rabie nondum ſaucia, invehe-batur ordinibus, donec rector belluæ Regem conſpexit fluentibus membris, omiſſiſque armis, vix compotem mentis. Tum belluam in fugam concitat ſequente Alexandro. Sed equus ejus multis vulneribus confoſſus deficienſque procubuit, poſito magis Rege, quam effuſo. Itaque dum equum mutat, tardius inſecutus eſt. Interim frater Taxilis Regis Indorum præmiſſus ab Alexandro, monere cœpit Porum ne ultima experiri perſeveraret, dederetque ſe victori. At ille, quanquam exhauſtæ erant vires, deficiebatque ſanguis, tamen ad notam vocem excitatus: *Agnoſco*, inquit, *Taxilis fratrem imperii regnique ſui proditorem*; & telum, quod unum forte non effluxerat, contorſit in eum, quod per medium pectus penetrauit ad tergum. Hoc ultimo virtutis opere edito, fugere acrius cœpit. Sed elephantus quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat. Itaque ſiſtit fugam, peditemque ſequenti hoſti objecit. Iam Alexander conſecutus erat, & pertinacia Pori cognita, vetabat reſiſtentibus parci. Ergo undique & in pedites, & in ipſum Porum tela congeſta ſunt, queis tandem gravatus, labi ex bellua cœpit. Indus, qui elephantum regebat, deſcendere eum ratus, more ſolito elephantum procumbere juſſit in genua, qui ut ſe ſubmiſit, cæteri quoque (ita enim inſtituti erant) demiſere corpora in terram. Ea res & Porum, & cæteros victoribus tradidit. Rex ſpoliari corpus Pori, interemptum eſſe credens, juſſit: & qui detraherent loricam veſtemque, concurrere, cùm bellua dominum tueri, & ſpoliantes cœpit appetere, levatumque corpus ejus rurſus dorſo

ſuo

ſuo imponere, Ergo telis undique obruitur, confoſſoque eo, in vehiculum Porus imponitur. Quem Rex ut vidit allevantem oculos, non odio ſed miſeratione commotus, *Quæ malum*, inquit, *amentia te coëgit, rerum mearum cognita fama, belli fortunam experiri, cum Taxiles eſſet in deditos clementiæ meæ tam propinquum tibi exemplum?* At ille, *Quoniam*, inquit, *percontaris, reſpondebo ea libertate, quam interrogando feciſti. Neminem me fortiorem eſſe cenſebam. Meas enim noveram vires, nondum expertus tuas: fortiorem eſſe te, belli docuit eventus. Sed ne ſic quidem parum felix ſum, ſecundus tibi.* Rurſus interrogatus, quid ipſe victorem ſtatuere debere cenſeret: *Quod hic*, inquit, *dies tibi ſuadet, quo expertus es, quam caduca felicitas eſſet.* Plus monendo profecit, quam ſi precatus eſſet. Quippe magnitudinem animi ejus interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non miſericordia modo, ſed etiam honore excipere dignatus eſt. Ægrum curavit haud ſecus quam ſi pro ipſo pugnaſſet. Confirmatum, contra ſpem omnium, in amicorum numerum recepit. Mox donavit ampliore regno quam tenuit. Nec ſane quidquam ingenium ejus ſolidius aut conſtantius habuit, quam admirationem veræ laudis & gloriæ. Simplicius tamen famam æſtimabat in hoſte, quam in cive: quippe à ſuis credebat magnitudinem ſuam deſtrui poſſe: eandem clariorem fore, quo majores fuiſſent, quos ipſe viciſſet.

LIBER IX.

BREVIARIVM LIBRI.

1 *DEvicto Poro, in Indiam penetrat Alexander variaſque gentes & urbes, quarum more deſcribuntur, ſibi ſubjicit.*

2 *Gangaridas & Pharraſios aggreſſurus, milite fatigatos & bellum detrectantes, prolixa oration ad perſeverantiam hortatur.*

3 *Cœnus, militum nomine, Alexandro reſpondet, & paulo poſt morbo extinguitur.*

4 *Sobiis, & aliis expugnatis, regionem Oxydracarum & Mallorum ingreditur. Oratione ad milites habita Barbaros fugat, eorumque oppidum, contempto Demophoonte vate, obſidet.*

5 *Præcipiti ſaltu in Oxydracarum oppidum ſe immittens, graviter vulneratur, & fortiſſimis quibuſdam ducibus deſideratis, oppidoque poſt aliquot dies expugnato, ſibi ſuiſque reſtituitur.*

6 *Ab amicis rogatus, ut ſaluti ſuæ publicæque parceret, generoſe reſpondet; in inſtituto ſuo de domando orbe perſeverans.*

7 *Græcorum quorundam in Bactris defectio repreſſa: dum Indorum legatos convivio excipit Alexander, inter Horratam & Dioxippum, qui tandem imparibus armis duello certant, rixa oritur. Paulo poſt Dioxippus inimicorum calumniis ultra modum irritatus, ſeipſum interimit.*

8 *Donis à legatis Indorum acceptis, Sabracas, Muſicanos, Præſtos, alioſque populos debellat; Ptolemæo venenata plaga accepta curato, ope cujuſdam herbæ, cujus ſpecies in ſomnis Alexandro eſt oblata.*

9 *Cupidine viſendi Oceani correptus, non ſine periculis*

periculis propter nautarum imperitiam, tandem voti ſui compos redditur.

10 *Ab Oceano in Arabitarum, Gedroſiorum & Indorum regiones revertitur: ubi cum fame & peſtilentia luctatur exercitus. deinde liberatur planeq; reſtituitur. Unde ſequutus eſt probroſus bacchantium luſus, ſupplicio Aſpaſtis Satrapis cruentatus.*

ALEXANDER tam memorabili victoria lætus, qua ſibi Orientis fines apertos eſſe cenſebat, Soli victimis cæſis, milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione laudatos docuit, quicquid Indis virium fuiſſet, illa dimicatione proſtratum: cæteram opimam prædam fore, celebrataſq; opes in ea regione eminere, quam peterent. Proinde jam vilia & obſoleta eſſe ſpolia de Perſis: gemmis, margaritiſque, & auro atque ebore Macedoniam Græciamque, non ſuas tantum domos repleturum. Avidi milites & pecuniæ & gloriæ, ſimul quia nunquam affirmatio ejus fefellerat eos, pollicentur operam: dimiſſiſque cum bona ſpe, navigia ædificari jubet, ut cum totam Aſiam percurriſſent, finem terrarum mare inviſeret. Multa materia navalis in proximis montibus erat, quam cædere aggreſſi, magnitudinis inuſitatæ reperere ſerpentes. Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iiſdem montibus erant. Cæterum hoc nomen belluis eis inditum à Græcis. ſermonis ejus ignari aliud lingua ſua uſurpant. Rex duabus urbibus conditis in utraque fluminis, quod ſuperaverat, ripa, copiarum duces coronis & mille aureis ſingulos donat. Cæteris quo-

queproportione aut gradu, quem in militia obtinebant, aut navatæ operæ, honos habitus eſt. Abiſares qui prius quam cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum miſerat, rurſus alios miſit pollicentes omnia facturum, quæ imperaſſet, modo ne cogeretur corpus ſuum dedere. Neque enim aut ſine regio imperio victurum, aut regnaturum eſſe captivum. Cui Alexander nuntiari juſſit, ſi gravaretur ad ſe venire, ipſum ad eum eſſe venturum. Hinc Poro, amneque ſuperato, ad interiora Indię proceſſit. Sylvæ erant prope in immenſum ſpatium diffuſæ, proceriſque & in eximiam altitudinem editis arboribus umbroſæ. Plerique rami inſtar ingentium ſtipitum flexi in humum, rurſus qua ſe curvaverant, erigebantur, adeo ut ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ. Cœli temperies ſalubris: quippe & vim ſolis umbræ levant, & aquæ largæ manant è fontibus. Cæterum hic quoque ſerpentium magna vis erat, ſquamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxium eſt: quippe morſum præſens mors ſequebatur, donec ab incolis remedium oblatum eſt. Hinc per deſerta ventum eſt ad flumen Hyraoten. Iunctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inuſitatis, agreſtiumque pavonum multitudine frequens. Caſtris inde motis, oppidum haud procul poſitum corona capit, obſidibuſque acceptis, ſtipendium imponit. Ad magnam deinde (ut in ea regione) urbem pervenit; non muro ſolum, ſed etiam palude munitam. Cæterum Barbari vehiculis inter ſe junctis dimicaturi occurrerunt. Aliis tela, aliis haſtæ, aliis ſecures erant: tranſiliebantque in vehicula

hicula ſtrenuo ſaltu, cum ſuccurrere laborantibus ſuis vellent. Ac primo inſolitum genus pugnæ Macedonas terruit, cum eminus vulnerarentur. Deinde ſpreto tam incondito agmine, ab utroque latere vehiculis circumfuſi, repugnantes fodere cœperunt. Et vincula, queis conſerta erant, juſſit incidi, quo facilius ſingula circumvenirentur. Itaque octingentis ſuorum amiſſis, in oppidum refugerunt. Poſtero die ſcalis undique admotis, muri occupantur. Paucis pernicitas ſaluti fuit: qui cognito urbis excidio, paludem tranavere, & in vicina oppida ingentem intulere terrorem; invictum exercitum, & Deorum profecto, adveniſſe memorantes. Alexander ad vaſtandam eam regionem, Perdicca cum expedita manu miſſo, partem copiarum Eumeni tradit, ut is quoque Barbaros ad deditionem compelleret. Ipſe cæteros ad urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolæ, induxit. Oppidani miſſis qui Regem deprecarentur, nihilominus bellum parabant: quippe orta ſeditio in diverſa conſilia diduxerat vulgum. Alii omnia deditione potiora; quidam nullam opem in ipſis eſſe ducebant. Sed dum nihil in commune conſulitur, qui deditioni imminebant, apertis portis hoſtem recipiunt. Alexander, quanquam belli autoribus jure poterat iraſci, tamen omnibus venia data, & obſidibus acceptis, ad proximam deinde urbem caſtra movit. Obſides ducebantur ante agmen: quos cum è muris agnoviſſent, utpote gentis ejuſdem, in colloquium convocaverunt. Illi clementiam Regis ſimulque vim commemorando, ad deditionem eos compulêre: cæteraſque urbes ſimili modo deditas in fidem acцепit.

cepit. Hinc in regnum Sophitis perventum eſt. Gens, ut Barbari, ſapientia excellit, boniſque moribus regitur. Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntque: ſed eorum, quibus ſpectandi infantium habitum cura mandata eſt. Si quos ſegnes aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent. Nuptiis coëunt, non genere ac nobilitate conjunctis, ſed electa corporum ſpecie: quia eadem æſtimatur in liberis. Hujus gentis oppidum, cui Alexander admoverat copias, ab ipſo Sophite obtinebatur. Clauſæ erant portæ, ſed nulli in muris turribuſque ſe armati oſtendebant: dubitabantque Macedones, deſeruiſſentne urbem incolæ, an fraude ſe occulerent: cum ſubito patefacta porta, Rex Indus cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes Barbaros eminens corporis ſpecie. Veſtis erat auro purpuraque diſtincta, quę etiam crura velabat. Aureis ſoleis inſeruerat gemmas. Lacerti quoque & brachia margaritis ornata erant. Pendebant ex auribus inſignes candore & magnitudine lapilli. Baculum aureum berylli diſtinguebant. Quo tradito, precatus, ut ſoſpes acciperet, ſe, liberoſque, & gentem ſuam dedidit. Nobiles ad venandum canes in ea regione ſunt. Latratu abſtinere dicuntur, cum videre feram; leonibus maxime infeſti. Horum vim ut oſtenderet Alexandro, in conſpectu leonem eximiæ magnitudinis juſſit emitti, & quatuor omnino admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram: cum ex iis qui aſſueverant talibus miniſteriis, unius canis leoni cum aliis inhærentis crus avellere, & quia non ſequebatur, ferro amputare cœpit. nec ſic quidem pertinacia victa, rurſus aliam

aliam partem ſecare inſtitit,& inde non ſegnius inhærentem ferro ſubinde cædebat. Ille in vulnere ferę dentes moribundus quoque infixerat. Tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingeneraſſe naturam memoriæ proditum eſt. Equidem plura tranſcribo, quam credo. Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito: nec ſubducere,quæ accepi. Relicto igitur Sophite in ſuo regno, ad fluvium Hypaſin proceſſit, Hephæſtione, qui diverſam regionem ſubegerat,conjuncto. Phegelas erat gentis proximæ Rex, qui popularibus ſuis colere agros (ut aſſueverant) juſſis, Alexandro cum donis occurrit. Nihil quod imperaret detrectans, biduum apud eum ſubſtitit.

2 Rex tertio die amnem ſuperare decreverat, tranſitu difficilem,non ſpatio ſolum aquarum, ſed etiam ſaxis impeditum. Percontatus igitur Phegelam,quæ noſcenda erant, undecim dierum ultra flumen per vaſtas ſolitudines iter eſſe cognoſcit: excipere deinde Gangem maximum totius Indiæ fluminum. Vlteriorem ripam colere gentes Gangaridas & Pharraſios, eorumque Regem eſſe Aggrammen, viginti millibus equitum, ducentiſque peditum obſidentem vias. Ad hæc quadrigarum duo millia trahere, & præcipuum terrorem elephantos, quos trium millium numerum explere dicebat. Incredibilia Regi omnia videbantur. Igitur Porum (nam cum eo erat) percontatur, an vera eſſent,quæ dicerentur. Ille vires quidem gentis & regni haud falſo jactari affirmat. Cæterum qui regnaret, non modo ignobilem eſſe, ſed etiam ultimæ ſortis:quippe patrem ejus tonſorem vix diurno quæſtu propulſantem famem,

propter habitum haud indecorum cordi fuiſſe Reginæ. Ab ea in propiorem ejus, qui tum regnaſſet, amicitiæ locum admotum, interfecto eo per inſidias, ſub ſpecie tutelæ liberûm ejus invaſiſſe regnum, necatiſque pueris, hunc qui nunc regnat generaſſe, inviſum vilemque popularibus, magis paternæ fortunæ quam ſuæ memorem. Affirmatio Pori multiplicem animo Regis injecerat curam: hoſtem belluaſque ſpernebat, ſitum locorum & vim fluminum extimeſcebat. Relegatos in ultimum pene rerum humanarum perſequi terminum, & eruere, arduum videbatur. Rurſus avaritia gloriæ, & inſatiabilis cupido famæ, nihil invium, nihil remotum videri ſinebat. Et interdum dubitabat, an Macedones tot emenſi ſpatia terrarum, in acie, & in caſtris ſenes facti, per objecta flumina, per tot naturæ obſtantes difficultates, ſecuturi eſſent. Abundantes onuſtoſque præda, magis parta frui velle, quam acquirenda fatigari. Non idem ſibi, & militibus animi eſſe. Se totius orbis imperium mente complexum, adhuc in operum ſuorum primordio ſtare. Militem labore defatigatum, proximum quemque fructum, finito tandem periculo expectare. Vicit ergo cupido rationem, & ad concionem vocatis militib⁹, ad hunc maxime modum diſſeruit:

Non ignoro milites, multa, quæ terrere vos poſſent, ab incolis Indiæ per hos dies de induſtria eſſe jactata. Sed non eſt improviſa vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciæ fauces, ſic Meſopotamiæ campos, Tigrim & Euphratem, quorum alterum vado tranſivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Perſæ. Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia illa tradente, majora ſunt vero. Noſtra quoque gloria cum ſit ex ſolido,

ſolido, plus tamen habet nominis quam operis. Modo quis belluas offerentes mœnium ſpeciem, quis Hydaſpen amnem, quis cætera auditu majora quam vero, ſuſtinere poſſe credebat? Olim hercule fugiſſemus ex Aſia, ſi nos fabulæ debellare potuiſſent. Creditiſne elephantorum greges majores eſſe quam uſquam armentorum ſunt? cum & rarum ſit animal, nec facile capiatur, multoque difficilius mitigetur. Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit. Nam flumen, quo latius fuſum eſt, hoc placidius ſtagnat; quippe anguſtis ripis coërcita, & in anguſtiorem alveum eliſa, torrentes aquas invehunt: contra ſpatio alvei ſegnior curſus eſt. Præterea in ripa omne periculum eſt, ubi applicantes navigia hoſtis exſpectat. Ita quantumcunque flumen intervenit, idem futurum diſcrimen eſt evadentium in terram. Sed omnia iſta vera eſſe fingamus. Vtrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hoſtium terret? Quod pertinet ad elephantos, præſens habemus exemplum: in ſuos vehementius, quam in nos incurrerunt. Tam vaſta corpora ſecuribus falcibuſque mutilata ſunt. Quid autem intereſt, totidem ſint, quot Porus habuit, an tria millia, cum uno aut altero vulneratis, cæteros in fugam declinare videamus? Deinde paucos quoque incommode regunt: congregata vero tot millia ipſa ſe elidunt, ubi nec ſtare, nec fugere potuerint inhabiles vaſtorum corporum moles. Equidem ſic animalia iſta contempſi, ut cum haberem, ipſe non oppoſuerim: ſatis gnarus, plus ſuis quam hoſtibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet. Cum paucis enim pugnare ſoliti eſtis, & nunc primum inconditam ſuſtinebitis turbam. Teſtis adverſus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis, & Cilicia inundata cruore Perſarum, & Arbella,

cujus campi devictorum à nobis oſſibus ſtrati ſunt. Sero hoſtium legiones numerare cœpiſtis, poſtea quam ſolitudinem in Aſia vincendo feciſtis. Cum per Helleſpontum navigaremus, de paucitate noſtra cogitandum fuit. Nunc nos Scythæ ſequuntur, Bactriana auxilia præſto ſunt. Dahæ, Sogdianique inter nos militant. Nec tamen illi turbæ confido. Veſtras manus intueor, veſtram virtutem, rerum, quas geſturus ſum, vadem, prædemque habeo. Quam diu vobiſcum in acie ſtabo, nec meos nec hoſtium exercitus numeravero. Vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumque noſtrorum, ſed in exitu ſtamus. Pervenimus ad Solis ortum, & Oceanum, niſi obſtat ignavia: inde victores, perdomito fine terrarum, revertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus. Majora ſunt periculis præmia. dives eadem & imbellis eſt regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad prædam. Digni eſtis, qui opes, quas illud mare litoribus invehit, referatis in patriam. Digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omiſſum relinquatis. Per vos, gloriamque veſtram, qua humanum faſtigium exceditis, perque & mea in vos, & in me veſtra merita, quibus invicti contendimus, oro, quæſoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem, alumnum commilitonemque veſtrum, ne dicam Regem, deſeratis. Cætera vobis imperavi, hoc unum debiturus ſum. Et is vos rogo, qui nihil unquam vobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim, qui ſæpe aciem clypeo meo texi, ne infringeretis in manibus meis palmam, qua Herculem, Liberumque Patrem, ſi invidia abfuerit, æquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obſtinatum ſilentium rumpite. Vbi eſt ille clamor, alacritatis veſtræ index? Vbi

Vbi eſt ille meorum Macedonum vultus? Non agnoſco vo: milites, nec agnoſci videor à vobis. Surdas jamdudu, i aures pulſo. Averſos animos & infractos excitare conor. Cumque illi in terram demiſſis capitibus tacere perſeverarent: *Neſcio quid,* inquit, *imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis. In ſolitudine mihi videor eſſe. Nemo reſpondet, nemo ſaltem negat, quos alloquor. Quid autem poſtulo? veſtram gloriam, & magnitudinem vindicamus. Vbi ſunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contendentium, qui potiſſimum vulnerati Regis corpus exciperet? Deſertus, deſtitutus ſum, hoſtibus deditus. Sed ſolus quoque ire perſeverabo. Obiicite me fluminibus & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis. Inveniam qui deſertum à vobis ſequantur. Scythæ Bactrianique erunt mecum, hoſtes paulo ante, nunc milites noſtri. Mori præſtat, quam precario Imperatorem eſſe. Ite reduces domos, ite deſerto Rege ovantes. Ego hic à vobis deſperatæ victoriæ, aut honeſtæ morti locum inveniam.*

5 Nec ſic quidem ulli militum vox exprimi potuit. Exſpectabant ut duces principeſque ad Regem perferrent, vulneribus & continuo labore militiæ fatigatos non detrectare munia, ſed ſuſtinere non poſſe. Cæterum illi metu attoniti in terram ora defixerant. Igitur primo fremitus ſua ſponte, deinde gemitus quoque oritur, paulatimque liberius dolor erigi cœpit, manantibus lachrimis, adeo ut Rex, ira in miſericordiam verſa, ne ipſe quidem, quanquam cuperet, temperare oculis potuerit. Tandem univerſa concione effuſius flente, Cœnus auſus eſt, cunctantibus cæteris, propius tribunal accedere, ſignificans ſe loqui velle. Quem ut videre milites detrahentem galeam capiti (ita enim Regem

Regem alloqui mos eſt) hortari cœperunt, cauſam exercitus ageret. Tum Cœnus: *Dii pr hibeant*, inquit, *à nobis impias mentes, & profec prohibent. Idem animus eſt tuis, qui fuit ſempe ire quo juſſeris, pugnare, periclitari, ſanguine noſt commendare poſteritati tuum nomen. Proinde ſi perſeveras, inermes quoque, & nudi, & exſangues, utcunque tibi cordi eſt, ſequimur, vel antecedimus. Sed ſi audire vis non ficta tuorum militum voces rerum neceſſitate ultima expreſſas, præbe, quæſo, propitias aures, imperium atque auſpicium tuum conſtantiſſime ſecutis, & quocunque pergis, ſecuturis. Viciſti, Rex, magnitudine rerum non hoſtes modo, ſed etiam milites. Quidquid mortalitas capere poterat, implevimus. Emenſis maria terraſque, melius nobis, quam incolis omnia nota ſunt. Pene in ultimo mundi fine conſiſtimus: in alium orbem paras ire, & Indiam quæris, Indis quoque ignotam. Inter feras ſerpenteſque degentes eruere ex latebris & cubilibus ſuis expetis, ut plura quam ſol videt, victoria luſtres. Digna prorſus cogitatio animo tuo, ſed altior noſtro. Virtus enim tua ſemper in incremento erit, noſtra vis in fine jam eſt. Intuere corpora exſanguia, tot perfoſſa vulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia ſunt, jam arma deficiunt. Veſtem Perſicam induimus, quia domeſtica ſubvehi non poteſt. In externum degeneravimus cultum. Quoto cuique lorica eſt? quis equum habet? Iube quæri, quam multos ſervi ipſorum perſecuti ſunt, quid cuique ſuperſit ex præda. Omnium victores, omnium inopes ſumus. Nec luxuria laboramus, ſed bello. Inſtrumenta belli conſumpſimus. Hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obiicies belluis? Quarum ut multitudinem augeant de induſtria Barbari: magnum tamen eſſe numerum etiam ex mendacio intelligo. Quod*

ſi adhuc

ſi adhuc penetrare in Indiam certum eſt, regio à Meridie minus vaſta eſt. Qua ſubacta, licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit eſſe natura. Cur circuitu petis gloriam, quæ ad manum poſita eſt? Hic quoque occurrit Oceanus. Niſi mavis errare, pervenimus, quo tua fortuna ducit. Hæc tecum, quam ſine te cum his, loqui malui, non ut inirem circumſtantis exercitus gratiam, ſed ut vocem loquentium potius quam ut gemitum murmurantium audires. Vt finem orationi Cœnus impoſuit, clamor undique cum ploratu oritur, Regem patrem, dominum, confuſis appellantium vocibus. Iamque & alii duces, præcipueque ſeniores, queis ob ætatem & excuſatio honeſtior erat, & authoritas major, eadem precabantur. Ille nec caſtigare obſtinatos, nec mitigare poterat iratos. Itaque inops conſilii deſilivit è tribunali, claudique regiam juſſit, omnibus, præter aſſuetos, adire prohibitis. Biduum iræ datum eſt, tertio die proceſſit: erigique duodecim aras ex quadrato ſaxo, monumentum expeditionis ſuæ. munimenta quoque caſtrorum juſſit extendi, cubiliaque amplioris formæ, quam pro corporum habitu, relinqui, ut ſpeciem omnium augeret, poſteritati fallax miraculum præparans. Hinc repetens quæ emenſus erat, ad flumen Aceſinem locat caſtra. Ibi forte Cœnus morbo extinctus eſt, cujus morte ingemuit Rex quidem, adjecit tamen, propter paucos dies longam orationem eum exorſum, tanquam ſolus Macedoniam viſurus eſſet. Iam in aqua claſſis, quam ædificari juſſerat, ſtabat. Inter hæc Memnon ex Thracia in ſupplementum equitum ſex millia, præter eos ab Harpalo peditum ſeptem millia adduxerat,

rat, armaque viginti quinque millia auro & argento cælata pertulerat: queis diſtributis, vetera cremari juſſit. mille navigiis aditur[9] Oceanum, diſcordes & vetera odia retractantes Porum & Taxilem Indiæ Reges, firmata per affinitatem gratia, reliquit in ſuis regnis, ſummo in ædificanda claſſe amborum ſtudio uſus. Oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nicæam appellavit, alterum Bucephalon, equi, quem amiſerat, memoriæ ac nomini dedicans urbem. Elephantis deinde & impedimentis terra ſequi juſſis, ſecundo amne defluxit, quadraginta ferme ſtadia ſingulis diebus procedens ut opportunis locis exponi ſubinde copiæ poſſent.

4 Perventum erat in regionem, in qua Hydaſpes amnis Aceſini committitur. Hinc decurrit in fines Sobiorum. Hi de exercitu Herculis majores ſuos eſſe commemorant: ægros relictos ſe, cepiſſe ſedem, quam ipſi obtinebant. Pelles ferarum pro veſte, clavæ pro telo erant. Multaque, etiam cum Græci mores exoleviſſent, ſtirpis oſtendebant veſtigia. Hic excenſione facta, CCL ſtadia proceſſit. Depopulatuſque regionem, oppidum caput ejus corona cepit. XL peditum millia alia gens in ripa fluminum oppoſuerat, quæ, amne ſuperato, in fugam compulit, incluſoſq; mœnibus expugnat. Puberes interfecti ſunt, cæteri venierunt. Alteram deinde urbem expugnare adortus, magnaque vi defendentium pulſus, multos Macedonum amiſit. Sed cum in obſidione perſeveraſſet, oppidani deſperata ſalute ignem ſubjecere tectis, ſe quoque, ac liberos, conjugeſque incendio cremant. Quod cum ipſi augerent, hoſtes extin-

extinguerent, nova forma pugnæ erat. Delebant incolæ urbem, hoſtes defendebant: adeo etiam naturæ jura bellum in contrarium mutat. Arx erat oppidi intacta, in qua præſidium dereliquit. Ipſe navigio circumvectus eſt arcem: quippe tria flumina tota India præter Gangem maxima, munimento arcis applicant undas. A Septentrione Indus alluit, à Meridie Aceſines Hydaſpi confunditur. Cæterum amnium coitus maritimis ſimiles fluctus movet, multoque ac turbido limo, quod aquarum concurſu ſubinde turbatur, iter qua meant navigia, in tenuem alveum cogitur. Itaque cum crebri fluctus ſe inveherent, & navium hinc proras, hinc latera pulſarent, ſubducere nautæ cœperunt. Sed miniſteria eorum hinc metu, hinc prærapida celeritate fluminum occupantur. In oculis duo majora omnium navigia ſubmerſa ſunt: leviora, cum & ipſa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulſa ſunt. Ipſe Rex in rapidiſſimos vertices incidit; quibus intorta navis obliqua, & gubernaculi impatiens, agebatur. Iam veſtem detraxerat corpori, projecturus ſemet in flumen, amicique ut exciperent eum, haud procul nabant: apparebatque anceps periculum, tam nataturi, quam navigare perſeverantis. Ergo ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana eſſe poterat, admota eſt, ut fluctus, qui ſe invehebant, everberarentur. Findi crederes undas, & retro gurgites cedere. Quibus tandem navis erepta, non tamen ripæ applicabatur, ſed in proximum vadum illiditur. Cum amne bellum fuiſſe crederes. Ergo aris pro numero fluminum poſitis, ſacrificioque facto, triginta ſtadia proceſſit. Inde

Inde ventum eſt in regionem Oxydracaru
Mallorumque quos aliâs bellare inter ſe ſoli
tos, tunc periculi ſocietas junxerat. Nover
millia juniorum peditum in armis erant. præ
ter hos equitum decem millia, nongentæqu
quadrigæ. At Macedones, qui omni diſcrimin
jam defunctos ſe eſſe crediderant, poſteaquar
integrum bellum cum ferociſſimis Indiæ gen
tibus ſupereſſe cognoverunt, improviſo met
territi, rurſus ſeditioſis vocibus Regem incre
pare cœperunt. Gangem amnem, & quæ ultr
eſſent, coactos tranſmittere, non tamen finiſſ
ſed mutaſſe bellum: indomitis gentibus ſe ob
jectos, ut ſanguine ſuo aperirent ei Oceanum
Trahi extra ſidera, & ſolem, cogique adire
quæ mortalium oculis natura ſubduxerat. No
vis identidem armis novos hoſtes exſiſtere
Quos ut omnes fundant fugentque, quod præ
mium ipſos manere? caliginem ac tenebras, &
perpetuam noctem profundo incubantem, re
pletum immanium belluarum gregibus fretũ
immobiles undas, in quibus emoriens natura
defecerit. Rex non ſua, ſed militum ſollicitu-
dine anxius, concione advocata docet, imbel-
les eſſe, quos metuant. Nihil deinde præter has
gentes obſtare, quo minus terrarum ſpatia e-
menſi, ad finem ſimul mundi laborumque per-
veniant: Ceſſiſſe illis metuentibus Gangem, &
multitudinem nationum, quæ ultra amnem
eſſent, declinaſſe iter eo, ubi par gloria, minus
periculum eſſet. Iam proſpicere ſe Oceanum:
jam perflare ad ipſos auram maris: ne invide-
rent ſibi laudem, quam peteret. Herculis & Li-
beri patris terminos tranſituros illos. Regi ſuo
parvo impendio immortalitatem famæ datu-
ros.

ros. Paterentur ſe ex India redire, non fugere. Omnis multitudo, & maxime militaris, mobili impetu fertur. Ita ſeditionis non remedia, quam principia majora ſunt. Non alias tam alacer clamor ab exercitu eſt redditus, jubentium duceret Diis ſecundis, & æquaret gloria, quos æmularetur. Lætus his acclamationibus ad hoſtes protinus caſtra movit. Validiſſimæ Indorum gentes erant, & bellum impigre parabant, ducemque ex natione Oxydracarum ſpectatæ virtutis elegerant, qui ſub radicibus montis caſtra poſuit, lateque ignes, ut ſpeciem multitudinis augeret, oſtendit; clamore quoque, ac ſui moris ululatu identidem acquieſcentes Macedonas fruſtra terrere conatus. Iam lux appetebat, cum Rex fiduciæ ac ſpei plenus, alacres milites arma capere, & exire in aciem jubet. Sed metune an ſeditione oborta inter ipſos, ſubito profugerunt Barbari. Certe avios montes & impeditos occupaverunt. Quorum agmen Rex fruſtra perſecutus, impedimenta cepit. Perventum deinde eſt ad oppidum Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud majore fiducia mœnium, quam armorum. Iam admovebat Rex, cum vates monere eum cœpit, ne committeret, aut certe differret obſidionem: vitæ ejus periculum oſtendi. Rex Demophoonta (is namque vates erat) intuens, *Si quis*, inquit, *te arti tuæ intentum, & exta ſpectantem ſic interpellet, non dubitem quin incõmodus ac moleſtus videri tibi poſſit.* Et cum ille ita prorſus futurum reſpõdiſſet: *Cenſeſne*, inquit, *tantas res, non pecudum fibras, ante oculos habenti, ullum eſſe majus impedimentum, quam vatem ſuperſtitione captum?* Nec diutius quam reſpondit moratus,

ad-

admoveri jubet ſcalas: cunctantibuſque ca
teris evadit in murum. Anguſta muri coron
erat. Non pinnæ, ſicut alibi, faſtigium ejus d
ſtinxerant, ſed perpetua lorica obducta tranſ
tum ſepſerat. Itaque Rex hærebat magis quai
ſtabat in margine, clypeo undique incidenti
tela propulſans. Nam ubique eminus ex turr
bus petebatur. Nec ſubire milites poterant, qui
ſuperne vi telorum obruebantur. Tandem ma
gnitudinem periculi pudor vicit: quippe cer
nebant cunctatione ſua dedi hoſtibus Regem
Sed feſtinando morabantur auxilia. Nam dun
pro ſe quiſq; certat evadere, oneravere ſcalas
queis non ſufficientibus, devoluti, unicam ſpen
Regis fefellerunt. Stabat enim in cōſpectu tant
exercitus, velut in ſolitudine deſtitutus.

5 Iamque lævam, qua clypeum ad ictus circumferebat, laſſaverat, clamantibus amicis, ut ad ipſos deſiliret, ſtabantque excepturi: cum ille rem auſus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis quam gloriæ inſignem. Namque in urbem hoſtium plenam præcipiti ſaltu ſemetipſe immiſit, cum vix ſperare poſſet, dimicantem certe & non inultum eſſe moriturum. quippe antequam aſſurgeret, opprimi poterat, & capi vivus: ſed forte ita libraverat corpus, ut ſe pedibus exciperet. Itaque ſtans init pugnam, & ne circuiri poſſet, fortuna providerat. Vetuſta arbor haud procul muro ramos multa fronde veſtitos velut de induſtria Regem protegentes, objecerat. Hujus ſpatioſo ſtipiti corpus, ne circuiri poſſet, applicuit, clypeo tela, quæ ex adverſo ingerebantur, excipiens. Nam cum unum procul tot manus peterent, nemo tamen audebat propius

accedere.

accedere. Miſſilia ramis plura quam clypeo incidebant. Pugnabat pro Rege primum celebrati nominis fama, deinde deſperatio, magnum ad honeſte moriendum incitamentum: Sed cum ſubinde hoſtis afflueret, jam ingentem vim telorum exceperat clypeo, jam galeam ſaxa perfregerant, jam continuo labore gravia genua ſucciderant. Itaque contemptim & incaute, qui proximi ſteterant incurrerunt: è quibus duos gladio ita excepit, ut ante ipſum exanimes procumberent. Nec cuiquam deinde propius inceſſendi eum animus fuit. procul jacula ſagittaſque mittebant. ille ad omnes ictus expoſitus, ægre jam exceptum poplitibus corpus tuebatur, donec Indus duorum cubitorum ſagittam (namque Indis, ut ante diximus, hujus magnitudinis ſagittæ erant) ita excuſſit, ut per thoracem paulum ſuper latus dexterum infigeretur. Quo vulnere afflictus, magna vi ſanguinis emicante, remiſit arma moribundo ſimilis, adeoque reſolutus, ut ne ad vellendum quidem telum ſufficeret dextra. Itaque ad exſpoliandum corpus qui vulneraverat, alacer gaudio accurrit. Quem ut injicere corpori ſuo manus ſenſit, credo, ultimi dedecoris indignitate commotus, linquentem revocavit animũ, & nudum hoſtis latus ſubjecto mucrone hauſit. Iacebant circa Regem tria corpora, procul ſtupentibus cæteris. Ille, ut antequam ultimus ſpiritus deficeret, dimicans jam extingueretur, clypeo ſe allevare conatus eſt: & poſteaquam ad connitendum nihil ſupererat virium, dextera impendentes ramos complexus, tentabat aſſurgere. Sed ne ſic quidem potens corporis, rurſus in genua procumbit, manu provocans hoſtes,

hoſtes, ſi quis congredi auderet. Tandem Peu-ceſtes per aliam oppidi partem, deturbatis pro-pugnatoribus, muri veſtigia perſequens, Regi ſupervenit. Quo conſpecto, Alexander jam non vitæ ſuæ, ſed mortis ſolatium ſuperveniſſe ratus, clypeo fatigatum corpus excepit. Subinde Timæus, & paulo poſt Leonatus, huic Ariſtonus ſupervenit. Indi quoque cum intra mœnia Regem eſſe comperiſſent, omiſſis cæteris illuc concurrerunt, urgebantque protegentes: ex quibus Timæus multis adverſo corpore vulneribus acceptis egregiaque edita pugna cecidit. Peuceſtes quoque tribus jaculis confoſſus non ſe tamen ſcuto, ſed Regem tuebatur. Leonatus dum avide ruentes Barbaros ſubmovet, cervice graviter icta ſemianimis procubuit ante Regis pedes. Iam & Peuceſtes vulneribus fatigatus ſubmiſerat clypeum. In Ariſtono ſpes ultima hærebat. Hic quoque graviter ſaucius, tantam vim hoſtium ultra ſuſtinere non poterat. Inter hæc ad Macedonas, Regem cæcidiſſe, fama perlata eſt. Terruiſſet alios, quod illos incitavit. Namque periculi omnis immemores, dolabris perfregere murũ, & qua moliti erant aditum irrupere in urbem, Indoſque plures fugientes, quam congredi auſos, cæciderunt. Non ſenibus, non fœminis, non infantibus parcitur. Quiſquis occurrerat, ab illo vulneratum Regem eſſe credebant. Tandemque internecione hoſtium juſtæ irę parentatum eſt. Ptolemęum, qui poſtea regnavit, huic pugnæ affuiſſe, autor eſt Clitarchus, & Timagenes. Sed ipſe ſcilicet gloriæ ſuæ non refragatus, abfuiſſe ſe miſſum in expeditionem, memoriæ tradit. Tanta componentium vetuſta rerum monumenta vel ſecuritas,

curitas, vel, par huic vitium, credulitas fuit. Rege in tabernaculum relato medici lignum haſtæ corpori infixum, ita ne ſpiculum moveretur, abſcindunt. Corpore deinde nudato animadvertunt hamos ineſſe telo, nec aliter id ſine pernicie corporis extrahi poſſe, quam ut ſecando vulnus augerent. Cæterum ne ſecantes profluvium ſanguinis occuparet verebantur: quippe ingens telum adactum erat, & penetraſſe in viſcera videbatur. Critobulus inter medicos artis eximiæ, ſed in tanto periculo territus, manus admovere metuebat, ne in ipſius caput parum proſperæ curationis recideret eventus. Lachrymantem eum, ac metuentem, & ſolicitudine propemodum exſanguem Rex conſpexerat. *Quid,* inquit, *quodve tempus exſpectas, & non quamprimum hoc dolore me ſaltem moriturum liberas? An times, ne reus ſis, cum inſanabile vulnus acceperim?* At Critobulus tandē vel finito vel diſſimulato metu hortari eum cœpit, ut ſe continendum præberet, dum ſpiculum evelleret. Etiam levem corporis motum noxium fore. Rex, cum affirmaſſet nihil opus eſſe iis, qui ſemet continerent, ſicut præceptum erat, ſine motu præbuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, & ſpiculo evulſo, ingens vis ſanguinis manare cœpit, linquique animo Rex, & caligine oculis offuſa, veluti moribundus extendi. Cumque profluvium medicamentis fruſtra inhiberent, clamor ſimul atque ploratus amicorum oritur, Regem exſpiraſſe credentium. Tandem conſtitit ſanguis, paulatimque animum recepit, & circumſtantes cœpit agnoſcere. Toto eo die, ac nocte, quæ ſecuta eſt, armatus exercitus regiam obſedit, confeſ-
ſus

ſus omnes unius ſpiritu vivere. Nec prius receſſerunt, quam compertum eſt, ſomno paulisper acquieſcere. Hinc certiorem ſpem ſalutis eju in caſtra retulerunt.

6 Rex, ſeptem diebus curato vulnere, necdum obducta cicatrice, cum audiſſet convaluiſſe apud Barbaros famam mortis ſuæ, duobus navigiis junctis ſtatui in medium undique conſpicuum tabernaculum juſſit, ex quo ſe oſtenderet periiſſe credentibus: conſpectuſque ab incolis, ſpem hoſtium falſo nuntio conceptam inhibuit. Secundo deinde amne defluxit, aliquantũ intervalli à cætera claſſe præcipiens, ne quies corpori invalido adhuc neceſſaria, pulſu remorum impediretur. Quarto poſteaquam navigare cœperat die, pervenit in regionem, deſertam quidem ab incolis, ſed frumento & pecoribus abundantem. Placuit is locus, & ad ſuam, & ad militum requiem. Mos erat principibus amicorum & cuſtodibus corporis excubare ante prætorium, quoties Regi adverſa valetudo incidiſſet. Hoc tum more quoque ſervato, univerſi cubiculum ejus intrant. Ille ſollicitus ne quid novi afferrent, quia ſimul venerant, percontatur, num hoſtium recens nuntiaretur adventus. At Craterus, cui mandatum erat, ut amicorum preces perferret ad eum: *Crediſne*, inquit, *adventu magis hoſtium, ut jam in vallo conſiſterent, quam cura ſalutis tuæ, ut nunc eſt tibi vilis, nos eſſe ſolicitos? Quanta libet vis omnium gentium conſpiret in nos, impleat armis viriſque totum orbem, claſſibus maria conſternat, inuſitatas belluas inducat, tu nos præſtabis invictos. Sed quis Deorum hoc Macedoniæ columen ac ſidus diuturnum fore polliceri poteſt? cum tam avide mani-*

manifeſtis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in caſum? Quis enim tibi ſuperſtes, aut optat eſſe, aut poteſt? Eo pervenimus, auſpicium atque imperium ſecuti tuum, unde niſi te reduce, nulli ad penates ſuos iter eſt. Qui ſi adhuc de Perſidis regno cum Dario dimicares, & ſi nemo vellet, tamen ne admirari quidem poſſet tam promptæ eſſe te ad omne diſcrimen audaciæ. Nam ubi paria ſunt periculum ac præmium, & ſecundis rebus amplior fructus eſt, & adverſis ſolatium majus. Tuo vero capite ignobilem vicum emi, quis ferat, non tuorum modo militum, ſed ullius etiam gentis barbaræ, qui tuam magnitudinem novit? Horret animus cogitatione rei, quam paulo ante vidimus. Eloqui timeo, invicti corporis ſpoliis inertiſſimos manus fuiſſe injecturos, niſi te interceptum miſericors in nos fortuna ſervaſſet. Totidem proditores, totidem deſertores ſumus, quot te non potuimus perſequi. Vniverſos licet milites ignominia notes, nemo recuſabit luere id, quod ne amitteret, præſtare non potuit. Patere nos quæſo, alio modo eſſe viles tibi. Quocunq; juſſeris, ibimus: obſcura bella, & ignobiles pugnas nobis depoſcimus. Temetipſum ad ea ſerva quæ magnitudinem tuam capiunt. Cito gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus. Nec quidquam indignius eſt, quam conſumi eam ubi non poſſit oſtendi. Eadem fere Ptolemæus, & ſimilia iis cæteri. Iamque confuſis vocibus flentes eum orabant, ut tandem exſatiatæ laudi modum faceret, ac ſaluti ſuæ, id eſt publicæ, parceret. Grata erat Regi pietas amicorum. Itaque ſingulos familiarius amplexus conſidere jubet, altiuſque ſermone repetito: *Vobis quidem*, inquit, *ô fidiſſimi, piiſſimique civium, atque amicorum, grates ago, habeoque, non ſolum eo nomine, quod hodie ſalutem*

meam veſtræ præponitis, ſed quod à primordiis belli nullum erga me benevolentiæ pignus atq; indicium omiſiſtis: adeo ut confitendum ſit, nunquam mihi vitam meam fuiſſe tam charam, quam eſſe cœpit, ut vobis diu frui poſſim. Cæterum non eadem eſt cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea, qui quidem hanc benevolentiam veſtram virtute meruiſſe me judico. Vos enim diuturnum fructum ex me, forſitan etiam perpetuum, percipere cupitis. Ego me metior non ætatis ſpatio, ſed gloria. Licuit paternis opibus contento, intra Macedoniæ terminos per otium corporis exſpectare obſcuram & ignobilem ſenectutem. Quanquam ne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed unicum bonum diuturnam vitam æſtimantes ſæpe acerba mors occupat. Verum ego, qui non annos meos ſed victorias numero, ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi. Orſus à Macedonia imperium, Græciam teneo: Thraciam, & Illyricos ſubegi: Triballis, Mediſque imperito: Aſiam, qua Helleſponto, qua Rubro mari alluitur, poſſideo, Iamque haud procul abſum à fine mundi. Quem egreſſus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi ſtatui. Ex Aſia in Europæ terminos momento unius horæ tranſivi. Victor utriuſque regionis poſt nonum regni mei, poſt XXVIII ætatis annum, videorne vobis in excolenda gloria, cui me uni devovi, poſſe ceſſare? Ego vero non deero, & ubicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis eſſe me credam? Dabo nobilitatem ignobilibus locis. Aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longe ſubmoverat. In his operibus extingui mihi (ſi fors ita feret) pulchrum eſt. Ea ſtirpe ſum genitus, ut multam prius quam longam vitam debeam optare. Obſecro vos, cogitate nos perveniſſe in terras, quibus fœminæ ob virtutem celeberrimum nomen eſt. Quas

urbes

urbes Semiramis condidit? quas gentes redegit in poteſtatem: quanta opera molita eſt? Nondum fœminam æquavimus gloria, & jam nos laudis ſatietas cepit? Dii faveant, majora adhuc reſtant. Sed ita noſtra erunt, quæ nondum attigimus, ſi nihil parvum duxerimus, in quo magnæ gloriæ locus eſt. Vos modo me ab inteſtina fraude, & domeſticorum inſidiis præſtate ſecurum. Belli Martiſque diſcrimen impavidus ſubibo. Philippus in acie tutior quam in theatro fuit. hoſtium manus ſæpe vitavit, ſuorum effugere non valuit. Aliorum quoque Regum exitus ſi reputaveritis, plures à ſuis quã ab hoſte interemptos numerabitis. Cæterum quoniam olim rei agitatæ in animo meo, nunc promendæ occaſio oblata eſt: mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, ſi Olympias mater immortalitati conſecretur, quandocunque exceſſerit vita. Hoc ſi licuerit, ipſe præſtabo. Si me præceperit fatum, vobis mandaſſe mementote. At tum quidem amicos dimiſit. Cęterum per complures dies ibi ſtativa habuit.

7 Hæc dum in India geruntur, Græci milites, nuper in colonias à Rege deducti Carabactra, orta inter ipſos ſeditione, defecerant, non tam Alexandro infenſi, quam metu ſupplicii: quippe occiſis quibuſdam popularium, qui validiores erant, arma ſpectare cœperunt. Et Bactriana arce, quæ quaſi negligentius aſſervata erat, occupata, Barbaros quoque in ſocietatem defectionis impulerãt. Athenodorus erat princeps eorum, qui Regis quoque nomen aſſumpſerat, non tam imperii cupidine quam in patriam revertendi cum iis qui authoritatẽ ipſius ſequebantur. Huic Bicon quidam nationis ejuſdem, ſed ob æmulationẽ infeſtus, comparavit

O inſi-

inſidias, invitatumque ad epulas, per Boxum quendamMacerianum in convivio occidit. Poſtero die concione advocata, Bicon ultro inſidiatum ſibi Athenodorum pleriſque perſuaſerat. Sed aliis ſuſpecta fraus erat Biconis, & paulatim in plures cœpit manare ſuſpicio. Itaque Græci milites arma capiunt, occiſuri Biconem, ſi daretur occaſio. Cęteri principes eorum iram multitudinis mitigaverunt. Præter ſpem ſuam Bicon præſenti periculo ereptus, paulo poſt inſidiatus authoribus ſalutis ſuæ eſt: cujus dolo cognito, & ipſum cōprehenderunt, & Boxum. Cæterum Boxum protinus placuit interfici, Biconem etiam per cruciatum necari. Iamq; corpori tormenta admovebantur, cum Græci milites, incertum ob quam cauſam, lymphatis ſimiles ad arma diſcurrunt. quorum fremitu exaudito, qui torquere Biconem juſſerant, omiſere, veriti ne id facere tumultuantium vociferatione prohiberentur. Ille, ſicut nudatus erat, pervenit ad Græcos, & miſerabilis facies ſupplicio deſtinati in diverſum animos repente mutavit, dimittiq; eum juſſerunt. Hoc modo pœna bis liberatus, cum cæteris, qui colonias à Rege attributas reliquerūt, revertit in patriam. Hæc circa Bactra & Scytharum terminos geſta. Interim Regem duarum gentium (de quibus ante dictum eſt) centum legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu, lineæ veſtes intextæ auro, purpuraque diſtinctæ. Ei ſe dedere ipſos, urbes, agroſque referebant, per tot ætates inviolatam libertatem illius primùm fidei ditionique permiſſuros. Deos ſibi deditionis authores, non metum: quippe intactis viribus jugum excipere.

pere. Rex, conſilio habito, deditos in fidem accepit, ſtipendio, quod Arachoſiis utraque natio penſitabat, impoſito. Præterea duo millia & D. equites imperati: & omnia obedienter à Barbaris facta. Invitatis deinde ad epulas legatis gentium, reguliſque, exornari convivium juſſit. Centum aurei lecti modicis intervallis poſiti erant. lectos circumdederant aulæa, purpura auroque fulgentia: quidquid aut apud Perſas vetere luxu, aut apud Macedonas nova immutatione corruptum erat, confuſis utriuſque gentis vitiis in illo convivio oſtendens. Intererat epulis Dioxippus Athenienſis, pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium jam Regi pernotus & gratus. Invidi malignique increpabant per ſeria & ludum, ſaginati corporis ſequi inutilem belluam; cum ipſi prœlium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis. Eadem igitur in convivio Horratas Macedo jam temulentus exprobrare ei cœpit, & poſtulare, ut ſi vir eſſet, poſtero die ſecum ferro decerneret: Regem tandem vel de ſua temeritate, vel de illius ignavia judicaturum. Et à Dioxippo contemptim militarem eludente ferociam, accepta conditio eſt. Ac poſtero die Rex, cum etiam acrius certamen expoſcerent, quia deterrere non poterat, deſtinata exſequi paſſus eſt. Ingens hic militum, inter quos erant Græci, qui Dioxippo ſtudebant, convenerat multitudo. Macedo juſta arma ſumpſerat; ęreum clypeum, haſtam, quam fariſſam vocant, læva tenens; dextra lanceam: gladioque cinctus, velut cum pluribus ſimul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens, & coronatus, læva puniceum amiculum, dextra validum nodoſumque ſtipitem præfe-

rebat. Ea ipſa res omnium animos exſpectatione ſuſpenderat: quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas videbatur. Igitur Macedo haud dubius emin⁹ interfici poſſe, lanceam emiſit: quam Dioxippus cùm exigua corporis declinatione vitaſſet, antequam ille haſtam transferret in dextram, aſſiluit, & ſtipite mediam eam fregit. Amiſſo utroque telo, Macedo gladium cœperat ſtringere: quem occupatum complexu, pedibus repente ſubductis, Dioxippus arietavit in terram: ereptoque gladio, pedem ſuper cervicem jacentis impoſuit, ſtipitem intentans, eliſuruſque eo victum, ni prohibitus eſſet à Rege. Triſtis ſpectaculi eventus non Macedonibus modo ſed etiam Alexandro fuit, maxime quia Barbari affuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidiſſe. Hinc ad criminationem invidorum adapertæ ſunt aures Regis. Et poſt paucos dies inter epulas aureum poculum ex compoſito ſubducitur: miniſtrique quaſi amiſiſſent, quod amoverant, Regem adeunt. Sæpe minus eſt conſtantiæ in rubore, quam in culpa. Conjectum oculorum, quibus ut fur deſtinabatur. Dioxippus ferre non potuit. Et cum exceſſiſſet convivio, litteris conſcriptis, quæ Regi redderentur, ferro ſe interemit. Graviter mortem ejus tulit Rex, exiſtimans indignationis eſſe non pœnitentię teſtem, utique poſteaquam falſo inſimulatum eum, nimium invidorum gaudium oſtendit.

8 Indorum legati dimiſſi domos, paucis poſt diebus cum donis revertuntur. CCC. erant equi, M XXX. currus, quos quadrijugi equi ducebant: Lineæ veſtis aliquantum, mille ſcuta Indica,

dica,& ferri candidi talenta centum, leoneſque raræ magnitudinis,& tigres; utrumque animal ad manſuetudinem domitum. Lacertarum quoque ingentium pelles, & dorſa teſtudinum. Cratero deinde imperat Rex, haud procul amne,per quem erat ipſe navigaturus, copias duceret. Eos autem, qui comitari eum ſolebant, imponit in naves,& in finesMallorum ſecundo amne devehitur. Inde Sabracas adiit, validam Indiæ gentem,quę populi,non Regum imperio regebatur. Sex millia peditum habebant, equitum octo millia : has copias currus D. ſequebantur.Tres duces ſpectatos virtute bellica elegerant. At qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos maxime in ripa habebant)ut videre totum amnem,qua proſpici poterat,navigiis conſtratum,&tot militum arma fulgentia, territi nova facie, Deorum exercitum, & alium Liberum Patrem, celebre in illis gentibus nomen, adventare credebant. Hinc militum clamor, hinc remorum pulſus, variæque nautarum voces hortantium pavidas aures impleverant. Ergo univerſi ad eos,qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, & cum Diis prœlium inituros. Navigia non poſſe numerari, quæ invictos veherent. Tantumque in exercitum ſuorum intulere terroris, ut legatos mitterent, gentem dedituros. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes quarto die pervenit.Nihilo plus animi his fuit,quam cęteris fuerat. Itaque oppido ibi condito, quod Alexandriam appellari juſſerat,fines eorum, qui Muſicani appellantur, intravit. Hic de Teriolte Satrape, quem Parapamiſadis præfecerat, iiſdem arguentibus,cognovit: multaque avare, ac ſu-

perbe feciſſe convictum, interfici juſſit. Oxyatres Prætor Bactrianorum non abſolutus modo, ſed etiam jure amplioris imperii donatus eſt. Finibus Muſicanis deinde in ditionem redactis, urbi eorum imperium impoſuit. Inde Præſtos, & ipſam Indiæ gentem perventum eſt. Oxycanus Rex erat, qui ſe munitæ urbi cum magna manu popularium incluſerat. Hanc Alexander, tertio die, quam cœperat obſidere, expugnavit. Et Oxycanus cum in arcem confugiſſet, legatos de conditione deditionis miſit ad Regem. Sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore prociderant, per quarum ruinas Macedones evaſere in arcem: qua capta, Oxycanus cum paucis repugnans occiditur. Diruta igitur arce, & omnibus captivis venundatis, Sabi Regis fines ingreſſus eſt. Multiſque oppidis in fidem acceptis, validiſſimam gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris ſimile monſtri viſum eſt, rudibus militarium operum. quippe in media ferme urbe è terra exiſtebant, nullo ſuffoſſi ſpecus antè veſtigio facto. Octo millia Indorum in ea regione cæſos Clitarchus eſt autor, multoſque captivos ſub corona veniſſe. Rurſus Muſicani defecerunt, ad quos opprimendos miſſus eſt Pithon, qui captum principem gentis, eundemque defectionis autorem, adduxit ad Regem. Quo Alexander in crucem ſublato, rurſus amnem, in quo claſſem exſpectare ſe juſſerat, repetit. Quarto deinde die ſecundo amne pervenit ad oppidum, qua iter in regnum erat Sami. Nuper ſe ille dediderat, ſed oppidani detrectabant imperium, & clauſerant portas. Quorum paucitate contempta, Rex D. Agrianos mœnia ſubire juſ-

ſerat,

ſerat, & ſenſim recedentes elicere extra muros hoſtem, ſecuturum profectò, ſi fugere eos crederet. Agriani (ſicut imperatum erat) laceſſito hoſte, ſubito terga verterunt: quos Barbari effuſe ſequentes, in alios, inter quos ipſe Rex erat, incidunt. Renovato ergo prœlio, ex tribus millibus Barbarorum ſexcenti cæſi ſunt, mille capti, cæteri mœnibus urbis incluſi. Sed non ut prima ſpecie læta victoria, ita eventus quoque fuit: quippe Barbari veneno tinxerant gladios. Itaque ſaucii ſubinde exſpirabant. Nec cauſa tam ſtrenuæ mortis excogitari poterat à medicis, cum etiam leves plagæ inſanabiles eſſent. Barbari autem ſperaverant, incautum & temerarium Regem excipi poſſe; & forte inter promptiſſimos dimicans, intactus evaſerat. Præcipue Ptolemæus lævo humero leviter quidem ſaucius, ſed majore periculo quam vulnere affectus, Regis ſolicitudinem in ſe converterat. Sanguine conjunctus erat, & quidam Philippo genitum eſſe credebant; certe pellice ejus ortum conſtabat. Idem corporis cuſtos, promptiſſimuſque bellator, & pacis artibus quam militiæ major & clarior, modico civiliq; cultu, liberalis inprimis adituque facilis, nihil ex faſtu regio aſſumpſerat. Ob hæc Regi an popularibus charior eſſet dubitari poterat: tum certe primum expertus ſuorum animos, adeo ut fortunam, in quam poſtea aſcendit, in illo periculo Macedones ominati eſſe videantur. Quippe non levior illis Ptolemæi fuit cura, quam Regis, qui & prælio & ſolicitudine fatigatus cum Ptolemæo aſſideret, lectum, in quo ipſe acquieſceret, juſſit inferri. In quem ut ſe recepit, protinus altior inſecutus eſt ſomnus. Ex quo excita-

tus, per quietem vidiſſe ſe exponit ſpeciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium eſſe monſtraſſet. Colorem quoque herbæ referebat, agniturum, ſi quis reperiſſet, affirmans; inventamque deinde, quippe a multis erat requiſita, vulneri impoſuit: protinuſque dolore finito, intra breve ſpacium cicatrix quoque obducta eſt. Barbaros ut prima ſpes fefellerat, ſeipſos urbemque dediderunt. Hinc in proximam gentem Pathalyam perventum eſt. Rex erat Mœris, qui urbe deſerta in montes profugerat. Itaque Alexander oppido potitur, agroſque populatur. Magnæ inde prædæ actæ ſunt pecorum armentorumque, magna vis reperta frumenti. Ducibus deinde ſumptis amnis peritis, defluxit ad inſulam medio ferme alveo enatam.

9 Ibi diutius ſubſiſtere coactus, quia duces ſocordius aſſervati profugerant, miſit qui conquirerent alios: nec repertis pervicax cupido inceſſit viſendi Oceanum, adeundiq; terminos mundi ſine regionis peritis, flumini ignoto caput ſuum, totque fortiſſimorum virorum ſalutem permittere. Navigabant ergo, omnium, per quæ ferebantur ignari; quantum inde abeſſet mare, quæ gentes colerent, quam placidum amnis os, quam patiens longarum navium eſſet, anceps & cœca æſtimatio augurabatur. Vnum erat temeritatis ſolatium, perpetua felicitas. Iam cccc. ſtadia proceſſerant, cum gubernatores agnoſcere ipſos auram maris, & haud procul videri ſibi Oceanum abeſſe, indicant Regi. Lætus ille hortari nauticos cœpit, *incumberent remis, adeſſe finem laboris omnibus votis expetitum. Iam nihil gloriæ deeſſe, nihil obſtare virtuti.*

virtuti. Sine ullo Martis diſcrimine, ſine ſanguine orbem terræ ab illis capi. Nec naturam quidem longius poſſe procedere. Brevi incognita, niſi immortalibus, eſſe viſuros. Paucos tamen navigio emiſit in ripam, qui agreſtes vagos exciperent, è quibus certiora noſci poſſe ſperabat. Illi ſcrutati omnia tuguria, tandem latentes repererc. Qui interrogati quam procul abeſſent mari, reſponderunt nullum ipſos mare ne fama quidem accepiſſe. Cæterum tertio die perveniri poſſe ad aquam amaram, quæ corrumperet dulcem. Intellectum eſt mare deſtinari ab ignaris naturæ ejus. Itaq; ingenti alacritate nautici remigant, & proximo quoque die, quo propius ſpes admovebatur, creſcebat ardor animorum. Tertio jam die mixtum flumini ſubibat mare, leni adhuc æſtu eonfundente diſpares undas. Tum aliam inſulam medio amni ſitam evecti paulo lenius, quia curſus æſtu reverberabatur, applicant claſſem, & ad commeatus petendos diſcurrunt, ſecuri caſus ejus, qui ſupervenit ignaris. Tertia ferme hora erat, cum ſtata vice Oceanus exæſtuans invehi cœpit, & retro flumen urgere. Quod primo coërcitum, deinde vehementius pulſum, majore impetu adverſum agebatur, quam torrentia præcipiti alveo incurrunt. Ignota vulgo freti natura erat, monſtraque, & iræ Deûm indicia cernere videbantur. Identidem intumeſcens mare, & in campos paulo ante ſiccos deſcendere ſuperfuſum. Iamque levatis navigiis, & tota claſſe diſperſa, qui expoſiti erant, undique ad naves trepidi & improviſo malo attoniti recurrunt. Sed in tumultu feſtinatio quoque tarda eſt. Hi contis navigia appellebant, hi dum remos aptari prohibebant,

conſederant. Quidam enavigare properante ſed non exſpectatis qui ſimul eſſe debeban clauda & inhabilia navigia languide moliebar tur. Aliæ navium inconſulte ruentes non rece perant, pariterque & multitudo & paucitas fe ſtinantes morabatur. Clamor hinc exſpectare hinc ire jubentium, diſſonæque voces nuſquan idem ac unum tendentium, non oculorun modo uſum, ſed etiam aurium abſtulerant. Ne in gubernatorib⁹ quidem quidquam opis erat quorum nec exaudiri vox à tumultuantibu poterat, nec imperium à territis incompoſitiſq ſervari. Ergo collidi inter ſe naves abſtergerique invicem remi, & alii aliorum navigia urgere cœperunt. Crederes non unius exercitus claſſem vehi, ſed duorum navale iniſſe certamen. Incutiebantur puppibus proræ, premebantur à ſequentibus, qui antecedentes turbaverant. Iurgantium ira perveniebat etiam ad manus. Iamque æſtus totos circa flumen campos inundaverat, tumulis duntaxat eminentibus, velut inſulis parvis, in quos plerique trepidi, omiſſis navigiis enare cœperunt. Diſperſa claſſis partim in præalta aqua ſtabat, qua ſubſederant valles, partim in vado hærebat, utcunque inæquale terræ faſtigium occupaverant undæ; cum ſubito novus & priſtino major terror incutitur. Reciprocare cœpit mare, magno tractu aquis in ſuum fretum recurrentibus, reddebatque terras paulo ante profundo ſalo merſas. Igitur deſtituta navigia, alia præcipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi ſarcinis, armis, avulſarum tabularum remorumq; fragmentis. Miles nec egredi in terram, nec in naves ſubſiſtere audebat, identidem præſentibus

ſentibus

ſentibus graviora quæ ſequerentur exſpectans. Vix quæ perpetiebantur, videre ipſos credebant: in ſicco naufragia, in amni mare, nec finis malorum. Quippe æſtum paulo pòſt mare relaturum, quo navigia allevarentur, ignari, famem & ultima ſibimet ominabantur. Belluæ quoque fluctibus deſtitutæ, terribiles vagabantur. Iamque nox appetebat, & Regem quoque deſperatio ſalutis ægritudine affecerat. Non tamen invictum animum curæ obruunt, quin tota nocte præſideret in ſpeculis, equiteſque præmitteret ad os amnis, ut cum mare rurſus exæſtuare ſenſiſſent, procederent. Navigia quoque lacerata refici, & everſa fluctibus erigi jubet, paratoſque eſſe & intentos cum rurſus mare terras inundaſſet. Tota ea nocte inter vigilias adhortationeſque conſumpta, celeriter equites ingenti curſu refugere, & ſecutus eſt æſtus. Qui primo, aquis leni tractu ſubeuntibus, cœpit levare navigia: mox totis campis inundans, etiam impulit claſſem: plauſuſque militum nauticorumque inſperatam ſalutem immodico celebrantium gaudio, litoribus ripiſque reſonabat. Vnde tantum rediiſſet ſubito mare, quo pridie refugiſſet, quænam eſſet ejuſdem elementi natura, modo diſcors, modo imperio temporum obnoxia, mirabundi requirebant. Rex cum ex eo, quod acciderat, conjectaret, poſt ſolis ortum ſtatum tempus eſſe, media nocte, ut æſtum occuparet, cum paucis navigiis ſecundo amne defluxit: evectuſque os ejus, cccc. ſtadia proceſſit in mare; tandem voti ſui compos, præſidibus & maris, & locorum Diis ſacrificio facto, ad claſſem rediit.

10 Hinc adverſum flumen ſubiit claſſis, & altero

altero die appulſa eſt haud procul lacu ſalſo, cujus ignota natura pleroſque decepit temere ingreſſos aquam; quippe ſcabies corpora invaſit, & contagium morbi etiam in alios vulgatum eſt. Oleum remedio fuit. Leonato deinde præmiſſo, ut puteos foderet, qua terreſtri itinere ducturus exercitum videbatur (quippe ſicca erat regio) ipſe cum copiis ſubſtitit, vernum tempus exſpectans. Interim & urbes pleraſque condidit. Nearcho atque Oneſicrito, nauticæ rei peritis, imperavit, ut validiſſimas navium deducerent in Oceanum, progreſſique quoad tuto poſſent, naturam maris noſcerent: vel eodem amne, vel Euphrate ſubire eos poſſe, cum reverti ad ſe vellent. Iamque mitigata hyeme, & navibus, quæ inutiles videbantur, crematis, terrâ ducebat exercitum. Nonis caſtris in regionem Abaritarum, inde totidem diebus in Cedruſiorum regionem perventum eſt. Liber hic populus, conſilio habito, dedidit ſe, nec quidquam deditis præter commeatus imperatum eſt. Quinto hinc die venit ad flumen: Arabon incolæ appellānt. Regio deſerta, & aquarum inops excipit, quam emenſus in Horritas tranſit. Ibi majorem exercitus partem Hephæſtioni tradidit, levam armaturam cum Ptolemæo Leonatoque partitus eſt. Tria ſimul agmina populabantur Indos, magnæque prædę actę ſunt. Maritimos Ptolemæus, cæteros ipſe Rex, & ab alia parte Leonatus urebant. In hac quoque regione urbem condidit, deductique ſunt in eam Arachoſii. Hinc pervenit ad maritimos Indos. deſertam vaſtamque regionem late tenent, ac ne cum finitimis quidem ullo cōmercii jure miſcentur. Ipſa ſolitudo naturâ quoque

immitia

immitia efferavit ingenia. Prominent ungues nunquam reciſi. Comæ hirſutæ, & intonſæ ſunt. Tuguria conchis & cæteris purgamentis maris ſtruunt. Ferarum pellibus tecti, piſcibus ſole duratis, & majorum quoque belluarum, quas fluctus ejicit, carne veſcuntur. Conſumptis igitur alimentis, Macedones primo inopiam, deinde ad ultimum famem ſentire cœperunt; radices palmarum (namque ſola ea arbor gignitur) ubique rimantes. Sed cum hæc quoque alimenta defecerant, jumenta cædere aggreſſi, ne equis quidem abſtinebant. & cum deeſſent, quæ ſarcinas veherent, ſpolia de hoſtibus, propter quæ ultima Orientis peragraverant, cremabant incendio. Famem deinde peſtilentia ſecuta eſt: quippe inſalubrium ciborũ novi ſucci, ad hoc itineris labor, & ægritudo animi, vulgaverant morbos, &, nec manere ſine clade, nec progredi poterant. Manentes fames, progreſſos acrior peſtilentia urgebat. Ergo ſtrati erant campi pene pluribus ſemivivis, quam cadaveribus. Ac ne levius quidẽ ægri ſequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum ſingulis ad ſpem ſalutis ipſos proficere credentibus, quantum itineris feſtinando præciperent. Igitur qui defecerant, notos ignotoſque, ut allevarentur, orabant. Sed nec jumenta erant, quibus excipi poſſent, & miles vix arma portabat, imminentiſq; etiam ipſis facies mali ante oculos erat. Ergo ſæpius revocati ne reſpicere quidẽ ſuos ſuſtinebant, miſericordia in formidinem verſa. Illi relicti, Deos teſtes, ſacra communia, Regiſq; implorabant opem. cumque fruſtra ſurdas aures fatigarent, in rabiem deſperatione verſi, parem ſuo exitum, ſimileſque

que ipſis amicos & contubernales precabantur. Rex dolore ſimul ac pudore anxius, quia cauſa tantæ cladis ipſe eſſet, ad Phrataphernem Parthinorum Satrapem miſit, qui juberet camelis cocta cibaria afferre. Alios quoque finitimarum regionum Præfectos, certiores neceſſitatis ſuæ fecit: nec ceſſatum eſt ab his. Itaq; fame duntaxat vindicatus exercitus, tandem in Cedroſię fines perducitur. Omnium rerum ſola fertilis regio eſt, in qua ſtativa habuit, ut vexatos milites quiete firmaret. Hic Leonati litteras accipit, conflixiſſe ipſum cum octo millibus peditum, & quingentis equitibus Oritarum, proſpero eventu. A Cratero quoque nuntius venit, Ozinem & Zariaſpem nobiles Perſas defectionem molientes, oppreſſos à ſe, in vinculis eſſe. Præpoſito igitur regioni Siburtio (namque Memnon Præfectus ejus nuper interierat morbo) in Carmaniam ipſe proceſſit. Aſpaſtes erat Satrapes gentis, ſuſpectus res novare voluiſſe, dum in India Rex eſſet. Quem occurrentem, diſſimulata ira, comiter allocutus, dum exploraret quæ delata erant, in eodem honore habuit: cum Indiæ Præfecti (ſicut imperatum erat) equorum, jumentorum, jugaliumque vim ingentem, ex omni, quæ ſub imperio erat, regione miſiſſent, quibus deerant impedimenta, reſtituit. Arma quoque ad priſtinum refecta ſunt cultum: quippe haud procul à Perſide aberant, non pacata modo, ſed etiam opulenta. Igitur (ut ſupra dictum eſt) æmulatus Patris Liberi, non gloriam ſolum, quam ex illis gentibus deportaverat, ſed etiam famam; ſive illud triumphus fuit ab eo primùm inſtitutus, ſive bacchantium luſus; ſtatuit imitari, animo ſuper

per humanum faſtigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus coroniſque ſterni jubet. Liminibus ædium crateras vino repletos,& alia eximiæ magnitudinis vaſa diſponi. Vehicula deinde conſtrata, ut plures capere milites poſſent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veſte pretioſa. Primi ibant amici, & cohors regia, variis redimita floribus coroniſque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ ſonus audiebatur : item in vehiculis pro copia cujuſque adornatis, comeſſabundus exercitus, armis, quæ maxime decora erant, circumpendentibus, ipſum convivaſque currus vehebat, crateris aureis ejuſdemque materiæ ingentibus poculis prægravis. Hoc modo per dies ſeptem bacchabundum agmen inceſſit. Parta præda, ſi quid victis ſaltem adverſus comeſſantes animi fuiſſet, mille hercule viri, modo & ſobrii, ſeptem dierum crapula graves in ſuo triumpho capere potuerunt. Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumque conſtituit, hic quoque militiæ probrum vertit in gloriam. Et præſens ætas, & poſteritas deinde mirata eſt, per gentes nondum ſatis domitas inceſſiſſe temulentos, Barbaris, quod temeritas erat, fiduciam eſſe credentibus. Hunc apparatum carnifex ſequebatur. Quippe Satrapes Aſpaſtes (de quo ante dictum eſt) interfici juſſus eſt. adeo nec luxuriæ quidquam crudelitas , nec crudelitati luxuria obſtat.

LIBER X.

BREVIARIVM LIBRI.

1 *CLeander & alii duces delictorum veniam impetrant, dum nonnulli minus facinoroſi puniuntur. Alexandri conſilium de Occidentali Europæ parte perluſtranda: liberalitas erga Abiſaris filium: & in Orſinem nobiliſſimum Satrapam; crudelitas.*

2 *Dum turbatum Græciæ ſtatum pacare, & ex militibus (ære alieno liberatis) alios remittere domum, alios retinere cogitat, in caſtris oritur ſeditio: quam gravi oratione & regia autoritate compeſcit.*

3 *Seditioſis ſupplicio affectis, totius exercitus diſſipat conſilia, & Perſis credit corporis ſui cuſtodiam.*

4 *Oratio Macedonis militis vincti. Conjuratio in Alexandrum qui veneno extinguitur.*

5 *Dicta & geſta ejuſdem ante obitum: quantum à ſuis fuerit deſideratus: præcipue vero à Darii matre. quæ dolori ſuccumbens, paulo poſt extincta eſt. Alexandri elogium.*

6 *De ſucceſſore Alexandri in Magnates conſultatio, & variæ ſententiæ.*

7 *Aridæus, Philippo genitus, Meleagro promovente, à quibuſdam rex ſalutatur. Unde civilis belli ſemina.*

8 *Primarii duces Meleagri artibus occurrunt. Aridæus autem, pacis ſtudioſus, tumultum componere media quadam ratione conatur.*

9 *Perdiccas Meleagrum & trecentos fere alios, qui eum ſequuti fuerant, dolo opprimit.*

10 *Alexandri imperium in partes diviſum. cujus ſumma Aridæo tributa; Provinciæ autem Magna-*

Magnatibus. Defuncti corpus ab amicis curatum, & tandem Alexandriam Ægypti tranſlatum eſt.

ISDEM fere diebus Cleander & Sitalces, & cum Agathone Heracon ſuperveniunt, qui Parmenionem juſſu Regis occiderant, quinq; millia peditum cum equitibus mille. Sed & accuſatores eos è provincia, cui præfuerant, ſequebantur: nec tot facinora, quot admiſerant, compenſare poterant cædis perquam gratę Regi miniſterio. Quippe cum omnia profana ſpoliaſſent, ne ſacris quidem abſtinuerant: virgineſq; & principes fœminarum ſtupra perpeſſæ, corporum ludibria deflebant: inviſum Macedonum nomen avaritia eorum ac libido Barbaris fecerat. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem virginem conſtupratam ſervo ſuo pellicem dederat. Plerique amicorum Alexandri, non tam criminum, quę palam objiciebantur, atrocitatem, quam memoriam occiſi per eos Parmenionis, quod tacitum prodeſſe reis apud Regem poterat, intuebantur, læti recidiſſe iram in iræ miniſtros, nec ullam potentiam ſcelere quæſitã cuiquam eſſe diuturnam. Rex, cognita cauſa, pronuntiavit, ab accuſatoribus unum & id maximum crimen eſſe præteritum, deſperationem ſalutis ſuæ. nunquam enim talia auſuros, qui ipſum ex India ſoſpitem aut optaſſent reverti, aut crediſſent reverſurum. Igitur hos quidem vinxit: DC. autem militum, qui ſævitiæ eorum miniſtri fuerant, interfici juſſit. Eodem die ſumptũ eſt ſupplicium de his quoque, quos autores defectionis Perſarum Craterus adduxerat. Haud multo

multo poſt Nearchus & Oneſicritus, quos longius in Oceanum procedere juſſerat, ſuperveniunt. Nuntiabant autem quædam audita, alia comperta: Inſulam oſtio amnis ſubjectam auro abundare, inopem equorũ eſſe: ſingulos equos ab iis, qui ex continenti trajicere auderent, ſingulis talentis emi. Plenum eſſe belluarum mare, æſtu ſecundo eas ferri, magnarum navium corpora æquantes: truci cantu deterritas, ſequi claſſem cum magno æquoris ſtrepitu, velut demerſa navigia ſubiſſe aquas. Cætera incolis crediderant: inter quæ Rubrum mare, non à colore undarum, ut pleriq; crederent, ſed ab Erythro Rege appellari. Eſſe haud procul à continenti inſulam palmetis frequentibus cõſitam, & in medio fere nemore columnam eminere Erythri Regis monumentum, litteris gentis ejus ſcriptam. Adjiciebant, navigia quæ lixas mercatoreſq; vexiſſent, famam auri ſecutis gubernatoribus, in inſulam eſſe tranſmiſſa, nec deinde ab his poſtea viſa. Rex cognoſcendi plura cupidine accenſus, rurſus eos terram legere jubet, donec ad Euphratem appellerent claſſem; inde adverſo amne Babylonem ſubituros. Ipſe animo infinita complexus, ſtatuerat, omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infenſus: inde Numidiæ ſolitudinibus peragratis, curſum Gadis dirigere. ibi namq; columnas Herculis eſſe, fama vulgaverat. Hiſpanias deinde, quas Iberiam Græci à flumine Ibero vocabant, adire, & prætervehi Alpes, Italiæque oram, unde in Epirum brevis curſus eſt. Igitur Meſopotamiæ Prætoribus imperavit, materia in Libano monte cæſa, devectaque ad urbem Syriæ Capſagas,

gas, ingentium carinas navium ponere, ſepti-remes omnes eſſe, deducique Babylonem. Cypriorum Regibus imperatum, ut æs ſtupamque & vela, præberent. Hæc agenti, Pori & Taxilis Regum litteræ traduntur, Abiſarem morbo, Philippum Præfectum ipſius ex vulnere interiſſe, oppreſſoſque, qui vulneraſſent eum. Igitur Philippo ſubſtituit Eudæmonem, dux erat Thracum. Abiſaris regnum filio ejus attribuit. Ventum eſt deinde Paſargadas: Perſica eſt gens, cujus Satrapes Orſines erat, nobilitate ac divitiis inter omnes Barbaros eminens. Genus ducebat à Cyro quondam Rege Perſarum. Opes & à majoribus traditas habebat, & ipſe longa imperii poſſeſſione cumulaverat. Is Regi cum omnis generis donis, non ipſi modo ea, ſed etiam amicis ejus daturus, occurrit. Equorum domiti greges ſequebantur, curruſque argento & auro adornati. pretioſa ſupellex, nobiles gemmæ, aurea magni ponderis vaſa, veſteſque purpureæ, & ſignati argenti talentûm quatuor millia. Cęterum tanta benignitas Barbaro cauſa mortis fuit. Nam cum omnes amicos Regis donis ſuper ipſorum vota coluiſſet; Bagoæ ſpadoni, qui Alexandrum obſequio corporis devinxerat ſibi, nullum honorem habuit: admonituſque à quibuſdam, quam Alexandro cordi eſſet, reſpondit, Amicos Regis, non ſcorta, ſe colere: nec moris eſſe Perſis, mares ducere, qui ſtupro effœminarentur. His auditis, ſpado potentiam flagitio & dedecore quæſitam, in caput nobiliſſimi & inſontis exercuit. Namque gentis ejuſdem leviſſimos falſis criminibus aſtruxit, monitos, tum demum ea deferre, cum ipſe juſſiſſet. Interim, quoties ſine arbitris erat, credulas

credulas Regis aures implebat, diſſimulans cauſam iræ, quo gravior criminantis autoritas eſſet. Nondum ſuſpectus erat Orſines: jam tamen vilior. Reus enim in ſecreto agebatur, latentis periculi ignarus: & importuniſſimum ſcortum, ne in ſtupro quidem & dedecoris patientia fraudis oblitum, quoties amorem Regis in ſe accenderat, Orſinem, modo avaritiæ, interdum etiam defectionis, arguebat. Iam matura erant in perniciem innocentis mendacia, & fatum, cujus inevitabilis ſors eſt, appetebat. Forte enim ſepulchrum Cyri Alexander juſſit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum eſſe crediderat: quippe ita fama Perſæ vulgaverant. Sed præter clypeum ejus putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperit. Cæterum corona aurea impoſita, amiculo cui aſſueverat ipſe, ſolium, in quo corpus jacebat, velavit: miratus tanti nominis Regem, tantis præditum opibus, haud pretioſius ſepultum eſſe, quam ſi fuiſſet è plebe. Proximus erat lateri ſpado, qui Regem intuens, Quid mirum, inquit, eſt, inania ſepulchra eſſe Regum, cum Satraparum domus aurum inde egeſtum capere non poſſint? Quod ad me attinet, ipſe hoc buſtum antea non videram, ſed ex Dario ita accepi, tria millia talentûm condita eſſe cum Cyro. Hinc illa benignitas in te, ut, quod impune habere non poterat Orſines, donando etiam gratiam iniret. Cõcitaverat jam animum in iram, cum hi, quibus negotium idem dederat, ſuperveniunt. Hinc Bagoas, hinc ab eo ſubornati, falſis criminibus occupant aures. Antequam accuſari ſe ſuſpicaretur Orſines, in vincula traditus

ditus eſt. Non contentus ſupplicio inſontis ſpado, ipſe morituro manum injecit. Quem Orſines intuens, *Audieram,* inquit, *in Aſia olim regnaſſe fœminas: hoc vero novum eſt, regnare caſtratum.* Hic fuit exitus nobiliſſimi Perſarum, nec inſontis modo, ſed eximiæ quoque benignitatis in Regem. Eodem tempore Phradates regnum affectaſſe ſuſpectus occiditur. Cœperat eſſe præceps ad repræſentanda ſupplicia; idem, ad deteriora credenda. Sic ſcilicet res ſecundæ valent commutare naturam, & raro quiſquam erga bona ſua ſatis cautus eſt. Idem enim paulo antè Lynceſtem Alexandrum delatum à duobus indicibus damnare non ſuſtinuerat. Humiliores quoque reos, contra ſuam voluntatem, quia cæteris videbantur inſontes, paſſus abſolvi, hoſtibus victis regna reduxerat. Ad ultimum à ſemetipſo degeneravit uſque adeo, ut adverſus libidinem animi, arbitrio ſcorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam. Iiſdem fere diebus litteras à Cœno accipit de rebus in Europa geſtis, dum ipſe Indiam ſubigit. Zopyrio Thraciæ præpoſitus, dum expeditionem in Getas faceret, tempeſtatibus procelliſque ſubito coortis cum toto exercitu oppreſſus erat. Qua cognita clade, Seuthes, Odryſas populares ſuos ad defectionem compulerat. Amiſſa propemodum Thracia, ne Græcia quidem. * . . . .

2 Igitur triginta navibus Sunium tranſmittunt, promontorium eſt Atticæ terræ, unde portum urbis petere decreverant. His cognitis, Rex Arpalo Athenienſibuſque juxta infeſtus, claſſem parari jubet; Athenas protinus petiturus. Quod conſilium dum agitat, clam litteræ

eired-

ti redduntur, Arpalum intraſſe quidem Athenas, pecunia conciliaſſe ſibi principum animos: mox conſilio plebis habito, juſſum urbe excedere, ad Græcos milites perveniſſe, à quibus interceptum & trucidatum à quodam viatore per inſidias. His lætus in Europam trajiciendi conſilium omiſit. Sed exules, præter eos qui civili ſanguine aſperſi erant, recipi ab omnibus Græcorum civitatibus, queis pulſi erant, juſſit. Et Græci haud auſi imperium aſpernari, quanquam ſolvendarum legum id principium eſſe cenſebant, bona quoq;, quæ exſtarent, reſtituêre damnatis. Soli Athenienſes, non ſuæ modo, ſed etiam publicæ vindices, libertatis, colluvionem hominum, quia ægre ferebant, non regio imperio, ſed legibus moribuſque patriis regi aſſueti, prohibuere finibus. Igitur exſules ejiciunt; omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis ſuæ, tunc etiam exilii, admitterent. Alexander ſenioribus militum in patriam remiſſis, tredecim millia peditum, & duo millia equitum, quæ in Aſia retineret, eligi juſſit; exiſtimans modico exercitu continere poſſe Aſiã. quia pluribus locis præſidia diſpoſuiſſet: nuperque conditas urbes, quas colonis repleſſet, res renovare cupientibus obſtare. Cæterum, priuſquam excerneret quos erat retenturus, edixit, ut omnes milites æs alienum profiterentur. Grave pleriſque eſſe compererat. Et quanquam ipſorum luxu contractum erat, diſſolvere tamen ipſe decreverat. Illi tentari ipſos rati: quo facilius ab integris ſumptuoſos diſcerneret, prolatando aliquantum extraxerant temporis. Et Rex ſatis gnarus, profeſſioni æris pudorem, non contumaciam obſtare, menſas totis

tis caſtris poni juſſit, & decem millia talentorum proferri. Tum demum fide facta profeſſi ſunt. Nec amplius ex tanta pecunia quam c. & x x x. talenta ſuperfuêre. Adeo ille exercitus, tot ditiſſimarum gentium victor, plus tamen victoriæ quam prædæ deportavit ex Aſia. Cæterum ut cognitum eſt alios remitti domum, alios retineri, perpetuam eum regni ſedem in Aſia habiturum rati, vecordes, & diſciplinę militaris immemores, ſeditioſis vocibus caſtra complent, Regemque ferocius quam alias adorti, omnes ſimul miſſionem poſtulare cœperunt, deformia ora cicatricibus, caniciemque capitum oſtentantes. Nec aut Præfectorum caſtigatione, aut verecundia Regis deterriti, tumultuoſo clamore & militari violentia, volentem loqui inhibebant; palam profeſſi, nuſquam inde niſi in patriam veſtigium eſſe moturos. Tandem ſilentio facto, magis quia motum eſſe credebant, quam quia ipſi moveri poterant, quidnam acturus eſſet, exſpectabant. Ille, *Quid hæc*, inquit, *repens conſternatio, & tam procax atq; effuſa licentia denuntiat? Eloqui timeo, palam certe rupiſtis imperium, & precario Rex ſum, cui non alloquendi, non noſcendi, monendique, aut intuendi vos jus reliquiſtis. Equidem cum alios dimittere in patriam, alios mecum paulo poſt deportare ſtatuerim: tam illos acclamantes video qui abituri ſunt, quam hos cum quibus præmiſſos ſubſequi ſtatui. Quid hoc eſt rei? Diſpari in cauſa idem omnium clamor eſt. Pervelim ſcire, utrum qui diſcedunt, an qui retinentur, de me querantur.* Crederes uno ore omnes ſuſtuliſſe clamorem. Ita pariter ex tota concione reſponſum eſt, *Omnes queri.* Tum ille, *Non hercule*, inquit, *poteſt fieri, ut adducar, querendi ſi-*

di ſimul omnibus hanc cauſam eſſe, quam oſtenditis in qua major pars exercitus non eſt, utpote cum plures dimiſerim, quam retenturus ſum. Subeſt, nimirum, altius malum, quod omnes avertit à me. Quãdo enim Regem univerſus exercitus deſeruit? Ne ſervi quidem uno grege profugiunt dominos: ſed eſt quidam in illis pudor, à cæteris deſtitutos relinquendi. Verum ego tam furioſæ conſternationis oblitus remedia inſanabilibus conor adhibere. Omnem hercule ſpem, quam ex vobis conceperam, damno: ne ut cum militibus meis (Jam enim eſſe deſtitiſtis) ſed ut cum ingratiſſimis oportet, agere decrevi. Secundis rebus quæ circumfluunt vos, inſanire cœpiſtis obliti ſtatus ejus, quem beneficio exuiſtis meo. Digni hercule qui in eodem conſeneſcatis: quoniam facilius eſt vobis adverſam quam ſecundam regere fortunam. En tandem Illyriorum paulo ante & Perſarum tributariis, Aſiæ & tot gentium ſpolia faſtidio ſunt. Modo ſub Philippo ſeminudis, amicula ex purpura ſordent. Aurum & argentum oculi ferre non poſſunt. Lignea enim vaſa deſiderant, & ex cratibus ſcuta, rubiginemque gladiorum. Hoc cultu nitentes vos accepi, & quingenta talenta æris alieni, cum omnis regia ſupellex haud amplius quam ſexaginta talentorum eſſet, meorum operum fundamenta, quibus tamen (abſit invidia) imperium maximæ terrarum partis impoſui. Aſiæ ne pertæſum eſt, quæ vos gloria rerum geſtarum Diis pares fecit? In Europam ire properatis, Rege deſerto, cum pluribus veſtrûm defuturum viaticum fuerit, ni æs alienum luiſſem? nempe in Aſiatica præda. Nec pudet profundo ventre devictarum gentium ſpolia circumferentes reverti velle ad liberos conjugeſque, quibus pauci præmia victoriæ poteſtis oſtendere. Nam cæterorum, dum etiam ſpei veſtræ obviam iſtis, arma quoque

quoque pignori ſunt. Bonis vero militibus cariturus ſum, pellicum ſuarum concubinis. quibus hoc ſolum ex tantis opibus ſupereſt, quod impenditur. Proinde fugientibus me pateant limites: faceſſite hinc ocyus. Ego cum Perſis adeuntium terga tutabor. Neminem teneo: liberate oculos meos ingratiſſimi cives. Læti vos excipient parentes liberique, ſine veſtro Rege redeuntes? obviam ibunt deſertoribus transfugiſque? Triumphabo mehercule de fuga veſtra, & ubicunq; ero, expetam pœnas; hos, cum quibus me relinquitis, colendo, præferendoque vobis. Iam autem ſcietis, &, quantum ſine Rege valeat exercitus, & quid opis in me uno ſit. Deſilivit deinde frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen ſe immiſit, notatos quoq; qui ferociſſime oblocuti erant, ſingulos manu corripuit. Nec auſos repugnare, tredecim aſſervandos cuſtodibus corporis tradidit.

3 Quis crederet ſævam paulo ante concionem obtorpuiſſe ſubito metu? & cum ad ſupplicium videret trahi, nihil auſos graviora quam cæteros * tam effuſam antea licentiam, atque ſeditioſam militum violentiam ita compreſſam, ut non modo nullus ex omnibus irruenti Regi reſtiterit, verum etiam cuncti pavore exanimati attonitis ſimiles, quid de ipſis quoque Rex ſtatuendum cenſeret, ſuſpenſa mente exſpectarent. Itaq; * ſive nominis, quod gentes quę ſub Regibus ſunt inter Deos colunt, ſive propria ipſius veneratio, ſive fiducia tanta vi exercentis imperium, conterruit eos. Singulare certe ediderunt patientię exemplum: adeoque non ſunt accenſi ſupplicio commilitonum, cum ſub noctem interfectos eſſe noſſent, ut nihil omiſerint quod ſinguli magis obedienter ac

piefacerent. Nam cum poſtero die prohibiti aditu veniſſent, Aſiaticis modo militibus admiſſis, lugubrem totis caſtris edidere clamorem, denuntiantes, protinus eſſe morituros, ſi Rex perſeveraret iraſci. At ille pervicacis ad omnia quæ agitaſſet animi, peregrinorum militum concionem advocari jubet, Macedonibus intra caſtra cohibitis: & cum frequentes coiſſent, adhibito interprete, talem orationem habuit: *Cum ex Europa trajicerem in Aſiam, multas nobiles gentes, magnam vim hominum imperio meo me additurum eſſe ſperabam. Nec deceptus ſum, quod de his credidi famæ. Sed ad illa hoc quoque acceſſit, quod video fortes viros erga Reges ſuos pietatis invictæ. Luxu omnia fluere credideram, & nimia felicitate mergi in voluptates. At hercule munia militiæ hoc animorum corporumque robore, impigre toleratis: & cum fortes viri ſitis, non fortitudinem magis quam fidem colitis. Hoc ego non nunc primum profiteor, ſed olim ſcio. Itaque & delectum è vobis juniorum habui, & vos meorum militum corpori immiſcui. Idem habitus, eadem arma ſunt vobis. Obſequium vero & patientia imperii longe præſtantior eſt, quam cæteris. Ergo ipſe Oxatris Perſæ filiam mecum in matrimonio junxi, non dedignatus ex captiva liberos tollere. Mox deinde cum ſtirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darii filiam duxi: proximiſque amicorum autor fui, ex captivis generandi liberos, ut hoc ſacro fœdere omne diſcrimen victi & victoris excluderem. Proinde genitos eſſe vos mihi, non aſcitos milites credite. Aſia & Europa unum atque idem regnum eſt. Macedonum vobis arma do. Inveteravi peregrinam novitatem: & cives mei eſtis, & milites. Omnia eundem ducunt colorem. Nec Perſis Macedonum mores ad*

umbrare,

umbrare, nec Macedonibus Perſarum imitari indecorum eſt. Ejuſdem juris eſſe debent, qui ſub eodem Rege victuri ſunt. * Hac oratione habita, Perſis corporis ſui cuſtodiam credidit, Perſas ſatellites, Perſas apparitores fecit. Per quos cum Macedones, qui huic ſeditioni occaſionem dediſſent, vincti ad ſupplicia traherentur, unum ex iis authoritate & ætate gravem, ad Regem ita locutum ferunt.

4 * *Quouſq;*, inquit, *animo tuo, etiam per ſupplicia, & quidem externi moris, obſequeris? Milites tui, cives tui, incognita cauſa captivis ſuis ducentibus trahuntur ad pœnam. Si mortem meruiſſe judicas, ſaltem miniſtros ſupplicii muta.* Amico animo, ſi veri patiens fuiſſet, admonebatur. Sed in rabiem ira pervenerat. Itaque rurſus, nam parumper quibus imperatum erat, dubitaverant, mergi in amnem, ſicut vincti erant, juſſit. Nec hoc quidem ſupplicium ſeditionem militum movit. Namque copiarum duces atque amicos ejus manipuli adeunt; petentes, ut ſi quos adhuc priſtina noxa judicaret eſſe contactos, juberet interfici. Offerre ſe corpora iræ, trucidaret. * Poſtquam vero cognitum eſt, Perſis ducatus datos, Barbaros in varios ordines diſtributos, atque Macedonica iis impoſita nomina, ſe vero ignominioſe penitus rejectos eſſe, non jam amplius conceptum animis dolorem perferre potuerunt. Sed concurſu in regiam facto, interiori duntaxat retenta tunica, arma ante januam, pœnitentiæ ſignum, projecerunt, ac præ foribus ſtantes, intromitti ſe, ſibiq; ignoſci ſuppliciter atque flentes orabant, utq; Rex ſuppliciis ſuis potius ſaturet ſe quam contumeliis. ipſos niſi venia impetrata non diſceſſuros. Quę

cum Alexandro nuntiata eſſent, apertis regi[æ] foribus ad ipſos eſt egreſſus. Poſtquam ver[o] ipſorum ejulatum, atq; pœnitentiam, nec no[n] miſerandum atque afflictum habitum vidiſſet diu quoque collachrymatus eſt. eaque mode ſtia, ut ipſis ignoſceret, obtinuerunt. Eis deinde nunc modeſte incuſatis, nunc comiter appellatis, complures bello inutiles exautoravit, magnificentiſſimeque donatos dimiſit. Scribens quoque ad Antipatrum, Macedonię Pręfectum, eis ad ſpectanda certamina priores in theatro ſedes aſſignari, coronatoſque ſedere juſſit. Defunctorum quoque liberos pupillos paterna contrahere ſtipendia voluit, Cratero iis præpoſito: quem etiam Antipatri loco, Macedonibus, Theſſalis, Thracibuſque præeſſe juſſit, Antipatrumque cum ſupplemento tironum in Crateri locum vocavit. Iam pridem quidem Alexandro litteræ, & ab Olympiade matre, & ab Antipatro redditæ erant, ex quibus mutuam inter ipſos ſimultatem perceperat. Mater Antipatrum affectati regni inſimulabat. Antipater Olympiadem multa præter ipſius decorum gerere ſcripſerat. itaque evocari ſe valde iniquo ferens animo, Alexandrum veneno interficere ſtatuit. Peractis his rebus omnibus, Alexander ad Ecbatana Mediæ profectus, regni neceſſaria diſpoſuit, ſpectacula denuo & ſolennes indixit dies. Illis forte diebus Hephæſtion, quem Rex unice ac fratris loco diligebat, febricitans moritur. Ex quo Alexander incredibili affectus dolore, multa quæ regiam majeſtatem minime decerent, admiſiſſe dicitur. Miſerum quippe medicum, tanquam in curando negligentior fuiſſet, ſuſpendi juſſit. Super amici corpus exanime

nime ejulans procubuit, vixque inde ab amicis abſtractus eſt. Diem atque noctem luctum continuavit. Aliaque nonnulla feruntur, quæ quidem ego minime credo. Illud tamen verum eſt, quod Alexander Hephæſtioni, tanquam Heroi, ſacrificare juſſerit. In funus atque monumentum ei faciendum, pluſquam duodecim millia talentorum impenſa ſunt. Revertenti Babylonem Chaldæi vates occurrerunt, monentes ne Babylonem ingrederetur. Profectionem enim ejus per id tempus, vitæ periculum ei portendere. Quibus ſpretis, quo deſtinaverat ire pergit, Nuntiabatur enim ei, legatos ex diverſis terrarum orbis partibus, undique Babylonem confluxiſſe, ejuſque adventum exſpectare. Adeo totum orbem nominis ejus terror invaſerat, ut cunctæ gentes, velut deſtinato ſibi Regi, adularentur. Igitur tanquam conventum univerſi orbis acturus, Babylonem pervenire feſtinabat. Quo cum veniſſet, legatos omnes benigne ſuſceptos domum remiſit. Iiſdem fere diebus convivium apud Theſſalum medicum inſtitutum eſt, ad quod Rex quoque cum ſodalibus vocatus venit. Ibi nondum Herculis ſcypho epoto, repente, velut telo confixus, ingemuit. Elatus è convivio ſemianimis, tanto dolore cruciatus eſt, ut ferrum in remedia poſceret. Amici, cauſam morbi, intemperiem ebrietatis, divulgarunt. Re vera autem inſidiæ fuerunt, quarum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſit. Antipater enim præparatum venenum Caſſandro filio, qui cum fratribus Philippo & Iolla Regi miniſtrare ſolebat, dederat, præmonito eo, ne aliis quam Theſſalo & fratribus crederet. Philippus itaque & Iollas, potum Regis

præguſtare ſoliti, in aqua frigida venenum habentes, eam prægustatæ potioni Regis ſupermiſerunt. Quarto deinde die, cum milites partim mortuum ſuſpicarentur, idque celari crederent, partim ejus deſiderium ferre non poſſent, mœſti ſeſe in regiam contulerunt, ut ſibi Regis videndi copia fieret orantes, atque à cuſtodibus ex mandato Regis intromiſſi ſunt.

5 * Intuentibus lachrymæ obortæ præbuere ſpeciem, jam non Regem, ſed funus ejus, viſentis exercitus. Mœror tamẽ circumſtantium lectum eminebat. quos ut Rex aſpexit: *Invenietis*, inquit, *cum exceſſero, dignum talibus viris Regem*. Incredibile dictu, audituque, in eodem habitu corporis, in quem ſe compoſuerat cum admiſſurus milites eſſet, duraſſe, donec à toto exercitu illo ad ultimum perſalutatus eſt: dimiſſoque vulgo, velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra rejecit, propiuſque adire juſſis amicis (nam & vox deficere jam cœperat) detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, adjectis mandatis, ut corpus ſuum ad Hammonem ferri juberet. Quærentibuſq; his, cui relinqueret regnum, reſpondit, *Ei, qui eſſet optimus*. cæterum prævidere jam, ob id certamen magnos funebres ludos parari ſibi. Rurſus, Perdicca interrogante: *Quando cœleſtes honores haberi ſibi vellet*, dixit, *Tum velle, cum ipſi felices eſſent*. Suprema hæc vox fuit Regis, & paulo poſt extinguitur. Ac primò ploratu, lamentiſque, & planctibus tota regia perſonabat. Mox, velut in vaſta ſolitudine, omnia triſti ſilentio muta torpebant; ad cogitationes, quid deinde futurum eſſet, dolore converſo. Nobiles pueri cuſtodiæ corporis ejus aſſueti, nec doloris magnitudi-

gnitudinem capere, nec ſeipſos intra veſtibulum regiæ retinere potuerunt: vagique & furentibus ſimiles, totam urbem luctu ac mœrore compleverant; nullis queſtibus omiſſis, quos in tali caſu dolor ſuggerit. Ergo qui extra regiam aſtiterant, Macedones pariter Barbarique concurrunt, nec poterant victi à victoribus in communi dolore diſcerni. Perſæ juſtiſſimum ac mitiſſimum dominum; Macedones optimũ ac fortiſſimum Regem invocantes, certamen quoddam mœroris edebant. Nec mœſtorum ſolum, ſed etiam indignantium voces exaudiebantur, tam viridem & in flore ætatis fortunæque, invidia Deûm ereptum eſſe rebus humanis. Vigor ejus & vultus educentis in prœlium milites, obſidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis occurrebant oculis. Tum Macedones divinos honores negaſſe ei pœnitebat, impioſque & ingratos fuiſſe ſe confitebantur, quod aures ejus debita appellatione fraudaſſent. Et cum diu, nunc in veneratione, nunc in deſiderio Regis hæſiſſent, in ipſos verſa miſeratio eſt. Macedoniâ profecti ultra Euphratem, mediis hoſtibus novum imperium aſpernantibus, deſtitutos ſe eſſe cernebant: ſine certo Regis hærede, ſine hærede regni, publicas vires ad ſe quemque tracturum. Bella deinde civilia, quæ ſecuta ſunt, mentibus augurabantur. Iterum non de regno Aſiæ, ſed de Rege, ipſis ſanguinem eſſe fundendum. Novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices. Senes debiles modo petita miſſione à juſto Rege, nunc morituros pro potentia forſitan ſatellitis alicujus ignobilis. Has cogitationes volventibus, nox ſupervenit, terroremque auxit.

Milites in armis vigilabant. Babylonii alius è muris, alius è culmine ſui quiſque tecti proſpectabant, quaſi certiora viſuri. Nec quiſquam lumina audebat accendere. Et quia oculorum ceſſabat uſus, fremitus voceſque auribus captabant. Ac plerunque vano metu territi, per obſcuras ſemitas alius alii occurſantes, invicem ſuſpecti & ſolliciti ferebantur. Perſæ comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte cum conjugibus ac liberis, non ut victorem, & modo hoſtem, ſed ut gentis ſuæ juſtiſſimum Regem, vero deſiderio lugebant. Aſſueti ſub Rege vivere, non alium, qui imperaret ipſis, digniorem fuiſſe confitebantur. Nec muris urbis luctus continebatur, ſed proximam regionem ab ea, deinde magnam partem Aſiæ cis Euphratem, tanti mali fama pervaſerat. Ad Darii quoq; matrem celeriter perlata eſt. Abſciſſa ergo veſte, qua induta erat, lugubrem ſumpſit: laceratiſque crinibus, humi corpus abjecit. Aſſidebat ei altera ex neptibus, nuper amiſſum Hephæſtionem, cui nupſerat, lugens, propriaſque cauſas doloris in communi mœſtitia retractabat. Sed omnium ſuorum mala Syſigambis una capiebat. Illa ſuam, illa neptium vicem flebat. Recens dolor etiam præterita revocaverat. Crederes modo amiſſum Darium, & pariter miſerę duorum filiorum exequias eſſe ducendas. Flebat mortuos ſimul vivoſque. Quem enim puellarum acturum eſſe curam? Quem alium futurum Alexandrum? Iterum eſſe ſe captas: iterum excidiſſe regno. Qui mortuo Dario ipſas tueretur, reperiſſe: qui poſt Alexandrum reſpiceret, utique non reperturas. Subibat inter hæc animũ, octoginta fratres ſuos eodem die ab Ocho ſæviſſimo

viſſimo Regum trucidatos, adjectumque ſtragi tot filiorum patrem. E ſeptem liberis, quos genuiſſet ipſa, unum ſupereſſe. Ipſum Darium floruiſſe pauliſper, ut crudelius poſſet extingui. Ad ultimum dolori ſuccumbit, obvolutoq; capite aſſidentes genibus ſuis neptem nepotemque averſata, cibo pariter abſtinuit & luce. Quinto poſtquam mori ſtatuerat die extincta eſt. Magnum profecto Alexandri indulgentiæ in eam, juſtitiæque in omnes captivos documentum eſt mors hujus: quæ cum ſuſtinuiſſet poſt Darium vivere, Alexandro eſſe ſuperſtes erubuit. Et hercule juſte æſtimantibus Regem, liquet, bona naturæ ejus fuiſſe, vitia vel fortunæ vel ætatis. Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo non inter Reges modo excellens, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola virtus fuit: liberalitas ſæpe majora tribuentis, quam à Diis petuntur: clementia in devictos: tot regna aut reddita, quibus ea dempſerat bello, aut dono data: mortis, cujus metus cæteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudiſque ut juſto major cupido, ita ut juveni & in tantis admittenda rebus. jam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati cōſecrare decreverat, Philippum ultus erat. Iam in omnes fere amicos benignitas, erga milites benevolentia: conſilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat ætas ejus capere, ſolertia: modus immodicarum cupiditatum: Veneris intra naturale deſiderium uſus: nec ulla, niſi ex permiſſo, voluptas; ingentes profecto dotes erant. Illa fortunæ, Diis æquare ſe, & cœleſtes honores accerſere, & talia ſuadentibus oraculis credere,

& dedignantibus venerari ipſum, vehementius, quam par eſſet, iraſci: in externum habitum mutare corporis cultum: imitari devictarum gentium mores, quas ante victoriam ſpreverat. Nam iracundiam & cupidinem vini, ſicuti juventa irritaverat, ita ſenectus mitigare potuiſſet. Fatendum eſt tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe fortunæ, quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Quoties illum à morte revocavit? quoties temere in pericula vectũ perpetua felicitate protexit? Vitæ quoque finem eundem illi, quem gloriæ, ſtatuit. Exſpectavêre eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. Huic Regi Ducique ſucceſſor quærebatur. Sed major moles erat, quam ut unus ſubire eam poſſet. Itaque nomen quoque ejus, & fama rerum, in totum propemodum orbem Reges ac regna diffudit: clariſſimique ſunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæſerunt.

6 Cæterum Babylone (inde enim divertit oratio) corporis ejus cuſtodes, in regiam principes amicorum, ducesque copiarum advocavere: ſecuta eſt militum turba, cupientium ſcire in quem Alexandri fortuna eſſet tranſitura. Multi duces, frequentià militum excluſi, regiam intrare non poterant. cum præco, exceptis qui nominatim citarentur, adire prohibuit. Sed precarium ſpernebatur imperium. Ac primum ejulatus ingens ploratuſq; renovatus eſt. Deinde futuri exſpectatio inhibitis lachrymis ſilentium fecit. Tunc Perdicca, Regia ſella in conſpectum vulgi data, in qua diadema veſtiſque Alexandri cum armis erant, annulum

ſibi

ſibi pridie traditum à Rege, in eadem ſede poſuit: quorum aſpectu rurſus obortæ omnibus lachrymæ, integravere luctum. Et Perdicca, *Ego quidem,* inquit, *annulum, quo ille regni atque imperii vires obſignare erat ſolitus, traditum ab ipſo mihi, reddo vobis. Cæterum quanquam nulla clades huic, qua affecti ſumus, par ab iratis Diis excogitari poteſt: tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus, credere licet, tantum virum Deos accommodaſſe rebus humanis: quarum ſorte completa, cito repeterent eum ſuæ ſtirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo ſupereſt, quam quod ſemper ab immortalitate ſubducitur, corpori nominique quamprimum juſta ſolvamus, haud obliti in qua urbe, inter quos ſimus, quali Rege ac Præſide ſpoliati. Tractandum eſt commilitones, cogitandumque, ut victoriam partam inter hos, de quibus parta eſt, obtinere poſſimus. Capite opus eſt. Hocne uno, an pluribus, in veſtra poteſtate eſt. Illud ſcire debetis, militarem ſine duce turbam, corpus eſſe ſine ſpiritu. Sextus menſis eſt, ex quo Roxane prægnans eſt. Optamus ut marem enitatur: cujus regnum Diis approbantibus futurum, quandoq; adoleverit. interim à quibus regi velitis, deſtinate.* Hæc Perdicca. Tum Nearchus: Alexandri ſanguinem ac ſtirpem regiæ majeſtati convenire, neminem, ait, poſſe mirari: cæterum exſpectari nondum ortum Regem, & qui jam ſit, præteriri, nec animis Macedonum convenire, nec tempori rerum. Eſſe è Barſine filium Regis, huic diadema dandum. Nulli placebat oratio. Itaq; ſuo more haſtis ſcuta quatientes, obſtrepere perſeverabant. Iamque prope ſeditionem pervenerant; Nearcho pervicacius tuente ſententiam. Tum Ptolemæus, *Digna prorſus eſt ſoboles,* inquit, *quæ Mace-*

Macedonum imperet genti, Roxanes vel Barſines filius, cujus nomen quoque Europam dicere pigebit, majore ex parte captivi. Cur Perſas vicerimus, ut ſtirpi eorum ſerviamus? quod juſti illi Reges Darius & Xerxes tot millium agminibus tantiſque claſſibus nequicquam petiverunt. Mea ſententia hæc eſt, ut ſede Alexandri in regia poſita, qui conſiliis ejus adhibebantur, coëant, quoties in commune conſulto opus fuerit: eoque, quod major pars eorum decreverit, ſtetur. Duces Præfectique copiarum his pareant. Ptolemæo quidam, potiores Perdiccæ aſſentiebantur. Tum Ariſtonus orſus eſt dicere, Alexandrum conſultum, cui relinqueret regnum, voluiſſe optimum deligi. Iudicatum autem ab ipſo optimum, Perdiccam, cui annulum tradidiſſet. Neque enim unum eum aſſediſſe morienti, ſed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegiſſe cui traderet. Placere igitur, ſummam imperii ad Perdiccam deferri. Nec dubitavere, quin vera cenſeret. Itaque univerſi procedere in medium Perdiccam, & Regis annulum tollere jubebant. Hærebat inter cupiditatem, pudoremque, & quo modeſtius quod appetebat expectaret, pervicacius oblaturos eſſe credebat. Itaque cunctatus, diuque quid ageret incertus, ad ultimum tamen receſſit, & poſt eos qui ſederant proximi, conſtitit. At Meleager unus è ducibus confirmato animo, quem Perdiccæ cunctatio erexerat, *Nec Dii ſiverint*, inquit, *ut Alexandri fortuna, tantique regni faſtigium in iſtos humeros ruat. homines certe non ferent. Nihil dico de nobilioribus, quam hic eſt, ſed de viris tantum, quibus invitis nihil perpeti neceſſe eſt. Nec vero intereſt, Roxanes filium, quandocunque genitus erit, an Perdiccam Regem habeatis,*

tis, cum iſte ſub tutelæ ſpecie regnum occupaturus ſit. Itaque nemo ei Rex placet, niſi qui nondum natus eſt. Et in tanta omnium feſtinatione, non juſta modo, ſed etiam neceſſaria, exactos menſes ſolus exſpectat, & jam divinat marem eſſe conceptum, quem vos dubitatis paratum eſſe, vel ſubdere? Si mediusfidius Alexander hunc nobis Regem pro ſe reliquiſſet, id ſolum ex his, quæ imperaſſet, non faciendum eſſe cenſerem. Quin igitur ad diripiendos theſauros diſcurritis? harum enim opum regiarum utique populus eſt hæres. Hæc elocutus, per medios armatos erupit. Et qui abeunti viam dederant, ipſum ad prænuntiatam prædam ſequebantur.

7 Iamq; armatorum circa Meleagrum frequens globus erat, in ſeditionem ac diſcordiam verſa concione: cum quidam pleriſque Macedonum ignotus ex infima plebe, *Quid opus eſt,* inquit, *armis, civilique bello, habentibus Regem, quem quæritis? Aridæus Philippo genitus, Alexandri paulo ante Regis frater, ſacrorum cæremoniarumque conſors modo, nunc ſolus hæres, præteritur à vobis. Quo merito ſuo? quidve fecit, cur etiam gentium communi jure fraudetur? Si Alexandro ſimilem quæritis, nunquam reperietis. Si proximum, hic ſolus eſt.* His auditis, concio primo ſilentium velut juſſa habuit. Conclamant deinde pariter, Aridęum vocandum eſſe, mortemque meritos, qui concionem ſine eo habuiſſent. Tum Python, plenus lachrymarum, orditur dicere: Nunc vel maxime miſerabilem eſſe Alexandrum, qui tam bonorum civium militumque fructu & præſentia fraudatus eſſet: nomen enim memoriamque Regis ſui tantum intuentes, ad cætera caligare eos.

Haud

Haud ambigue in juvenem, cui regnum deſtinabatur, impenſa probra, quæ * magis ipſi odium, quam Aridæo contemptum attulerunt: quippe dum miſerentur, etiam favere cœperunt. Igitur non alium ſe, quam eum, qui ad hanc ſpem genitus eſſet, regnare paſſuros, pertinaci acclamatione declarant, vocarique Aridæum jubent. Quem Meleager infeſtus, inviſuſque Perdiccæ, ſtrenue perducit in Regiam, & milites Philippum conſalutatum Regem appellant. Cęterum hęc vulgi erat vox, principum alia ſententia. E quibus Python conſilium Perdiccæ exſequi cœpit, tutoreſque deſtinat filio ex Roxane futuro, Perdiccam & Leonatum ſtirpe regio genitos. Adjecit ut in Europa Craterus & Antipater res adminiſtrarent. Tum jusjurandum à ſingulis exactum, futuros in poteſtate Regis geniti Alexandro. Meleager haud injuria metu ſupplicii territus, cum ſuis ſeceſſerat. Rurſus Philippum trahens ſecum, irrupit in regiam, clamitans ſuffragari Reipub. de novo Rege paulo ante concepto: robur ætatis experirentur, modo ſtirpem Philippi, & filium ac fratrem Regum duorum ſibimetipſis potiſſimum crederent. Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum, & procelloſum, tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique ſi nova & brevi duratura libertate luxuriat. Pauci Perdiccæ modò electo, plures Philippo quàm ſperaverat, imperium dabant. Nec velle, nec nolle quidquam diu poterant, pœnitebatque modo conſilii, modo pœnitentiæ ipſius: ad ultimum tamen in ſtirpem regiam inclinavere ſtudiis. Ceſſerat ex concione Aridæus principum autoritate conterritus:

territus : & abeunte illo conticuerat magis quam languerat militaris favor. Itaque revocatus, veſtem fratris, eam ipſam, quæ in ſella poſita fuerat, induitur. Et Meleager thorace ſumpto, capit arma, novique Regis ſatelles. Sequitur phalanx haſtis clypeos quatiens, expletura ſe ſanguine illorum, qui affectaverant nihil ad ipſos pertinens regnum: in eadem domo familiaque imperii vires remanſuras eſſe gaudebant, hæreditarium imperium ſtirpem regiam vindicaturam. aſſuetos eſſe nomen ipſum colere venerarique, nec quenquam id capere, niſi genitum, ut regnaret. Igitur Perdicca territus, conclave in quo Alexandri corpus jacebat, obſerari jubet. Sexcenti cum ipſo erant ſpectatæ virtutis. Ptolemæus quoque ſe adjunxerat ei, puerorumque regia cohors. Cæterum haud difficulter à tot millibus armatorum clauſtra perfracta ſunt. Et Rex quoque irruperat ſtipatus ſatellitum turbâ, quorum princeps erat Meleager. Iratuſque Perdicca, hos qui Alexandri corpus tueri vellent ſevocat: ſed qui irruperant, eminus tela in ipſum jaciebant, multiſque vulneratis, tandem ſeniores, demptis galeis quo facilius noſci poſſent, precari qui cum Perdicca erant cœpere, ut abſtinerent bello, Regique & pluribus cederent. Primus Perdicca arma depoſuit, cæterique idem fecere. Meleagro deinde ſuadente ne à corpore Alexandri diſcederent, inſidiis locum quæri rati, diverſa regiæ parte ad Euphratem fugam intendunt. Equitatus, qui ex nobiliſſimis juvenum conſtabat, Perdiccam & Leonatum frequens ſequebatur, placebatque excedere urbe, & tendere in campos. Sed

Per-

Perdicca ne pedites quidem ſecuturos ipſum deſperabat. Itaque, ne abducendo equite ſabrupiſſe à cætero exercitu videretur, in urbe ſubſtitit.

8 At Meleager Regem monere non deſtitit, jus imperii Perdiccæ morte ſanciendum eſſe, ne occupetur impotens animus rerum novarum: meminiſſe eum, quid de Rege meruiſſet. Neminem autem ei ſatis fidum eſſe, quem metuat. Rex patiebatur magis, quam aſſentiebatur. Itaque Meleager ſilentium pro imperio habuit: miſitque Regis nomine, qui Perdiccam accerſerent. Iiſdem mandatum, ut occiderent; ſi venire dubitaret. Perdicca nuntiato ſatellitum adventu, ſedecim omnino pueris regiæ cohortis comitatus, in limine domus ſuæ conſtitit, caſtigatoſque, & Meleagri mancipia identidem appellans, ſic animi vultuſque conſtantia terruit, ut vix mentis compotes fugerent. Perdicca pueros juſſit equos conſcendere; & cum paucis amicorum ad Leonatum pervenit, jam firmiore præſidio vim propulſaturus, ſi quis inferret. Poſtero die indigna res Macedonib⁹ videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum: & Meleagri temeritatem armis ultum ire decreverant. Atque illi cum Regem adiſſent, interrogare eum cœpere, an Perdiccam comprehendi ipſe juſſiſſet. Ille, Meleagri inſtinctu ſe juſſiſſe, reſpondit. Cæterum non debere tumultuari eos: Perdiccam enim vivere. Igitur concione dimiſſa, Meleager equitum maxime defectione perterritus, inopſque conſilii (quippe in ipſum periculum reciderat, quod inimico paulo ante intenderat) triduum fere conſumpſit incerta con-

ſilia

ſilia volvendo. Et priſtina quidem regiæ ſpecies manebat. Nam & legati gentium Regem adibant, & copiarum duces aderant, & veſtibulum ſatellites armatique compleverant. Sed ingens ſua ſponte mœſtitia ultimæ deſperationis index erat; ſuſpectique invicem, non adire propius, non colloqui audebant, ſecretas cogitationes intra ſe quoque volventes: & ex comparatione Regis novi deſiderium excitabatur amiſſi. ubi ille eſſet, cujus imperium, cujus auſpicium ſecuti erant, requirebant. Deſtitutos ſe inter infeſtas indomitaſque gentes, expetituras tot cladium ſuarum pœnas quandocumque oblata eſſet occaſio. His cogitationibus animos exedebant, cum annuntiatur, equites qui ſub Perdicca eſſent, occupatis circa Babylonem campis, frumentum, quod in urbem invehebatur, retinuiſſe. Itaque inopia primum, deinde fames eſſe cœpit. Et qui in urbe erant, aut reconciliandam gratiam cum Perdicca, aut armis certandum eſſe cenſebant. Forte acciderat, ut qui in agris erant, populationem villarum vicorumque veriti, confugerent in urbem: oppidani, cum ipſos alimenta deficerent, urbe excederent, & utrique generi tutior aliena ſedes quam ſua videretur. Quorum conſternationem Macedones veriti, in regiam coëunt, quæque ipſorum ſententia eſſet, exponunt. Placebat autem legatos ad equites mitti, de finienda diſcordia, armiſque ponendis. Igitur à Rege legatur Paſas Theſſalus, & Amiſſas Megalopolitanus, & Perilaus. qui cum mandata Regis edidiſſent, non aliter poſituros arma equites, quam ſi Rex diſcordiæ autores dedidiſſet, tulere reſponſum. His renun-

renuntiatis, ſua ſponte milites arma capiunt, quorum tumultu è regia Philippus excitus. *Nihil*, inquit, *ſeditione eſt opus: nam inter ſe certantium præmia, qui quieverint, occupabunt. Simul mementote rem eſſe cum civibus, quibus ſpem gratiæ cito abrumpere, ad bellum civile properantium eſt. Altera legatione, an mitigari poſſent, experiamur: & credo nondum Regis corpore ſepulto ad præſtanda ei juſta omnes eſſe coituros. Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malô, quam exercere civium ſanguine. Et ſi nulla alia concordiæ ſpes eſt, oro, quæſoque, eligite potiorem.* Obortis deinde lachrymis, diadema detrahit capiti, dextram, qua id tenebat, protendens, ut ſi quis ſe digniorem profiteretur, acciperet. Ingentem ſpem indolis ante eum diem fratris claritate ſuppreſſam, ea moderata excitavit oratio. Itaque cuncti inſtare cœperunt, ut quæ agitaſſet, exſequi vellet. Eoſdem rurſus legat, petituros ut Meleagrum tertium ducem acciperent. Haud ægre id impetratum eſt. Nam & abducere Meleagrum Perdicca à Rege cupiebat, & unum duobus imparem futurum eſſe cenſebat. Igitur Meleagro cum phalange obviam egreſſo, Perdicca equitum turmas antecedens occurrit. Vtrumque agmen, mutua ſalutatione facta coit, in perpetuum (ut arbitrabantur) concordia & pace firmata.

9 Sed jam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam & inſociabile eſt regnum, & à pluribus expetebatur. Primum ergo collegere vires, deinde diſperſerunt, & cum pluribus corpus quam capiebat, oneraſſent, cætera membra deficere cœperunt: quodque imperium ſub uno ſtare potuiſſet, dum à pluribus

ribus ſuſtinetur, ruit. Proinde jure meritoque populus Romanus ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur, cui noctis, quam pene ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit. Hujus hercule, non ſolis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum ſine ſuo capite diſcordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit? Non ergo revireſcit ſolum, ſed etiam floret imperium. Abſit modo invidia, excipiet hujus ſæculi tempora ejuſdem domus, utinam perpetua, certe diuturna poſteritas. Cæterum, ut ad ordinem, à quo me contemplatio publicæ felicitatis averterat, redeam, Perdicca unicam ſpem ſalutis ſuæ in Meleagri morte deponebat: vanum eundem & infidum, celeriterque res novaturum, & ſibi maxime infeſtum, occupandum eſſe. Sed alta diſſimulatione conſilium premebat, ut opprimeret incautum. Ergo clam quoſdam ex copiis, quibus præerat, ſubornavit, ut quaſi ignoraret ipſe, conquererentur palam, Meleagrum æquatum eſſe Perdiccæ, quorum ſermone Meleager ad ſe relato, furens ira, Perdiccæ, quæ comperiſſet, exponit. Ille, velut nova re exterritus, admirari, queri, dolentiſque ſpeciem oſtentare ei cœpit. Ad ultimum convenit, ut comprehenderentur tam ſeditioſæ vocis autores. Agit Meleager gratias, amplexuſq; Perdiccam, fidem ejus in ſe ac benevolentiam collaudat. Tum communi conſilio rationem opprimendi noxios ineunt. Placet exercitum patrio more luſtrari: & probabilis cauſa videbatur, præterita diſcordia. Macedonum Reges ita luſtrare ſoliti erant milites, ut diſciſſæ canis viſcera ultimo

timo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abjicerentur parte. Intra id ſpatium armati omnes ſtarent, hinc equites, illinc phalanx. Itaque eo die, quem huic ſacro deſtinaverant, Rex cum equitibus elephantiſq; conſtiterat contra pedites, queis Meleager præerat. Iam equeſtre agmen movebatur, & pedites ſubita formidine ob recentem diſcordiam, haud ſane pacati quidquam exſpectantes, parumper addubitavere, an in urbem ſubducerent copias: quippe pro equitibus planities erat. Cæterum veriti, ne temere commilitonum fidem damnarent, ſubſtitere, pręparatis ad dimicandum animis, ſi quis vim inferret. Iam agmina coibant, parvumque intervallum erat, quod aciem utramque divideret. Itaque Rex cum una ala obequitare peditibus cœpit, diſcordiæ autores, quos tueri ipſe debebat, inſtinctu Perdiccæ ad ſupplicia depoſcens: minabaturque, omnes turmas cum elephantis inducturum ſe in recuſantes. ſtupebantque improviſo malo pedites. Nec plus in ipſo Meleagro erat aut conſilii aut animi. Tutiſſimum ex præſentibus videbatur exſpectare potius quam movere fortunam. Tum Perdicca, ut torpentes & obnoxios vidit, trecentos fere, qui Meleagrum erumpentem ex concione, quæ prima habita eſt poſt mortem Alexandri, ſecuti erant, à cæteris diſcretos, elephantis in conſpectu totius exercitus objicit, omneſque belluarum pedibus obtriti ſunt, nec prohibente Philippo, nec autore. apparebatque id modo pro ſuo vendicaturum, quod approbaſſet eventus. Hoc bellorum civilium Macedonibus & omen, & principium fuit. Meleager, ſero intellecta fraude Perdiccæ, tum quidem

quia

quia ipſius corpori vis non afferebatur, in agmine quietus ſtetit: at mox, damnata ſpe ſalutis, cùm ejus nomine, quem ipſe fecerat Regem, in perniciem ſuam abutenteis videret inimicos, confugit in templum. Ac ne loci quidem religione defenſus, occiditur.

10 Perdicca, perducto in urbem exercitu, conſilium principum virorum habuit, in quo imperium ita dividi placuit, ut Rex quidem ſummam ejus obtineret, Satrapes Ptolemæus, Ægypti & Africę gentium, quę in ditione erant. Laomedonti Syria cum Phœnice data eſt: Philotæ Cilicia deſtinata: Lyciam cum Pamphilia & majore Phrygia obtinere juſſus Antigonus. In Cariam Caſſander, Menander in Lydiam miſſi. Phrygiam minorem Helleſponto adjunctam, Leonati provinciam eſſe juſſerunt. Cappadocia Eumeni cum Paphlagonia ceſſit. Præceptum eſt, ut regionem eam uſque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Arbate gereret. Solus hic detrectabat imperium. Python Mediam, Lyſimachus Thraciam, appoſitaſque Thraciæ Ponticas gentes obtinere juſſi. Qui Indiæ, quique Bactris & Sogdianis, cæteriſque, aut Oceani, aut Rubri maris accolis præerant, quibus quiſque finibus habuiſſet, imperii etiam jus obtineret. Decretum eſt, ut Perdicca cum Rege eſſet, copiiſque præeſſet, quæ Regem ſequebantur. Credidere quidam teſtamento Alexandri diſtributas eſſe provincias, ſed famam ejus rei (quanquam ab autoribus tradita eſt) vanam fuiſſe comperimus. Et quidem ſuas quiſque opes, diviſis imperii partibus, tuebantur, quas ipſi fundaverant, ſi unquam adverſus immodicas cupiditates terminus ſtaret. quippe paulo ante

ante Regis miniſtri, ſpecie imperii alieni prc curandi, ſinguli ingentia invaſerant regna, ſub latis certaminum cauſis, cum & omnes ejuſ dem gentis eſſent, & à cæteris ſui quiſque impe rii regione diſcreti. Sed difficile erat eo conten tos eſſe, quod obtulerat occaſio: quippe ſo dent prima, cum majora quæque ſperantu Itaque omnibus expeditius videbatur auger regna, quam fuiſſet accipere. Septimus die erat, ex quo corpus Regis jacebat in ſolio; cur omnium ad formandum publicum ſtatum tam ſolenni munere averſis. Et non aliis quan Meſopotamiæ regioni fervidior æſtus exſiſtit adeo ut pleraque animalia, quæ in nudo ſol deprehendit, extinguat. Tantus eſt vapor ſolis & cœli, quo cuncta velut igne torrentur. Fon tes aquarum & rari ſunt, & incolentium frau de celantur. Ipſis uſus patet, ignotus eſt adve nis. Vt tandem curare corpus exanimum ami cis vacavit, nulla tabe, ne minimo quidem li vore corruptum vidêre qui intraverant. Vigo quoque, qui conſtat ex ſpiritu, non deſtituerat. Itaque Ægyptii Chaldæique juſſi corpus ſuo more curare, primo non ſunt auſi admovere velut ſpiranti, manus: deinde precati, ut jus faſ que eſſet mortalibus attrectare eum, purgavere corpus, repletumque eſt odoribus. Aureum ſo lium, & capiti adjecta fortunæ ejus inſignia. Ve neno necatum eſſe credidere. Plerique, filium Antipatri inter miniſtros, Iollam nomine, pa tris juſſu dediſſe. Sæpe certe audita erat vox Alexandri, Antipatrum regium affectare faſti gium, majoremque eſſe præfecti opibus, ac titu lo Spartanæ victoriæ inflatum, omnia à ſe data aſſerentem ſibi. Credebant etiam Craterum

cum

cum veterum militum manu ad interficiendum eum miſſum. Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem eſſe conſtat, ut ferrum quoque exurat. ungulæ jumenti duntaxat patiens eſſe conſtat. Stygem appellant fontem, ex quo peſtiferum virus emanat. Hoc per Caſſandrum allatum traditumque fratri Iollæ, & ab eo ſupremæ Regis potioni inditum. Hæc utcunque ſunt tradita, eorum quos rumor aſperſerat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniæ Antipater, & Græciam quoque invaſit. Soboles deinde excepit, interfectis omnibus, quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant. Cæterum corpus ejus à Ptolemæo, cui Ægyptus ceſſerat, Memphim, & inde paucis poſt annis Alexandriam tranſlatum eſt, omniſque memoriæ ac nomini honos habetur.

FINIS.

JANI RVTGERSII

EMENDATIONES

ALIQVOT

IN Q. CURTIO.

LIBRO III.

PAg. 21. v. 13. *Cultu haud ſane à vilioribu vulgatiſque uſu abhorrens.* Lego, *vulgatiqu uſus.*

Pag. 42. v. 10. *Dein deûm templa ruinis & ignibus eſſe deleta,* Ita vetuſte impreſſi. Modiu ex veſtigiis membranarum ſuarum edidit, *Dedita deis templa.* Legendum *dedicata, non dedita.*

Pag. 44. v. 24. *Equi pariter equiteſque Perſarum ſerie laminarum ob id genus grave, agmen quod celeritate maxime conſtat, ægre moliebantur quippe in circumagendis equis ſuis Theſſali multo occupaverant.* Sic veteres Editiones ante Modianam. Lego, *ſerie laminarum graves id genus agminis, quod celeritate maxime conſtat, ægre moliebantur. quippe in circumagendis equis ſuis Theſſal multo occupaverant. Genus agminis quod celeritat maxime conſtat,* eſt id, quod Græci μεταβολὴν vocant, aut certe ſimile. Eſt autem uſus voc *occupo* eodem modo, quo Varro apud Nonium *Quod ſi Actæon occupaſſet, & ipſe prius ſuos canes comediſſet, & non nugax ſaltatoribus in theatro fieret.* Hoc ergo dicit, Barbaros ferreis tunici graves ſuos ægre circumegiſſe, quod tam expedite faciebant Theſſali, ut longe Barbaros anteverterent. Aliquanto poſt.

Pag. 49. v. 6. de Darii filiabus, *Virgines reginas excellentis formæ tam ſanctè habuit, quàm ſi eodem, quo ipſe, parente genitæ forent.* Ita Modius. Lego, *Virgines regias.*

Pag. 51. v. 19. *Vehicula quoque à ſuis deſtituta ingentis opulentiæ plena.* Mod. Ed. *gentis opul.* Lego, *Vehicula quoque ſuis deſtituta agentibus.* Tantum enim terrorem Barbarorum fuiſſe vult, ut omnia, etiam vehicula, quibus eorum opes portabantur, reliquerint, id ſolum agentes, ut ſeipſos fuga ſervare poſſent. Dixit autem *agentes* pro aurigis: eodem modo, quo Ovidius in Phaëtontis fabula, *Non aget hos currus.*

LIBRO IV.

Pag. 74. v. 25. *Lingua gravius caſtigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem magis ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit.* Puto legendum, *Magi.* & hoc fortaſſe tam certum eſt, ut probatione non indigeat. Paullo poſt.

Pag. 76. v. 27. *Linqui deinde animo, & ſubmitti genu.* Puto, *ſubniti.*

Pag. 83. v. 23. *Africæ deinde, quæ Ægypto juncta eſt, propoſitus Apollonius: vectigalibus ejuſdem [Africæ] Ægyptique Cleomenes.* Poſterius *Africæ* gloſſema eſt. delendum igitur.

Pag. 96. v. 16. *In lævo cornu Bactriani ibant equites mille admodum: Dahæ totidem, & Arachoſii, Suanique quatuor millia explebant.* Ita Modii codices: ſed ſcribendum *Suſianique*, aut *Suſiique.* Arrianus libro III. Τὸ μὲν εὐώνυμον αὐτοῦ κέρας οἵ τε Βάκτριοι ἱππεῖς εἶχον, καὶ ξὺν αὐτοῖς Δάαι καὶ Ἀραχῶτοι. ἐπὶ δὲ τούτοις

Πέρσῃσι ἐτετάχατο, ἱππεῖς τε ὁμοῦ καὶ πεζοὶ ἀναμεμιγμένοι, καὶ Σούσιοι ἐπὶ Πέρσῃσι, καὶ ἐπὶ Σουσίοις Καδούσιοι.

LIBRO V.

Pag. 137. v. 26. *Cyrus Paſargadum urbem condiderat, quam Alexandro præfectus ejus Globaris tradidit.* Aliàs, *Gobares*. Legendum, *Chobares*; ut libro VII. p. 209.

Pag. 149. v. 18. *Profuſiſque mutuis lachrymis inhærentem ſibi avelli juſſit.* Ita ſcribo: non *perfuſis*, aut *perfuſus* denique.

LIBRO VI.

Pag. 168. v. 28. *Crebri namque nodi nudaverant ſtipites, & in ſe implicati arborum rami ſuſpenſis circulis ſimiles lento vimine fruſtrabantur ictus.* Delendum eſt τὸ *nodi*, quod librarius ob ſequentis vocis ſimilitudinem importune iteraverat. Totum igitur locum lego hoc modo: *Crebri namque nodaverant ſtipites, & in ſe implicati arborum rami*, &c.

LIBRO VII.

Pag. 230. v. 5. *Hæc Barbarus. Contra rex, fortuna ſua, & conſiliis eorum, ſe uſurum eſſe reſpondit.* Legendum eſt, *ſuorum*. non enim Scytharum, ſed Macedonum ſuorum, conſilio ſe uſurum dicit.

LIBRO VIII.

Pag. 282. v. 32. lego, *Ipſe Porus humanæ magnitu-*

gnitu-

gnitudinis prope exceſſerat normam : non, ut vulgo, *formam*.

LIBRO IX.

Pag. 295. v. 12. *Phegelis erat gentis proximæ rex*, &c. Quod ſi verum id ejus principis nomen eſt, non video quomodo mox Curtius Orbilii ferulam effugiat, iis verbis : *Percontatus igitur Phegela, quæ noſcenda erant*. A *Phegelis* enim non niſi *Phegelin*, & *Phegelida*, declinari poteſt. Ego ſcribendum puto : *Phegel. is erat gentis proximæ rex, qui*, &c. Apud Diodorum quoque, quo loco αὐτὸς δὲ εἰς τὴν Φηγέως δυναστείαν ἐμβαλὼν legitur, Φηγέλος legendum eſt. Nuſquam ſecurius graſſata eſt veterum librariorum audacia, quam in propriis virorum ac fœminarum nominibus depravandis. Nec difficile eſſet aliquot centuriis exemplorum id oſtendere, niſi & res ipſa pervulgata, & mihi alio quodam loco dicendum foret.

LIBRO X.

Pag. 330. v. 32. *Igitur Meſopotamiæ prætoribus imperavit, materia in Libano monte cæſa devectaque ad urbem Syriæ Capſagas, ingentium carinas navium ponere, ſeptiremes omnes eſſe, deducique Babylona*. Etiam hoc loco vocula ob præcedentis ſimilitudinem inepte repetita eſt. Ea igitur ejecta, lego hoc modo : *ſeptiremes omnes, deducique Babylona*. Hæc erant, quæ in Curtio emendaſſe mihi viſus ſum. Plura poteram, ſed & cuivis obvia ſunt: & erunt, quibus hæc quoque nimia videbuntur.

JOSEPHI SCALIGERI palmaria correctio.

Lib. III. pag. 26. v. 24. *Diſtinguebant internitentes gemmæ jugum: ex quo eminebant duo aurea ſimulachra cubitalia; quorum alterum pacis, alterum belli gerebat effigiem.* Interpolata à ſciolis lectio. Veteres editiones habent: *quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem.* Quare non dubitabis cum Scaligero emendare, *quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem*. Per Ninum Aſſyriæ, per Belum Babyloniæ imperium conjunctum innuebant currus Darii artifices.

FINIS.

INDEX
Q. CURTII.

A.

ABdolominus Rex cõſtituitur. 56
Abiaſares Rex. 280
Abiaſares rex Alexandro ſe permittit. 281
Abulites Suſæ præfectus. 124
Adulatio vatum. 82
Ægyptii Perſarum opibus infenſi. 78
Agenor Tyrum condidit. 70
Agenor Sidonem condidit. ibid.
Agidis Lacedæmoniorum regis animi magnitudo. 257
Agidis Lacedæmoniorum regis mors. ibid.
Agis Argivus peſſimorum carminum poſt Charilum conditor. 257
Agrammes Pharraſiorum Rex. 295
Alexandria in Ægypto condita. 83
Alexandria in radicibus Caucaſi condita. 208
Alexandria ad Tanaim condita. 324
Alexandria in India condita. 317
Alexander ſuæ demptum gloriæ exiſtimabat, quidquid ceſſiſſet alienæ. 158
Alexandrum quem arma Perſarum nõ fregerant vitia vicerunt. ibid.
Alexander in peregrinos mores abit. ibid.
Alexander ſuper uxoris Darii morte crebros edidit gemitus. 91
Alexander uxorem Darii honorifice humavit. ib.
Alexandri cognati omnes ab Antipatro interfecti. 359
Alexandri corpus Alexandriam in Ægypto tranſlatum. ibid.
Alexander ſagittâ ictus. 274
Alexander quo anno regni ſui, & ætatis Aſiam ſubegerit. 312
Alexander in obſidione Gazæ ſagitta vulneratur. 76
Alexandri crus in obſidione

dione Gazæ ſaxo affligitur. 77
Alexander Carthagini infenſus. 330
Alexandro Babylonia deditur. 113,119
Alexandri ad Vxiorum urbem virtus. 126. & ſeqq.
Alexandri ad Darium litteræ. 71. & ſeqq.
Alexandri duces vulnerati. 115
Alexandri celeritas. 133
Alexandri in Macedonas miſsionem petentes indignatio. 335
Alexandri in Vxios propter Syſigambis litteras moderatio & clementia. 128
Alexandri ſuper Darii morte lachrymæ. 154
Alexander Philippi frater regno Macedoniæ potitus. 1
Alexander pedes per nivem & concretam glaciem ingreditur. 138
Alexander dolabra glaciem perfringens, iter ſibi facit. ibid.
Alexandri in militem humanitas. 154
Alexander ſarcinas primum ſuas, deinde totius exercitus incendi præcipit. 172
Alexander à Tyro Arabiam petit. 63
Alexander ſemper bello quam poſt victoriam clarior. 268
Alexandri triumphus ad imitationem Liberi Patris. 272,273
Alexander haud contentus mortali faſtigio. 78
Alexander Iovis filius credi volebat. ibid.
Alexandri in bibendo continentia mira. 214
Alexandri in captivas cõtinentia. 48. & ſeqq.
Alexandri ingens mœror ſuper morte Clyti. 245, & ſeqq.
Alexander à muliere attonita ſervatus. 261
Alexandri ſuper Hephæſtionis morte dolor. 340
Alexandri milites Babyloniæ corrupti. 121,122
Alexandri dextrum femur leviter mucrone perſtrictum. 44
Alexander Parmenionis occidendi, negotium Polydamanti dat. 20, & ſeqq.

Alexandri legati à Tyriis occiſi. 61
Alexandri exercitus pavor. 97
Alexandri cervix à Memacenis ſaxo ita icta ut oculis caligine offuſa collaberetur, ne mentis quidem compos. 221
Alexandro inſidiæ à ſuis parantur. 175
Alexandri Cydnum ingreſſi ſubito horrore artus rigere cœperunt. 30
Alexandri pia lamentatio. 31
Alexander genus ab Achille deducens. 27
Alexander Achillem pœna in hoſtem capienda imitatus. 27
Alexander rebus à Philippo patre geſtis detrahit. 242
Alexander Iovis filium ſe appellari juſſit. 182
Alexander intra urbem Oxydracarum graviſſime vulneratus. 307
Alexander moribundo ſimilis. ibid.
Alexander quando regnũ adeptus. 9
Alexander ſolus in urbem Oxydracarum hoſtium deſiliit. 306
Alexander haud tolerabilis vini cupiditas. 139
Alexandri in fallendo hoſte dolus. 283
Alexandri virtutum & vitiorum enumeratio. 345
Alexander ſolus omnium mortalium fortunã in poteſtate habuit. 346
Alexander cæleſtes honores uſurpare cogitat. 256
Alexandri nominis terror. 341
Alexandri in captivas clementia. 49
Alexandri in Macedonas rabies. 338
Alexander veſtem detrahit, projecturus ſemet in flumen. 303
Alex. ad Mazagas è muro ſagitta percuſſus. 274
Alexandri in Porum regem liberalitas. 289
Alexandri in Taxilem liberalitas. 280
Alexander jacere humi proſtratos venerabundos patitur. 171
Alexander Perſicam veſtem ſumit. ibid:
Alexandri ad Arbellam dimicaturi ſomnus. 101

Alexandri ad Arbella militum numerus, 102, *& ſeqq.*
Alexander ſagitta vulneratur. 219
Alexander ad fines Hyrcaniæ penetrat. 164
Alexandri deſiderium, ut Olympias mater immortalitati conſecraretur. 313
Alexand. in Græcos à Perſis mutilatos beneficentia. 136
Alexandri ad Suſidas Pylas clades. 128
Alexander retro cedere coactus. ibid.
Alexandri Oceanum viſendi pervicax cupido. 320
Alexandri phalanx. 40
Alexandri in evellendo ſpiculo virtus. 307
Alexandri de Philota conqueſtio. 177
Alexander dux & idem miles. 43
Alexander quãdo natus. 3
Alexandri ſuper valetudine Ptolemæi ſomnium. 320
Alexandri in Tyrios ira. 69
Alexander obſidione Tyri fatigatus. 68
Alexandri morituri magnanimitas. 342
Alexander moriturus anulum Perdiccæ tradidit. 342
Alexander regnum optimo reliquit. ibid.
Alexandri morituri ſuprema vox. ibid.
Alexandri mors. ibid.
Alexandri militis virtus. 277
Alexander cõfoſſus obruitur. ibid.
Amiſſus Megalopolitanus. 353
Ammonis Iovis Oraculum. 78
Ammonis Iovis templi ſitus. 79, *& ſeq.*
Ammonis Iovis effigies. 80
Amnistranandi conſilium novum. 215
Amphoterus claſsis Alexandri præfectus. 84
Amyntas Philippi pater. 1
Amyntas Prætor Alex. 45
Amyntæ mors. 58
Amyntas Philotæ amicus, 197
Ancyra urbs. 22
Andromachi Syriæ præfecti mors. 84
Annonæ in caſtris Alexan-

xand. mira caritas, 211
Anticles in Alexandrum conjurat. 157
Antigonus Lydiæ Prætor, 58
Antipater. 59
Antipater in Alexandrũ conjurat, 260
Antipatri & Olympiadis ſimultas. 340
Antipater Alexandrum veneno interficere ſtatuit, ibid.
Antipater Macedoniæ regnum & Græciam invaſit. 359
Antipater omnes quicunque Alexandrũ etiam longinqua cognatione contingebant, interfecit. ibid.
Antiphanes ſcriba equitum, 197
Aornon Petra, 275
Apollinis ſimulachrũ Pœni Syracuſis Tyrum deportarunt, 66
Apollinis ſimulachrũ catenis apud Tyrios vinctum. ibid.
Aquila aurea. 26
Aquila ſuper Alexandri caput volans. 110
Arabiæ fertilitas. 118
Arachoſii. 206
Araxes amnis, 129, 208
Arbella vicus, quem ſua clade nobilem fecit Darius. 87
Arbores violare apud Indos capitale eſt. 271
Aridæus Philippo genitus, Alexandri frater, 349
Arimazes Sogdian⁹, 234
Arimaſis inſolentia, ibid.
Arimaſes Petram Alexandro tradit. 237, 238
Arimaſes in radicibus Petræ cruci affixus. 238.
Ariobarzanes. 128
Ariobarzanis mors, 133
Arisba Moloſſorum rex, 8
Ariſtander peritiſſimus vates. 61, 75
Ariſtomenes. 59
Ariſtonicus Mithymnæorum Tyrannus. 73
Ariſtonicus, fraude captus. ibid.
Ariſtonici Methymnæorum ducis mors. 84
Ariſton Pæonum equitũ Præfectus. 88
Armeniæ montes. 208
Arſanes Ciliciæ Prætor. 28
Artabazus Dario fidiſſimus. 143. & 167
Artabazus Alexandro occurrit. ibid.

Aſclepiodorus in Alexandrum conjurat. 260
Aſtaces Darii prætor. 78
Attalo graviorem inimicum Alexander non habuit. 183
Athenodorus Græcorum militum, qui ab Alexandro defecerũt, princeps. 313
Athenodorus per Boxum Macerianum, ſtimulãte Bicone inimico, in convivio occiſus. 314
Athenienſibus infeſtus Alexander. 333
Athenienſes ſoli exſules ex Alexandri edicto nõ recipiunt. 334
Athenienſes Harpalũ urbe excedere jubent. 334
Attinas Alexandri præfectus cum trecentis equitibus occiſus. 240

B.

Babylonia Alexandro deditur. 119
Babyloniam quis condiderit. ibid.
Babyloniæ muri bitumine interliti. ibid.
Babyloniæ deſcriptio. ibid.
Babyloniæ pons lapideus inter mirabilia Orientis opera numeratus. 120
Babyl. horti penſiles. ibid.
Babylonii in vinum effuſi. 121, 122
Babyloniorum turpiſſimi mores. ibid.
Bactra. 72, 212
Bactra ultima Aſiæ. 222
Bactriana terra. 211
Bactriana arx à Græcis militibus, qui ab Alexandro defecerant, occupata. 313
Bactriani promptiſſimi. 74
Bactrianorũ defectio. 220
Bactrus amnis. 212
Bagoas ſpado Alexandrũ obſequio corporis devinxerat ſibi. 332
Bagoas ſpado ſecreto Orſinem Satrapem reum facit. ibid.
Bagophanes arcis, & regiæ pecuniæ in Babylonia cuſtos. 119
Balæna. 68
Barbarus quidam Darii miles, ſimulato transfugio, Alexandri cervicem appetit. 76
Barſines filius ex Alexandro. 348
Barzentes defectionis Arachoſiis author, vinctus ad Alexandrum per-

perductus. 281
Bazaria, regio. 241
Belon in Philotam invehitur. 189
Belus Babyloniam condidit. 119
Beſſus Bactrianorum dux. 74
Beſſus regnũ affectat. 143
Beſſus Darium prodit. ib. *& ſeqq.*
Beſſi & Nabarzanis ficta lachryma. 144
Beſſus & Nabarzanes Darium vinciunt. 150
Beſſus & Nabarzanes Darium confodiunt. 152
Beſſus occiſo Dario Bactra petit. 153
Beſſus Darii parricida, ſumpta veſte regia, ſe Artaxerxem appellari jubet. 172
Beſſi in Cobarem indignatio. 210
Beſſus à Bactrianis militibus deſertus. 211
Beſſus à Spitamene vinctus. 216
Beſſus ad Alexandrũ perducitur. 217
Beſſi ſupplicium. 218
Betis Gazæ Prætor. 74
Betis egregia virtus. 77
Betis crudeliſ. mors. ibid.
Bezira urbs. 273
Bion transfuga. 103
Bituminis fons. 118
Byzantium urbs quando condita. 6
Boxus Macerianus Athenodorum in convivio occidit. 314
Boxus Macerianus à militibus Græcis interfectus. ibid.
Branchidæ. 216, 217
Branchidæ ad internecionem omnes cæſi. 217
Bucephalus equus. 5, 6
Bucephalus equus neminem præter Alexandrũ dorſo inſidere patitur. 169
Bucephalus equus Regem Alexandrum cum vellet aſcendere, ſponte ſua genua ſubmittens, excipere ſolitus. ibid.
Bucephalus urbs ab Alexandro condita. 302

C.

CAlis. 193, 194
Caliſthenis gravitas. 257
Caliſthenis libertas Alexandro inviſa. ibid.
Caliſthenes ab Alexandro vinctus. 263

Caliſthenes tortus interiit. 267
Caliſthenis mors ſummam apud Græcos Alexandro excitavit invidiā. ibid.
Carthago à Tyriis condita. 60
Carthaginēſes Saturno uſque ad excidium urbis ſuæ ingenuum puerum immolarunt. 67
Carthagini infenſus Alexander. 330
Caſpium mare, quod & Hyrcanum. 166
Caſpium mare dulcius cæteris. 165
Caſſander venenum Alexandro dedit. 341
Caſtra Cyri, regio. 28
Catenes ſagittandi peritia. 218
Catenes ab Alexandro deficit. 256
Catenes in prœlio occiſus. ibid.
Caucaſus Aſiam perpetuo jugo dividit. 208
Ceballinus Philotæ inſidias Alexandro paratas detegit. 176. & ſeqq.
Chaldæi vates Alexandrum monent, ne Babylonem ingrediatur. 341
Cartaſis Scytharum regis frater. 222
Chares Athenienſis. 73
Chari virtus. 277
Chari mors. ibid.
Chiliarchæ. 123
Chœrilus peſſimorum carminum conditor. 257
Chryſolai Methymnæorum ducis mors. 84
Cleander. 65. *prætor regius.* 203
Cleander latus Parmenionis gladio haurit. 204
Cleo ex Sicilia. 257
Cleochares Alexandri ad Porum regem legatus. 281
Cleophes Aſſacani Mazagarum regis, mater, 274
Cleophes Mazagarum regina Alexandro deditur. 275
Clytus apud Granicū amnem nudo capite Alexandrum dimicantem clypeo ſuo texit. 242
Clytus Rhoſacis manum capiti Alexandri imminentem gladio amputavit. ibid.
Clyti cum Alexandro contentio. 243
Clyti pertinacia. ibid.

Clytus ab Alexandro occiſus. 245
Cobares. 209
Cobares ad Alexandrum transfugit. 210
Coele Syria. 72
Cœnus ſagittis prope occiſus. 115
Cœnus morbo extinctus. 301
Coloniæ Græcorum Carabactra deductæ. 313
Cognati Regis militum genus apud Perſas. 26
Conſilium novum tranandi amnis. 215
Cophes Artabi filius. 235
Copidæ gladii. 287
Corycium nemus. 29
Corvi bellicæ machinæ. 67
Corvi in Gazæ obſidione augurium. 75
Corvi Alexandro duces, cum Ammonem Iovem peteret. 79
Coſſæi montes. 97
Craterus Alexandro in paucis charus. 178
Craterus Philotæ adverſus. ibid.
Craterus Ozinem & Zariaſpem nobiles Perſas defectionẽ molientes oppreſſit. 326
Crocodili. 268
Cydaris apud Perſas. 27
Cydnus amnis. 29
Cypriorum reges à Dario ad Alexandrum deficiunt. 84
Cyri caſtra, regio. 28
Cyri ſepulchrum. 322
Cyrum admiratur Alexander. 221
Cyropolis. ibid.

D.

DÆdala in India regio. 273
Daharum pernicitas. 226
Dahæ oppreſſi. 240
Dahæ Alexandro ſe dedunt. 252
Damaſcenorum miſerabilis fuga & captivitas. 50
Darii armatorum numerus. 22, & ſeqq.
Darii ſomnium. 25
Darii agminis ordo. 25, 26
Darius invalidis quibuſdam militibus manus amputat. 37
Darii acies. 39, 40
Darii fuga. 44, 45
Darii mater conjuxque captiva. 45, & ſeqq.
Darii ad Alexandrum litteræ. 71

Darius omnia auxilia Babyloniam contrahit. 85
Darii litteræ, quibus Græci milites ſolicitantur, ut Alexandrum interficiant. 90
Darii uxoris mors. 91, *& ſeqq. Alexander mortuam luget & honorifice humat.* 91
Darius legatos ad Alexandrum mittit. 93
Darii ad Arbellam militum numerus. 96
Darii ad Arbellam fuga. 111
Darii fugientis præclara vox. 112
Darius natura ſimplex & mitis. 36, 146
Darius ſervorum ſuorum captivus. 150
Darius à Nabarzane & Beſſo vinctus. ibid.
Darius aureis compedibus vinctus. ibid.
Darius à ſuis cōfoſſus. 152
Darii morituri verba. 154
Darius, quomodo Rex Perſarum factus. 162
Dataphernes Spitamenis defectionis particeps Alexandro deditur. 252
Democrates Athenienſis gladio ſe trāsfigit. 167
Demophoon vates. 30[illegible]
Deſterioles Satrapes juſſ[illegible] Alexandri interfectus 317
Didymeon templum. 21[illegible]
Dimichæ. 151
Dioxippus Athenienſis pugil nobilis. 315
Dioxippus Athenienſis falſo à Macedonibus furti inſimulatus. 316
Dioxippus Athenienſis, ignominiæ impatiens, ferro ſe interimit. ibid.
Doryphori Perſarum milites ſic dicti. 26
Drangarum bellicoſa natio. 174
Dyardenes fluvius. 268
Dymnus inſidias Alexandro paratas Nicomacho exoleto aperit. 175
Dymnus gladio ſe vulnerat. 177

E.

Ecbatana caput Mediæ. 141
Epaminondas ſtrenuiſſimus Thebanorum dux atque philoſophus præſtantiſſimus. 1. *& ſeq.*
Epimenes in Alexandrum conjurat. 260
Epimenes Eurylocho fratri con-

conjurationem detegit. 262
Equus Solis apud Perſas. 26
Erigyi & Satibarzanis duellum. 212, 213
Erigyi mors. 250
Erimanthus. 268
Erythreo mari non à colore, ſed ab Erythro rege inditum nomen. 269, 330
Erythri Regis monumentum. ibid.
Eryx à ſuis occiſus. 278
Erycis caput atque arma ad Alexandrum delata. ibid.
Eudæmon, dux Thracum, 325
Eudemi interitus. 24
Evergetæ, qui ante Agriaſpæ. 206
Evergetæ cur ita dicti. ibid.
Eurydice Amyntæ uxor, Philippi mater. 1
Eurydices adulteria. 1
Eurydices parricidia. 2
Eurylocho fratri conjurationem detegit Epimenes. 262
Eurylochus injecta manu Epimenem fratrem in regiam trahit. 263
Eurylochi ob conjurationem detectam præmia. 262
Euryone Philippi ſoror. 1
Euthymon. 134
Excipinus. 232

F.

Falcatæ quadrigæ. 85
Fames & peſtilentia in exercitu Alexandri. 325
Fati inevitabilis ſors. 332
Fons apud Ammonis templum mirabilis. 80
Fons bitumen effundens. 118
Fons in tabernaculo Alexandri ſubito conſpectus. 234
Fortunæ ludibria. 112
Fortuna Alexandro indulgendo nunquam fatigata. 250

G.

Gades Tyriorum colonia. 70
Gamaxus Rex exiguæ partis Indorum, ad Alexandrũ vinctus perductus. 281
Gangaba Perſarum. 50
Gangaridæ. 295

Ganges

Ganges egregius fluvius. 268. *maximum totius Indiæ fluminum.* 295
Gaza urbs. 72, 75
Gaza obſidetur. 74. & ſeqq.
Gaza ab Alexandro capitur. 77
Gedroſia. 326
Globares Perſagadum Alexandro tradit. 137
Gordium Midæ civitas regia. 21
Gordius nodus. ibid.
Gordyæi montes. 89
Gortuæ. 97
Græcorum temporaria ingenia. 72
Græci captivi ad quatuor millia, quos Perſæ vario ſuppliciorum modo affecerant. 133
Græci unde mētiendi traxere licentiam, in Iovis femore Liberum Patrē eſſe celatum. 272
Græcorum militū ab Alexand. defectio. 313
Græci exſules omnes recipere ab Alexandro juſſi. 334.

H.

Hages Pori Regis frater. 284
Halys amnis. 93
Harpalus Alexandrū fugiens, in Atticam contendit. 333
Harpalus Athenas petit. 334
Harpalus Athenis excedere juſſus. ibid.
Harpalus à Græcis militibus trucidatus. ibid.
Hauſtanes ab Alexandro deficit. 256
Hauſtanes captus. ibid.
Hecatompylos. 160
Hectoris, Parmenionis filii, mors. 84
Hellanice Alexandri nutrix, Clyti ſoror. 242. & ſeqq.
Hephæſtionis cum Alexandro amicitia. 48
Hephæſtionis brachiū haſta ictum. 115
Hephæſtion febricitās moritur. 340
Hephæſtionem Alexander unice ac fratris loco diligebat. ibid.
Hephæſtioni tanquam Heroi ſacrificari juſſit Alexander. 341
Herculi Tyrii urbem dicaverant. 66
Hercules Tyrius. 85
Herculis ſimulachrū, maximum

ximũ bellantibus Indis incitamentum. 285
Herculis ſcyphus. 341
Hermolaus puer nobilis aprum telo occupat. 260. *ob id verberibus affectus, in Alexandrum conjurat.* ibid.
Hipſidis mors. 226
Hiſpania, quæ & Iberia. 330
Horitæ. 324
Horitæ à Leonato ſuperati. 326
Horratas. 315
Horratæ Macedonis & Dioxippi Athenienſis ſingulare certamẽ. 315. *& ſeqq.*
Horti penſiles. 121
Hydaſpis amnis. 280, 281
Hydaſpis amnis aqua delicata. 124
Hydraotes fluvius. 292
Hypaſes fluvius. 295
Hyrcaniam ingreditur Alexander. 164

I.

Ignis apud Perſas æternus. 100
Immortales milites apud Perſas dicti. 26
Indiæ ſitus. 268
Indiæ ſylvæ. 292
Indiam nives obruunt, cũ aliæ terræ fervore ſolis exæſtuant. 269
Indus fluvius. 268
Indorum ritus. 269
Indorum Regis magnificentia. 269, 270
Indorum Sapientes. 270. *fatum occupant, ſeque vivos cremari jubent.* 271
Indorumq; Dii. ibid.
Indorum Reguli Alexandro occurrunt. ibid.
Indi maritimi. 324. *& ſeq.*
Iollas Antipatri filius Alexandro venenum præbuit. 341, 358
Iſthmiorum ſolenne ludicrum. 72
Iumentorum carne veſcuntur milites Alexandri. 211

L.

Lacedæmoniorum & Macedonum cruentum bellum. 156. *& ſeqq.*
Lacedæmonii à Macedonibus fuſi. 157
Lacedæmoniorum & Macedonum cæſorum numerus. ibid.
Lacus ſalſus. 324

Lani-

Lanificium apud Perſas contumelioſum. 125
Legati Alexandri à Tyriis occiſi. 61
Leo magnitudinis raræ, ib Alexandro uno vulnere occiſus. 241
Leonidas Parmenioni intima familiaritate conjunctus. 205
Leonidæ cohors. ibid.
Liber Pater in Iovis femore celatus. 272
Liberi Patris termini. 231
Liberi Patris triumphum imitatur Alexander. 321
Lignum igne duratum. 23
Lynceſtes Alexander. 196
Lycius dux Alexandro Perſidem intranti factus. 130
Lyſimachus poſt Alexandrum regnavit. 241
Lyſimachus feram eximiæ magnitudinis ſolus occidit. ibid.
Lyſimachus ab Alexandro leoni objectus. ibid.

M.

Macedonum cōtra Darium acies. 28
Macedonum miſerand[a] pœnitentia. 33[.]
Macedonibus ignoſcit Alexander. 34[.]
Macedonum militum privilegia. ibid
Macedonum lex, qua cautum erat, ut propinqu[i] eorum qui Regi inſidiati erant, cum ipſis necarentur. 263
Macedonum exercitus ſeditioſis vocibus Alexandrum increpat. 304
Macedonum luctus ſuper morte Regis Alexandri. 343
Macedonum cōtentio, quis Alexandrum vulneratum ferre debeat. 219
Macedonum ſcitum, ne Alexander ſolus venetur. 242
Macedonum à Spitamene edita cædes. 226
Macedones, jure interfectum Clytum decernunt. 247
Macedonum mos in capitalibus rebus. 181
Macedonū mos alloquendi Regem. 300
Macedonum ſanctiſſimū coeuntium pignus. 255
Macedonum & Lacedamonio-

moniorum cruentum bellum. 156
Macedonum deſignãdi pomœria ritus. 83
Macedones liberos adultos Regibus tradebant. 122 259, *eorum munia*, ibid. *& ſeq.*
Macedonum exercitus per decem dies Libero Patri operatus, 273
Macedonum exercitus confeſſus, ſe unius Alexandri ſpiritu vivere, 310
Macedonum ſolenne munus, humandi ſuos, 129
Macedonum in faucibus Syriæ cæſorum numerus. 46
Macedonum ad Arbellam cæſorum numerus, 115
Macedonum & Lacedæmoniorum cæſorum numerus. 157
Macedones Lacedæmonios in fugam vertunt. 156
Macedonum acies, 27, *&* 102
Macedonum militum tumultus, 160, *& ſeq.*
Macedones per Perſas ad ſupplicia trahũtur. 339
Macedonum mos luſtrandi exercitus. 355, 356
Macedonas pœnitet, divinos honores Alexandro negaſſe, 343
Magia, non ars, ſed vaniſſimi cujuſque ludibrium. 209
Mallorum regio, 304
Mardorum gens bellicoſiſſima. 138
Mareotis palus, 79
Marginia urbs, 234
Marſja fluvius. 19, *& ſeq.*
Mazæus Darij Prætor, 86
Mazæus Babyloniam Alexandro tradit. 118
Medus amnis. 129
Meleager, 280
Meleager infeſtus Perdiccæ. 348
Meleager in templo occiſus. 357
Melõ Darii interpres. 151
Memaceni Alexandri legatos vino graves occidunt. 221
Memaceni obſeſſi. ibid.
Memaceni Alexandrum ſaxo graviter vulnerant. 221
Memaceni capti, dirutique ibid,
Memnonis celebrata regia. 83
Memnon Arachoſiis datus Prætor. 206

Mem-

Memnon morbo interiit. 326
Memphis Alexandro tradita. 78
Menedemus inſidiis à Spitamene circumventus. 226
Menedemi cædes. ibid.
Menidas ſagittis prope occiſus. 115
Meros mons. 272
Meſopotamiæ æſtus. 358
Metroni inſidias Alexandro paratas detegit Ceballinus. 177
Miletum captum. 72
Militaris diſciplina ab Alexandro reformata. 123
Mitylene Alexandro deditur. 73, 74
Mœris Pathalyæ Rex. 320
Monimenta expeditionis Alexandri in India. 301
Mullinus ſcriba Alexandri. 276
Murices ferrei. 103
Muſicani in ditionem redacti. 318
Muſicani ab Alexandro deficiunt. ibid.
Muſicani rurſus in poteſtatem Alexandri redacti. ibid.

N.

Nabarzanes Dar[ii] prætor. 3[...]
Nabarzanis in Darium proditio. 143. *ejus oratio.* ibid.
Nabarzanes occiſo Dari[o] Hyrcaniam petit. 15[...]
Nabarzanis ad Alexandrum litteræ. 16[...]
Nabarzanes, accepta fid[e] Alexandro occurrit. 169
Nabarzani ignoſcit Alexander. ibid.
Naſamones. 80
Naura regio. 247
Nauranis parentibus ſtupro coire cum libris fas eſt. ibid.
Nicæa urbs ab Alexandro condita. 302
Nicanoris, Parmenionis filii, mors. 172
Nicanoris temeritas atque audacia. 282
Nicomachus exoletus Ceballino fratri inſidias Alexandro paratas detegit. 176
Nicoſtratus in Alexandrum conjurat. 260
Nyſa Indiæ urbs. 272

O.

Oceanum viſendi Alexandri pervicax cupido. 320
Oceani æſtus. 321
Ochus Rex. 51
Ochus ſæviſſimus Rex, 344, 345
Ochus octoginta fratres Syſigambis eodem die trucidavit. ibid.
Olympias Neoptolemi Moloſſorum Regis filia. 3
Olympiadis & Antipatri ſimultas. 340
Olympias Alexandri mater immortalitati conſecratur. 313
Orſines Paſargadarum Satrapes. 331
Orſines ſecreto à Bagoa ſpadone fit reus. ibid.
Orſines juſſu Alexandri occiſus. 333
Oxatres Darii frater. 159
Oxyatres. 318
Oxydates. ibid.
Oxus fluvius. 209
Oxycanus Indorum Rex, 318. *& ſeqq.*
Oxycanus Indorum Rex cum paucis pugnans occiſus. ibid.
Oxydracarum regio. 304
Ozines Perſes defectionem moliens à Cratero oppreſſus. 326

P.

Palatyron. 60
Parapamiſadæ, agreſte hominum genus, 206
Parmenio Philippum Alexandri medicum criminatur. 32
Parmenio in occidendo Attalo miniſter Alexandri. 196
Parmenionis ad Philotam filium litteræ. 183
Parmenionis occidendi negotium Polydamanti ab Alexandro datur. 203, *& ſeqq.*
Parmenio à Cleandro juſſu Alexandri occiſus, 204
Parmenionis truncum corpus militibus ad ſepulturam datum, 204
Parmenionis caput ad Alexandrum delatum. 205
Paropamiſſus mons. 212
Parthiene quondam ignobilis, nunc caput omnium, qui poſt Euphratem & Tygrim amnes ſiti,

ſiti, Rubro mari terminantur. 160
Paſas Theſſalus. 353
Paſitigris fluvius. 126
Pathalya gens. 320
Patron dux Græcorum militum. 144
Perdiccas ſagittis prope occiſus. 115
Perdiccæ infeſtus Meleager. 348
Perdiccas trecentos Macedonas elephantis in conſpectu totius exercitus objicit. 356
Perſagadum à Cyro conditum. 137
Perſagadum Alexandro deditum. ibid.
Perſæ ſatellites Macedonas ad ſupplicia trahunt 339
Perſæ arcana Regum mira celant fide. 74
Perſæ linguam gravius quam ullum probrum caſtigant. ibid.
Perſarum ad Arbellam cæſorum numerus. 114
Perſarum cæſorum cadavera, ſepeliri jubet Alexander. 48
Perſarum fœminæ non aliud magis in contumeliam accipiunt quam lanæ manus admove[nt]
125
Perſarum luctus ſu[per] morte Regis Alexand[ri]
343 & ſeq.
Perſarum in faucibus S[y]riæ cæſorum numeru[s]
46
Perſarum regia incen[ſa]
139
Perſarum regia cedro æd[i]ficata. ibid
Perſis corporis ſui cuſto[]diam tradit Alexande[r]
338, 339
Perſis Macedonica impoſi[]ta nomina. ibid
Perſepolis caput regni Darii. 72
Peſtilentia & fames in exercitu Alexandri. 32[5]
Petra, quam occuparat Arimazes Sogdianus,
234
Phalanx Alexandri. 40
Phegelas Rex. 295
Philippus, Alexandri pater, primus omnium Regum ejus gentis Macedoniæ, regnum ad ſummam potentiã evexit. 1
Philippus totam Græciam ſubegit. ibid.
Philippus Amyntæ filius ibid.

Phi-

Philippus Illyriis obſes datus. ibid.

Philippus Thebanis obſes datus. ibid.

Philippus ab Epaminonda inſtitutus. 1 & 2

Philippi ſomnium ſuper nativitate Alexand. 3

Philippus Acarnan, medicus Alexandri. 31

Philippum, medicum Alexandri, criminatur Parmenio. 32

Philippi Lyſimachi fratris indoles rara. 250

Philippi Lyſimachi fratris mors. ibid.

Philotæ catenæ injectæ. 181

Philotas ad quæſtionem tractus. 190, & ſeq.

Philotæ in tormentis virtus. 191

Philotæ in tormentis Confeſſio. ibid. & ſeq.

Philotas in Alexandrum conjurat. 176 ſeq.

Phradates regnum affectaſſe ſuſpectus, juſſu Alexand. occiſus. 333

Phrataphernes Alexandro ſe dedit. 166

Python Muſicanos rebellantes in poteſtatem redegit. 318

Polydamas, Parmenioni longe acceptiſſimus. 202

Polydamanti negotium occidendi Parmenionis ab Alexandro datur. ibid.

Polypercon regionem, quæ Bubacene appellatur, in deditionem redegit. 256

Polypercon in cuſtodiam traditus. 356

Polyſtratus. 153

Polytimetus amnis. 232

Porus Rex. 281

Porus Rex in ulteriore ripa Hydaſpis conſedit, tranſitu prohibiturus hoſtem Alexandrum. ibid.

Porus Rex, Taxilis Regis fratrem telo transfigit. 288

Prometheus in rupe ad Caucaſum vinctus. 208

Ptolemæus Philippo genitus. 319

Ptolemæus telo venenato ſaucius. ibid.

Pugnæ nova forma. 303

Pylæ Suſidæ. 128

Pylæ Amanicæ. 37

Pylæ arctiſſimæ fauces. 28

Pyramus fluvius. ibid.

Pythagoras, Rex Cypriorum. 65

Q. Qua-

Q.

Quadrigæ falcatæ. 85

R.

Regnorum Alexandri per principes Macedonas facta diviſio. 357
Rhinoceros. 291
Rhodii urbem ſuam portuſque Alexandro dedunt. 72
Rhidagus fluvius. 164
Roxane forma inſigni virgo. 255
Roxanem ſibi matrimonio jungit Alexander. ibid. *& ſeqq.*
Roxane ex Alexandro prægnans. 347
Rupes in Caucaſo, in quo Prometh. vinctus. 208

S.

Sabacei, prætor Ægypti. 43
Sabes rex. 318
Sabracæ gens, populi non Regum imperio regitur. 317
Sabracæ in fidem accepti, ibid.
Sacæ pollicentur ſe m data facturos. 2
Sacas petit Alexandru ibid.
Sagittarum Indicarũ m gnitudo. 3
Samaritæ Andromach in Syria Alexan Præfectum vivum c marunt.
Sangarius fluvius. 2
Sanguis apud Macedon e pane manavit.
Sanguinis rivi ex forna bus apud Tyrios. ibi
Sarcinas primum ſuas, d inde totius exercitu incendi præcipit Al xander. 17
Sariſſophori haſtati. 1c
Satibarſanes ab Alexan dro deficit. 2c
Satibarſanis & Erig duellum. 21
Satipna Darii filia. 7
Satrapene regio. 12
Saturno, uſque ad exc dium urbis ſuæ, Car thaginenſes ingenuum puerum immolarunt. 67
Saturno ingenuum pue rum immolabant Tyrii. ibid.
Scenitæ Æthiopes qui dam

dam dicti. 80
Scytharum bellicoſiſſima gens. 74
Scythæ rapto vivere aſſueti. ibid.
Scythæ Abii. 219
Scythis non ut cæteris Barbaris rudis eſt ſenſus. 227
Scythæ ſapientiam capiunt, quantamcunque gens ſemper armata capit. ibid.
Scytharum fuga. 231
Scythæ petunt, ut Alexander Regis ſui filiam matrimonio ſibi jungat. 241
Semiramis. 313
Semiramis Babyloniam condidit. 119
Semiramin admiratur Alexander. 221, 313
Serpentes inuſitatæ magnitudinis. 291
Serpentes ſquamis fulgentibus. 292
Seuthes Odryſas populares ſuos Thracas ad defectionem compulit. 333
Sicilienſes naturæ vitio adulatores. 257
Sidon urbs, vetuſtate & conditorum fama inclyta. 55
Sidonem condidit Agenor. 70
Simmias Philotæ amicus. 197
Siſenes Perſes. 35
Sitis in exercitu Alexandri. 214
Sogdianorũ defectio. 220
Sogdianorũ deſerta. 232
Sogdianorum captivorum cum ad mortem ducerẽtur lætitia. 233
Solis equus apud Perſas. 26
Solis aqua ad Ammonis templum. 80
Somnium Alexandri, ſuper valetudine Ptolemæi. 319, 320
Sophitis regnum. 294
Sopolis Hermolai pater. 263
Soſtratus cum Hermolao occidendi Alexandri conſilium capit. 260
Spitamenes, inter omnes, præcipuo honore cultus à Beſſo. 215
Spitamenis in Beſſum inſidiæ. ibid.
Spitamenes ab Alexandro deficit. 220
Spitamenes trãsfuga Macedonum præſidio dejecto,

jecto, Marcanda urbem occupat. 222
Spitamenes Menedemo inſidias tendit. 226
Spitamenes Macedonas cadit. ibid.
Spitamenes Bactra profugit. 232
Spitamenis in uxorem amor. 250
Spitamenes uxori graviter ſuccenſet. ibid.
Spitamenes ab uxore in lecto occiſus. 251
Spitamenis uxor mariti caput ad Alexandrum defert. 251
Stupro coire cum liberis apud Nauram parentibus fas eſt. 247
Sunium promontorium Atticæ terræ. 333
Suſam Alexander ingreditur. 125
Suſitanorum deſerta. 113
Symmachi temeritas atque audacia. 282
Syracuſani Africam urgent. 66
Syracuſani haud procul Carthaginis muris locaverant caſtra. ibid.
Syſidæ pilæ. 128
Syſigambis Darii mater. 27
Syſigambis Alexandri captiva. 45, 47, 49
Syſigambis conſtantia. 108
Syſigambis, Darii mater, Suſæ ab Alexandro relicta. 125
Syſigambis luctus ſuper morte Alexandri. 344
Syſigambis mors. ibid.
Syſimithres. 247

T.

TAbas oppidum. 151
Tanais fluvius. 160
Tarſon urbs. 29
Tauron Præfectus. 127
Taurus mons. 208
Taxiles Rex. 280
Templum Ammonis. 80
Tenedos Alexandro deditur. 72
Thais pellex. 139
Thaidis conſilio Perſarũ regia inceditur. ibid.
Thaleſtris Amazonum Regina. 169
Thaleſtris Amazonũ regina, fatetur ſe veniſſe ad communicandos cum rege Alexandro liberos. 170
Theatus Athenienſis. 135
Thebæ Tyriorum colonia. 70

Thermodoon fluvius. 169
Thracas Odryſas, ad defectionẽ compellit Seuthes. 333
Thymodes Mentoris filius, 24
Thymondas dux. 36
Tigris fiuvius, à celeritate dictus. 87
Timai virtus & mors. 308
Titoni celebrata regia. 83
Triumphus Alexandri, ad imitationem Liberi Patris. 327
Troglodytæ. 80
Typhonis ſpecus. 29
Tyriotes ſpado, Dario vxoris mortem nunciat. 91. & ſeqq.
Tyrii Macedonas ludibrio habent. 61
Tyrum obſidet Alexander. 60. & ſeqq.
Tyrii Carthaginem condiderunt. ibid.
Tyrii Alexandri legatos occidunt. 61
Tyri ſanguis ex fornacibus manavit. 61
Tyrii Saturno ingenuum puerum immolabant. 67
Tyrii conjuges liberoſque devehendos Carthaginem tradunt. 66
Tyrii urbem Herculi dicaverant. ibid.
Tyri obſidione fatigatur Alexander. 67
Tyrus ab Alexandro capitur. 69, 70
Tyrum condidit Agenor. 70
Tyrii literas invenere. ibid.
Tyriorum duo millia ab Alexandro crucibus affixa. ibid.

V.

VEnatici canes nobiliſſimi. 294
Venenum quo Alexander extinctus eſt. 358
Venetorum origo. 22
Vergiliarum ſidus. 139
Vxii. 126
Vxii Alexandro deduntur. ibid.
Vxor Darii cum filio & filiabus capta ab Alexandro. 45, 47. *illam pulcherrimã licet ſancte habet.* 49. *ejus filium admovit collo.* ibid. *Suſa liberos relinquit.* 125

Vxoris Darii mors. 91. *honeſtè humatur.* ibid.

X.

X*Enippa regio*: 247

Z.

Z*Ariaſpes Perſes defectionem moliens à Cratero oppreſſus.* 326

Zioberis amnis. 164

Zopyrio Thraciæ præpoſitus procellis cum toto exercitu oppreſſus. 333

FINIS.

20